R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTR.
VITT. EMAN. II
204
8 F
1
ROMA

204.8 F 1

Digitized by Google

20h. 8 F 1

M. FAB. QVINTILIANI

# OPERA

204.8 F 1

# M. FABII
# QVINTILIANI

## DE INSTITVTIONE ORATORIA

EX RECENSIONE

## G. L. SPALDINGII

TOMVS PRIMVS.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXIV.

204.8 F 1

# AI SIGNORI ASSOCIATI

## I TIPOGRAFI

Il numero ragguardevole di associati alla nostra Collezione dei Classici Latini, acquistati dopo la pubblicazione dell'Elenco dei primi 500, c'induce a metterne alla luce un altro più compito.

Preghiamo pertanto ogni Associato indistintamente a voler rimettere alla persona che ha ricevuto la sua associazione, il distinto di lui nome, titolo, od impiego onde poter formare con esattezza il suddetto Elenco.

Preghiamo quindi i signori Librai nostri corrispondenti a spedircene quanto prima la nota, onde poter fare la suddetta pubblicazione in principio del venturo 1823.

Presentiamo quì dietro il valore del presente volume XVIII, in un colla descrizione dei volumi già pubblicati, e loro rispettivo prezzo; quindi appresso si troverà la nota del prezzo per le Opere separate.

VALORE DEL PRESENTE TOMO XVIII.°

| | | |
|---|---|---|
| *Fogli di stampa n.°* 35 ½ *a cent.* 20 . . | *L.* | 7 10 |
| *Legatura* . . . . . | » | 25 |
| | *L.* | 7 35 |
| *Spese di porto e dazio per gli Associati esteri* | » | |

Paoli. 15. Luglio

*I volumi fin quì pubblicati, compreso il presente, per gli Associati all'intera Raccolta importano* . . . . . *L.* 126 65

# AVVISO.

A regolamento di quelle persone che non conoscessero ancora gli Autori da noi pubblicati, e il valore di ciaschedun volume di essi, ne presentiamo quì contro la distinta enumerazione. Aggiungiamo di più la nota dei prezzi da noi stabiliti a ciascuna delle Opere finor pubblicate per gli acquisitori di Autori separati, i quali non si sono associati all'intera Raccolta. Facciamo però noto, che il numero dei primi volumi della Collezione essendosi reso minore degli altri, non si venderanno più separatamente, volendoli conservare per quelle persone che ancor ci volessero onorare della loro associazione per l'intera Raccolta; avvertiamo eziandio che il numero delle copie compite si riduce ora a 250 solamente, avendo tirata l'edizione a sole 1000 copie.

NOTA *distinta dei volumi finquì pubblicati col rispettivo prezzo di ciascun volume per gli Associati all' intera Raccolta in ragione di centesimi 20 al foglio di 16 pagine, prezzo d' associazione.*

| Tom. | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. | CESARE d'Oberlino . | vol. 1.° . . | ll. | 7 90 |
| 2. | Idem . . . . . | » 2.° . . | » | 4 20 |
| 3. | CATULLO di Doering | vol. unico . . | » | 7 05 |
| 4. | TACITO di Oberlino . | » 1.° . . | » | 7 55 |
| 5. | Idem . . . . . | » 2.° . . | » | 8 40 |
| 6. | Idem . . . . . | » 3.° . . | » | 6 80 |
| 7. | Idem . . . . . | » 4.° . . | » | 6 80 |
| 8. | Idem . . . . . | » 5.° . . | » | 9 20 |
| 9. | PATERCOLO di Runckenio | » 1.° . . | » | 6 80 |
| 10. | TIBULLO di Heyne . . | » 1.° . . | » | 6 50 |
| 11. | Idem . . . . . | » 2.° . . | » | 5 55 |
| 12. | OVIDIO *Variorum* . . | » 1.° . . | » | 6 95 |
| 13. | Idem . . . . . | » 2.° . . | » | 6 05 |
| 14. | PROPERZIO di Kwinoel . | » 1.° . . | » | 8 25 |
| 15. | OVIDIO . . . . . | » 3.° . . | » | 7 20 |
| 16. | Idem . . . . . | » 4.° . . | » | 7 35 |
| 17. | Idem . . . . . | » 5.° . . | » | 6 75 |
| 18. | PLAUTO di Bothe . . | » 1.° . . | » | 7 35 |
| | | Totale . . | ll. | 126 65 |

*Prezzi stabiliti alle Opere separate.*

| | | |
|---|---|---|
| * | Cesare d' Oberlino, 2 vol. . . . . | ll. 15 |
| * | Catullo di Doering . . . . . | » 9 |
| * | Tacito d' Oberlino, 5 vol. . . . . | » 45 |
| | Patercolo di Runckenio, il 1.° vol. . . . | » 8 50 |
| * | Tibullo di Heyne, 2 vol. . . . . | » 15 |
| | Ovidio, li 5 primi vol. . . . . | » 45 |
| | Properzio di Kwinoel, il 1.° vol. . . . | » 10 |
| | Plauto di Bothe, il 1.° vol. . . . . | » 9 |

*N. B.* Gli articoli segnati con * sono Opere compite; degli altri se ne sta stampando la continuazione.

Del Patercolo vi sarà ancora un vol.

Del Properzio ancora un vol.

Del Plauto ancora 4 vol.

Dell' Ovidio ancora 2 vol.

## TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

Qui rhetoricos Ciceronis libros typis nuper evulgavi, Quintiliani institutiones nunc Tibi exhibeo, candide Lector. Dissimile sane opus in simili argumento, in quo tamen magis seculum, quam ingenium scriptori defuisse videatur. Quis enim nativam Tullii copiam subDomitiano requirat?

Nam praeter infensa virtuti tempora, illud etiam accedebat, quod eloquentia ex pulvere et sole in umbratilem palaestram deducta, omnes omnino spiritus amitteret. Vt igitur apud Graecos, immutata iam Athenarum civitate, iidem Sophistae, qui in expoliendo sermone Isocrati praeiverant, ad artis subtilitates se contulerunt, sic Romae in illa fori vastitate, si qui dicendi studium profiterentur, non amplius antiquos aemulari, sed in eorum scriptis commentandis omnem industriam ponere coeperunt. Hinc illud rhetorum genus profluxit, in quibus studium et acumen videas, naturam desideres, extenuata veluti corpora, quae iuveniles artus velint imitari. Nec mirum si omnis priscorum scribendi festivitas interiret, et quum propter mutuum metum publice vivendi potestas

amplius non esset, dialogorum forma paullatim exoleverit, quam in tradendis artibus Plato et Tullius adamaverant. Quare non amplius Crassum, Antonium, Caesarem, in pratulo et propter aquulam disputantes audimus, sed hominem ludo assuetum, qui non sine vultu praecepta auditoribus proponat.

Verum quod Augusti aetate Dionysius Halicarnasseus in Graecis praestiterat, id postmodum Quintilianus in Romanis videtur effecisse. Idem certe iudicium in utroque invenitur, eadem in censura antiquorum severitas, nisi quod ille indulgens otio gentis suae, plus eruditis investigationibus tribuit, hic alumni ingenium intentius fingit. Adde iam animum romanae magnitudinis memorem, adde artificem stilum, utillis temporibus purum, quique

facile posset commoveri, ut in recenti filii orbitate ostendit; et iam intelliges, cur scriptor, qui omnem artis suae ambitum XII libris complexus est, eloquentium et doctorum studia unus omnium tenere videatur.

Caeterum, ne quid huic meae operae deesset, Spaldingii recensionem selegi, Lipsiae primum editam anno superioris seculi XCVIIII, cuius summa quaedam est apud Germanos auctoritas. Quum autem declamationes in ea editione omissas, haud tibi iniucundas fore existimarem, easdem ex Burmanni textu cum integris notis, qua maxime potui diligentia excudendas curavi, addito indice, qui operi lucem afferret. Hisce opibus fruere, candide Lector, et vale.

Dabam Taurini Nonis Octobribus An. MDCCCXXIIII.

# PRAEFATIO

## GEORG. LVDOV. SPALDINGII

Non sine verecundia et solicitudine accedo ad rationem huius operis a me suscepti, iamque ex quarta parte profligati, reddendam. Inter ipsum enim laborem, dum hic illic quaedam non ita male expediisse tibi videris, dumque singulis immoraris, parcius occupat animum et ferit totius negotii magnitudo, quam ubi remotus paululum ab ea, quam paras, tabula, e longinquo contemplaris. Multa sunt et varia quae Quintiliano debeantur ab editore suo, nec facile multum de iure praestantissimi scriptoris remittent ii, quibus tamen unice velis placere, viri antiquitatis vindices, et eorum, quae ab interprete optimi cuiusque scriptoris veteris praestanda sunt, probe gnari. Deinde elaborarunt multi et primarii in hoc opere artifices, post quorum aetatem quum novis curis adhuc caruerit Quintilianus, efficiendum est aliquid in hoc genere, quo et aequalium tuorum desideriis et decessorum existimationi satisfacere videaris. Huius equidem tantae expectationis magnam partem a memet amoliri, alioque me pede metiendum ostendere conabor. Qua excusatione usi

sunt summi viri, Lucilius, Cicero, Plinius, *neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle*, eadem mihi parata est. Nam nec ego « Persium curo legere ». Quot enim et quantae res, si tales animo concepissem lectores, erant ponendae in annotatione mea, quas dare non potui, quot contra omittendae quas attuli! Vt copiosiores fortasse tum facti essent commentarii mei in re Critica, ita in toto opere non dubito quin longe contractiores. Sed ego tirones potius, quibus scriberem, apud animum meum proposui; eiusmodi tamen, qui non essent indoctissimi. Opus tantae amplitudinis, quantae sunt rhetorica Quintiliani, integrum scholasticis lectionibus tractari posse, nemo, opinor, sibi persuadebit. Quapropter in conclave studiosi cuiusdam animo me contuli, cui legenti astarem, et ea, quae in variis libris ad intelligendum scriptorem essent quaerenda, ministrarem. Fateor magnam posse concipi eiusmodi studiosorum varietatem et disertius debere finiri, quibus potissimum labores meos susceperim. Sunt igitur ii et iuvenes literis dediti, qui quidem in Romanis et Graecis scriptoribus aliquantum iam profecerint, et viri non proprie in antiquitate explicanda occupati, qui quum legendum sumunt gravem quendam et elegantem scriptorem veterem, multa, ad sensus eius cognoscendos necessaria, in artis tractatione praesertim, a recentiorum usu remotae, qualis est rhetorum antiquorum, minus promta et in numerato habeant necesse est, quia aut sunt obliti, aut nunquam pro studiorum suorum ratione attige-

runt. Ita constituta et descripta lectorum, quos circumspexerim, classe, non equidem vereor ne consilio nullo nec ratione scripsisse iudicer. Quod enim morosi quidam in singulis animadversionibus interpretum haerent, cui potissimum lectori earum quaeque destinari potuerit, eam calumniam magis quam diligentiam iudicandi existimo. Neque recuso, si summo iure agatur mecum, pluscula ex iis, quae monui, aliena a proposito meo agnoscere, dum summa constet consilio. Illud saltem a me perperam esse factum nequaquam credo, quod criticae quoque rationis plerumque memor fui. Quicunque veterem librum legendum sumit, hoc apud animum suum constituat necesse est, non posse lectionem eam adeo expeditam esse et tutam, ac si in scriptore suorum temporum versaretur. Qui secus putant, ii se ludificandos permittunt eorum ignorantiae dicam an impudentiae, qui varietatem ullam scripturae in V. et N. Testamenti libris inveniri hodie etiam, in tanta criticae sacrae luce, praefracte et cum prudentiorum manifesto ludibrio negant. Neque erat pro mea religione, veteribus exemplis non addicentibus, ubique in textu ponere, quod mihi verissimum videretur. Ita factum est, ut sententiae eruendae causa, saepe ad criticas notas esset ablegandus vel is lector, qui earum omnium gratiam libentissime mihi erat facturus. Caeterum secrevi diversi generis notas, secutus doctissimorum popularium meorum, ipsiusque Gesneri, exemplum, cuius in Quintiliano summa est auctoritas. Qui igitur

meae fidei recte committere sese posse sibi videtur, neque originem et ius eius, quae in textu posita est, scripturae investigare laborat, is ne scriptas quidem existimet notas, quae textui ipsi protinus subiiciuntur. Erant autem nihilominus scribendae eae, ut harum quoque rerum curiosi, quos lectorum supra definitorum numero nequaquam eximo, haberent unde textus constitutionem, quam praetuli, cum aliorum, Gesneri in primis, ratione conferrent et iudicarent; cognoscerent etiam sicubi latens aliquod vulnus et male concretum falsam sanitatis speciem ostenderet. Haec omnia eo magis mihi fuerunt praestanda, quo plura criticae rei praesidia, nec levia illa, mihi contigerant optimorum virorum beneficio, de quibus infra dicetur.

Quintiliani vitae exponendae otium mihi fecerunt Gesnerus, in praefatione, et Ernestus in bibliotheca Fabriciana, quosque hi recensent varii auctores. Aliqua tamen ad ipsum scriptorem et magis etiam ad hoc, quod tractamus, opus spectantia restant, hic a me quoque monenda. Statim in nomine videor excusatione indigere, qui usum plurimorum post renatas literas capitalium virorum deseruerim, Quinctilianum non Quintilianum scribentium. In ipsos operis huius titulos induci haec ratio coepit, nisi fallor, anno superioris seculi tertio et nonagesimo, a Gibsono, qui quum Leidensem rhetoris nostri editionem repeteret, de suo addidit C ante T. Sed habuit ille auctores scripturae suae magnos viros et in

primis diligentes, ut Sigonium, Lipsium, Muretum, G. I. Vossium, alios; Codicem quidem MS. vereor ut ullum, in ipso nostri certe scriptoris nomine, quum in cognatis Quinctiorum, Quinctiliorum, non rara sint huius scripturae exempla. Nam quod ex Bodleiano Cod. Gibsonus in fronte operis ita signatum nomen afferre videtur, id consulto fecisse eum vix credo, quoniam de ista varietate illo loco proprie non agit. Sed negant fere in talibus auctoritatem esse idoneam Codicum MSS. quippe exaratorum ab ignaris plerumque medii aevi librariis; contra appellant lapides nummosque vetustos, certiores illos et perenniores antiqui moris testes. Etiam etymi rationibus nituntur, a quo in nominibus propriis parcius recessum fuerit, quam in appellationibus. Esse enim ἀπὸ τοῦ QVINQVE repetenda eiusmodi nomina. Sed ne marmoris quidem et aeris ponderosa sane auctoritas maiore ex parte astipulatur iis, nedum ut tota eos tutetur. Adhuc nonnisi unum lapidem, unumque idem nummum cognovi, qui QVINCTILIANVM praeferrent. Est enim hoc nomen ita scriptum in fastis Capitolinis Gruteri p. 295, et in nummo apud Patinum (in Familiis Romanis pag. 188), in gente Nonia, quorum utroque utitur Dukerus ad Liv. I, 30, 2, dum C defendit in huiusmodi nominibus. Patini quidem ipsum nummum Valens (in Familiis Romanis t. II, pag. 173) in gente Nonia exhibet signatum sine C. Neque tamen dubium quin Patini ratio vera sit, et in Valente insignis mandati negotii incuria. Vtrumque exemplum est actatis Augusteae,

cuius ego scripturam non dubito vetustam appellare et cascam prae Quintiliani rhetoris. Habes enim, ut hoc utar, etiam AIMILIVM in lapide Capitolino. Et credibile est, si quid lapidibus inciderint nummisve incusserint ad antiquum morem, non perinde in familiari usu trivisse, nisi forte quis esset Catoniani horroris curiosus. Vellem servatam esse integram inscriptionem, quam exhibet Reinesius pag. 154, quae quum referenda sit ad Caligulae tempora, expressum in ea nomen magis faceret ad scriptorem nostrum; etsi ne sic quidem confectam rem haberemus. Sed ibi nonnisi — ANO conspicitur, quamquam est verissima Reinesii coniectura, agnoscentis consulem Quintilianum e Frontino. Caeterum frequentissima sunt apud Gruterum et Muratorium exempla nominis huius litera C carentis. Quae quum videatur recentior et ad pronunciationem, etiam veterem, accommodatior scriptura, nullus dubito quin ab ipso scriptore nostro fuerit usurpata. Ita ut sentiam, movet me singularis hominis sanitas et sobrietas ab omni affectatione quam maxime abhorrentis. Vide mihi qualia praecipiat I, 6, 40, 41; II, 5, 21, et, quoniam versamur in orthographiae ratione, in primis I, 7 integro capite. Si duplex fuit scribendi mos, qui vel ad etymon et antiquissimum usum esset compositus, et usurparetur in solennibus foederum carminibus monumentorumque titulis, vel in sermone familiari frequentaretur; hoc profecto est usus in scribendo etiam nomine suo M. Fabius. Neque erat, puto, quod nobilitatem quandam, Lamiarum aemulam, in no-

minis signandi ratione vindicaret, quoniam eius rei gratia hodie etiam in vulgaribus linguis praeposterae et horridae nominum scripturae retinentur, quae causa quin apud Quinctios et Quinctilios valuerit equidem non magnopere repugno; sed Quintilianorum alia est conditio. Haec hactenus, neque excuso diligentiam in scriptoris mei nomine constituendo fortasse non nimiam. Quando autem sermo incidit de norma scribendi, quam ὀρθογραφίαν dicimus, videtur paucis ostendenda et vindicanda ea, quam ipse in hoc opere expressi. Apparebit unicuique inspicienti, me pronuntiationis et vocalitatis maiorem curam habuisse quam etymorum. Eius instituti defensionem, praeter auctoritatem Codicum plerorumque (in quibus raro quidquam simile invenias hodiernae virorum doctorum diligentiae *adscribo*, *adcurate*, *idcirco* usurpantium) multaque argumenta quae persequi huius non est loci, paratam mihi existimo in ipsius, quem edo, scriptoris doctrina. Quo in genere ad primi libri caput septimum lectorem iterum ablego; quo sunt conferenda etiam ea quae disputantur IX, 4, 36 seqq. item XI, 3, 34, 35; quamquam istis locis pronunciationem magis tractat, quacum tamen coniunctissimam demonstrat scripturam I, 7, 30; cf. nos ad III, 8, 16. Video magna ex parte obstare sectae nostrae auctoritatem et exemplum ipsius Ciceronis, cuius tamen CAVSSAM adeo religiose vindicari miror, quum DIVISSIO reiiciatur vulgo, et vix fando audita sit aequalibus nostris. Scribendi rationem diuturnitas temporis solet levigare et cum pronunciatione conci-

liare, quum iam in vulgus notum et frequentatum est omne hoc literarum usurpandarum negotium, non intra doctorum collegia coërcitum. Remittendum est aliquid de etymologico isto rigore, et eruditis quaestionibus seponendum id, quod homines illi « multum literati », quales appellat Fabius (I, 6, 21), volebant ipsi scripturae infercire, non secus ac si stemmata et prosapias verborum conderent scribentes, quum omne literarum officium praestetur reddendo fideliter quae audimus. Eiusmodi certe videtur esse sanae rationis decretum in hac causa, quod ipsum tamen cum modo, contra consuetudinem, esse sequendum Fabius docet.

Praeter ipsius scriptoris nomen, qualem operi suo titulum fecerit, investigare operae pretium est. In hoc quoque genere novasse aliquid videtur Gibsonus, ita tamen ut, si proximos decessores deserebat, veterum auctoritate non prorsus careret. Quum enim vulgo Institutiones oratoriae appellarentur hi libri, Gibsonus inscriptionem hanc comparentem in Leidensi exemplo, quod, ut dixi, repetebat, mutavit altera, quae sic habet: M. F. Qu. De Institutione Oratoria libri XII. Eam deinceps omnes expresserunt, nisi quod Rollinus Epitomae suae praefixit titulum illum antiquitus frequentatum. Vetustissimae quidem editiones, sicuti notum est, inscriptionibus carere solent. Ita in Iensoniana non nisi ad calcem primi initiumque secundi libri leguntur haec: Qu. de Institutione Oratoria liber primus finit — secundus incipit. In caeteris nihil nisi Quintiliani liber ter-

tius, etc. Tarvisina in prioribus libris habet Iensonianam illam inscriptionem, in reliquis, iisque pluribus, pluralem ponit, ut et ad calcem totius operis; cuius tamen titulum in fronte nec ipsa habet. Locatelli editio in singulis libris ostendit: De Inst. oratoria, in fine pluralem, in fronte operis inscriptione caret. Reliquae deinceps, quas quidem vidi, pluralem ponunt in titulo omnes ante Gibsonum, in singulis tamen libris variantes et ipsae. Nomen operis expressum a scriptore non memini praeter locum in epistola ad Bibliopolam, qui sane defendit Gibsonianiam inscriptionem. Neque tamen tuto inde colligas, hoc potissimum nominis impositum ab ipso esse libris hisce. Et habet alter ille titulus morem, quo se tueatur, ipsorum veterum, Institutiones appellantium libros, quibus elementa artis cuiusdam enarrarent. Credimus hoc Lactantio diserte commemoranti in fronte Institutionum Divinarum; et potest conferri Barthius, de eiusmodi titulo copiose disputans Advers. lib. II, c. 17, qui etiam Vitruvii utitur auctoritate prooemio libri septimi Architectonicas institutiones ponentis. Commode cum huiusce inscriptionis plurali contuleris titulum libri Ciceroniani, qui inscribitur: Partitiones oratoriae. Sed quum res et levis esset et confici nequiret, obtemperandum duxi recentioribus exemplis, quibus id quoque concessi, ut alicubi opus hoc diceretur Oratoriae Institutionis libri XII. Neque enim singularis sic positus abhorret ab usu scriptoris nostri qui se *institutionem* ait professum XI, 1, 5; item Hieronymus, in praefatione

in Abdiam, XII libros institutionis oratoriae appellat. Confer praeterea I, 1, 9; VIII prooem. 2; item XII, 11, 12. In Codd. MSS. nihil praesidii, quoniam inscriptionibus fere carent, nisi quod in Guelferbytano ad calcem libri primi subiicitur: M. F. Q. Institutionum Oratoriarum ad Victorium Marcellum liber primus explicit (reliquorum initia sola signantur sic: M. F. Q. liber II incipit), in Gothani vero initio sunt haec: M. F. Q. de institutione oratoria ad Tryphonem Epistola. Apud Bandinium Bibliothecae Laurentianae tom. II, p. 381—85, plerique Codd. in subscriptione pluralem, *Institutiones*, dare narrantur.

In liberis et matrimonio Quintiliani difficultas quaedam obiicitur, de qua egi ad III, 1, 21. Addam hic loci aliqua ibi praetermissa. Non sane opus est ut mutetur nomen eius, cui inscripta est Plinii epistola VI, 32; quum facile possit intelligi alter Quintilianus, a nostro scriptore plane diversus. Hoc tamen adhuc teneo, et vitae Quintilianeae rationes turbari videntur, si alteras nuptias et susceptam ex isto matrimonio filiam agnoscamus. Neque enim tam facile, quam fit a Baelio (*Bayle*) crediderim, Plinium, ubi tenue pro suis facultatibus munus praeceptori suo offert idque commendare studet, potuisse omnem disciplinae illius mentionem omittere. Quae de divitiis rhetoris nostri disputantur ad illum locum, ea, fateor, adeo tuta non sunt, quam primum videbantur. Postquam enim repetitis curis perpendi rationes Dodwellianas (quibus adde quae disputat Salmasius Exerc. Plin. p. 320), praesertim in loco

de aetate Iuvenalis, apparet huius poëtae satiram septimam vix potuisse scribi nisi sub Hadriano. Haec igitur satira quum ostendat Quintilianum affluentem opibus et consularem, eumque inter vivos adhuc versantem, facile possis adduci, ut seram credas istam opulentiam, quae seni iamque morituro supervenerit, nisi forte hoc ipso uti debebat Iuvenalis, si res ita se haberet, ad extenuandum exempli huius momentum. Coniuncta autem est haec de vita Quintiliani, ad Hadriani imperium propagata, disputatio cum altera de Consularibus ornamentis, quae per Clementem sortitus esse narratur ab Ausonio in gratiarum actione ad Gratianum p. 290 Bip. Clementis filios esse eos, quorum sibi a Domitiano curam delegatam narrat ipse Quintilianus IV, Prooem. 2, nemo, opinor, negabit, qui contulerit Suetonium in Domitiano c. 15. Ita probabile fit hunc ipsum Clementem hosce Quintiliano honores impetrasse; neque tamen praemii loco pro institutione filiorum, quoniam ii, ut recte monet Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana vetere p. 56, interemto demum patre, matre autem in exilium acta, a magno avunculo Domitiano in rhetoris nostri disciplinam sunt traditi. Habet sane quod displiceat honor iste non a discipulo quaesitus Quintiliano, sed ab eiusdem patre, et quidem antequam filium ab hoc praeceptore institutum iri nosset. Sed quid impedit, quo minus ipse Flavius Clemens, horum puerorum pater, discipulus fuerit Quintiliani eique hoc decus impetraverit, quum gratia floreret ipse apud

Domitianum patruelem? In hac ergo ratione Consularibus ornamentis condecoratum habemus rhetorem etiam antequam principes pueros educandos accepisset, fortasse antequam opus hoc nostrum inchoaret. Et sane filius eius, dum pater hosce libros componit, mortuus, « consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris admotus » dicitur a parente lib. VI Prooem. 13. Sed *pater* ille profecto est adoptivus, et ne certa quidem est scriptura huius vocis. In tanto honorum fastigio collocatus oblata a Plinio L millia nummum vix potuit non indignari, sed ne idoneus quidem videtur, qui a Iuvenale tanquam temporum suorum insigne divitis rhetoris exemplum ostentetur. Refert enim ad causam illam, quam agit poëta, dirimendam, vivere tam felicem orandi praeceptorem ea ipsa *tempestate* qua solus Caesar (Hadrianum intellige) *tristes Camoenas respexerit* (Iuv. VII, 1, 2). Alioqui enim cuius tandem est momenti, quod aliquando, sub Domitiano, dives fuit Quintilianus? Sed habet totus iste Iuvenalis locus, in quibus haereas. Olim fere VV. DD. iratum, ob negatas in opere suo laudes, rhetori poëtam videbantur sibi agnoscere; argumentis sane infirmis. Attamen, ex quo haec interpretatio vulgo reiici coepit, parum attendisse eos dicas universum huius commemorationis colorem, qui amicum et faventem Quintiliano vix arguat. An cumulata ista attributa a versu 190 ad 193 sunt serio laudantis? Nonne est irrisio in iis: « Et si perfrixit cantat bene? » Non fugit me Sat. VI, 74, turpissimis homi-

nibus diserte opponi Quintilianum, neque melius caeteris me, quo haec tenderent, perspexisse mihi sumo. Id ago, ne quis expeditum omni ex parte locum existimet, in quo tanguntur fortasse quaedam tunc in vulgus nota, quorum ad nos notitia nulla pervenerit. An forte et haec nostri scriptoris commemoratio per figuram facta est a Iuvenale, sicuti altera illa Paridis histrionis, cui Agaven suam aliaque poëmata venderet Statius? (Iuv. VII, 87 seqq.) Nam ipsum quidem Domitiani Paridem designari non potuisse a Satirarum scriptore, affatim probatum est a Salmasio l. c. e vetusto vitae Iuvenalis auctore, quem satis probabiliter coniicit ille Suetonium esse. Ita, dum Quintilianum appellat, alium istorum temporum rhetorem significavit Iuvenalis, ab aequalibus agnoscendum eum non minus, quam illum sub Paride figuratum histrionem. Et erat fortasse is eiusmodi, ut, in ipsa laudum simulatione, dicteriis peti mereretur. Si recte igitur Quintilianum nostrum removimus ex hac Iuvenalis satira, non est quod vereamur, ne propter Ausonium sit ad Hadriani tempora usque proroganda eius vita. Ea enim Dodwelli est sententia, qui consularia ista ornamenta ab Hadriano in eum collata censet propterea, quod Ausonius significet Augustum, non Caesares, quales fuerint isti Clementis filii, a Quintiliano institutum. Rectissime hanc dubitationem diluit Gesnerus in praefatione §. 11, ostendens, Senecam et Quintilianum secum comparandos negare Ausonium, quorum alter Augustum

quidem docuerit, sed Consul non fuerit creatus, alter autem consularia quidem ornamenta acceperit, sed neque Augustum instituerit, neque verus Consul fuerit. Quamquam resident aliqua difficultas in istis Ausonii: *Caesares docebantur*; sed ambigua fortasse est oratio a calamistris iis quibus eam inussit affectator eloquentiae.

Ex Hispania Romam venisse fertur noster in Chronico Eusebiano. Cui quidem narrationi Dodwellus docet multum ponderis accedere inde quod videatur Hieronymus, Chronici Graeci interpres, sua de Quintiliano hausisse ex ipso Suetonio. Monet enim hoc diserte in praefatione operis doctissimus Ecclesiae Pater, in rebus romanis auxisse se opus, quod verteret, usum Suetonii etiam libris. Iam indice operis Suetoniani de claris rhetoribus, qui non exiguo literarum commodo servatus est, quum ipsius libri nonnisi paucula fragmenta ad nos pervenerint, hoc inquam indice apparet, etiam M. Fabii Quintiliani vitam scriptam fuisse in isto opere a Tranquillo. Tantus auctor facile praegravat quidquid contra vel a recentioribus dicitur, vel coniectura alioqui satis probabili eruitur. Non est audiendus igitur anonymus vitae Quintiliani scriptor, cuius brevissima narratio solet poni in editionibus, et est in mearum quidem prima Locatelliana. Is qui sit, et unde scriptum eius primo desumtum fuerit, quum in nullo eorum, qui collati sunt, Codicum reperiri videatur, non magis quam Gesnerus habeo dicere. Nicolaus Antonius l. c. p. 60, Laurentium Vallam suspicatur,

sed ita ut aliorum quoque ante se hanc suspicionem fuisse significet (*). Quae, ut a verisimilitudine non abhorret, in tanto Quintiliani studio quantum fuisse Vallae novimus, in magnaque scripti elegantia, ita finis narrationis habet quod dissuadeat talem coniecturam. Negat enim anonymus se, quo tempore decesserit Quintilianus, velle affirmare, «quoniam is, qui tradat, fide careat.» Sequebatur ergo hic noster alium auctorem? At quem tandem illum? Curve fide eum carere ait? Id neminem adhuc quaesisse miror, neque videtur Laurentius Valla tam negligenter haec fuisse scripturus. Etiam hoc praetermissum video a tot VV. DD. qui vitam istam reciperent in suas editiones, quod Caium Caelium praeceptore Quintiliano usum narrat anonymus. Debebat saltem scribi: C. Caecilius, h. e. Plinius minor. Hic igitur scriptor anonymus, Eusebiani Chronici fidem in patria Quintiliani reiiciens, Plinianae vero epistolae credens filiam ab eodem esse susceptam, quae Nonio (non Novio) Celeri in matrimonium cederet, in neutram partem momentum facit. Dodwellus enim mira sollertia ex temporum rationibus efficit (Ann. §. 9) per octo annos cum Galba versatum in Hispania videri Quintilianum, qui sane Romae sit educatus, cuius temporis nulla rerum Romae gestarum nota in scriptis Fabii compareat. Ita Chronico (ad Olymp. 211) fides con-

(*) Bis comparet haec vita in editione Veneta 1491, quae in ipso titulo dicitur esse *cum commento Laurentii Vallae* etc. primum in fronte, deinde ad calcem operis. Priore autem loco postremis narrationis verbis continuo additur: *Sed iam ad ipsam interpretationem veniamus.*

stabit prodenti Quintilianum a Galba Romam esse adductum, patriam vero eius Hispaniam credemus huic ipsi Chronico (ad annum Domitiani 8, Ol. 216), et Ausonio (in profess. Burdegal. I, 7), et Hieronymo Vigilantium, quem insectatur, *cauponem Calagurritanum*, itemque *mutum Quintilianum* appellanti. Nostri cognomen praeterea in Hispania auditur etiam seculo quinto ineunte, in Prudentii hymno 7 peristephanon v. 152, ubi celebratur Quintilianus martyr Caesaraugustanus. Caesaraugustano autem conventui annumerantur Calagurritani, teste Plinio H. N. III, 3. Neque tamen protinus necesse, est ut natus in Hispania fuerit noster, si familia eius inde est oriunda. Effigiem Quintiliani in aliquot Codd. MSS. appictas refert Bandinius in Catalogis Florentinis. Ad Iuvenalis de Quintiliano locum in editione Henninii (1695), p. 212, adiecta est tabula exhibens virum togatum, stantem, lunatis calceis pedes indutum. Sed calceorum modo causa propositam imaginem apparet, quod eadem est apud Balduinum De calceo p. 69, et hic se mutuatum profitetur a Casalio De urbis et imperii Romani splendore, apud quem exhibetur p. 258, neque e veteri lapide, sed ficta ab ipso Casalio.

De Dialogo, qui inscribitur *De oratoribus*, *sive de causis corruptae eloquentiae*, confecta res est, neque argumentum libelli, neque auctoris aetatem convenire in Quintilianum, quam in causam aliqua annotata habes ad II, 4, 42, et afferentur plura ad VI Proem. 3. Difficilior est quaestio de Declamatio-

nibus, quae vulgo tribuuntur nostro scriptori. Eam quidem inchoare hoc loco, meae provinciae esse haud credo. Vide quae in transcursu monui ad II, 10, 6. Tantum testari liceat, orationem quidem in iis sane esse elegantem neque raro posse aliquam loquendi similitudinem animadverti intercedentem iis cum nostro opere, de qua ego in notis subinde mentionem feci. Si quid tamen in universum est statuendum, fateor mihi aeque ac Baelio (*article* Quintilien not. E), placere Petri Fabri iudicium (ad Senecae Rhet. Controv. lib. 5 praef.) negantis Quintiliano, sive ipsi nostro sive avo sive patri eius, tribuendas esse declamationes 145 ab Vgoleto, Aerodio, Pithoeo editas, magis autem faventis undevigin-ti prioribus, quae soleant coniungi cum opere Institutionum. Aerodius vicissim aequior est fragmentis istarum 145, et sunt sane earum argumenta minus ad fabulosas, quas improbat noster lib. II, l. c., praestigias composita.

Accedo ad recensendos Codices MSS. huius operis in bibliothecis servatos, quo in genere ne quis diligentiam virorum in hisce literis habitantium a me expectet, in antecessum deprecabor. Videor enim mandatum proprie meum executurus, si eorum, quos usurpare mihi contigit, non poenitendam notitiam dedero. Qualis esset Codicis Gothani conditio, Gesnerus, qui primus eum contulit integrum, satis in praefatione exposuit. Eius tamen copiam quum fieri mihi posse sperarem, adii virum mihi in primis faventem Fridericum

Schlichtegroll, Professorem et Bibliothecarium Gothanum, ut usum libri pretiosi impetraret mihi. Facile autem dedit hoc meis et amici precibus praestantissimus Geislerus, Serenissimi Ducis a Consiliis aulicis et Bibliothecae Antistes. Iterum cum Gesneriana editione contendi Codicem, ea annotans singula, quaecunque omisisset Gesnerus, in quo labore vel vilissimas varietates transcribendi taedium devorare malui, quam quidquam praetermittere. Coniectus est in chartam ingens aberrantium scripturarum acervus maximam quidem partem futilium, quum praestantiores praecepisset Gesnerus. Eas omnes lectori effundere religio fuit. Apposui tamen ubicunque aliquid momenti in iis verti crederem, monens simul si quas Gesnerus non annotasset, non eo certe consilio, ut viro praestantissimo insultarem, vel meam diligentiam, prae eius incuria, venditarem (nam stulti erat in patientissimi cuiusque mancipii stomacho gloriam quaerere), sed ut ne quis haereret ubi scripturam Gothano Codici a me tributam apud Gesnerum frustra quaesisset; quo in genere sicubi notam istam meam *tac. Gesn.* apposuerim falso, manes Gesneri libentissime mihi ignoscent. Illud ex ipsis a Gesnero positis scripturis MSti Gothani, magis tamen ex meis, cognovi, esse summam Gothani et Vossiani secundi Codicum similitudinem. Cuius rei sat multa exempla attulisse videor in notis criticis, ut cuivis attendenti observatio mea persuadeatur. Pretium vereor ne nimium libro statuatur a Gesnero. Neque enim raro, ubi par hoc Codicum a caeterorum

omnium auctoritate recedit, inveniuntur in iis scripturae minus bonae, et tales praesertim, quae, contra Codd. consensum, stent a parte vetustissimarum editionum. Huiusmodi loca sunt I, 5, 34. I, 5, 67 (etsi Voss. 2 utrobique silctur) II, 21, 6. III, 1, 5. III, 6, 24. III, 6, 32. III, 8, 12. III, 8, 31 (sed solus Gothanus memoratur). III, 8, 39. III, 8, 60. Quapropter, sicubi his solis auctoribus aliquid concessi, contra caeterorum testium fidem, erroris causa adeo manifesta mihi videbatur, ut vel coniecturae obtemperandum esset. Alterum Codicem, a me primo collatum cum, conciliante Wolfio, cui quidem viro et ego et Quintilianus meus non unum hoc beneficium debemus, mecum communicavit Langerus, dignissimus magni Lessingii in bibliotheca Guelferbytana successor, qui nullis unquam meis percontationibus, nimium frequentibus fateor et improbis, fatigari se posse ostendit. Docuit me simul vir doctissimus, librum hunc, in Italia scriptum, sibi videri procurante Nicolao Heinsio pluteis Guelferbytanis illatum, quum primum bibliothecae Budensi regis Matthiae Corvini Florentiae esset adornatus, neque tamen missus eo, quoniam picturae a miniatorum manibus nondum esset appositae. Huic autem regi Thaddaeus Vgoletus Parmensis libros ornamentaque alia Florentiae procurabat, quum scribebat is, qui narrat, Angelus Politianus Miscellaneorum capite 23, p. 36, Fac. Grut. Vol. 1. Ita satis fit probabile Codicem nostrum a doctissimo hoc viro fuisse curatum, quo non parva ipsi accedit auctori-

tas, in magno praesertim cum eo aliorum frugi Codicum consensu. Visus enim sum mihi plurimam Guelferbytani primum cum Bernensi animadvertere convenientiam, deinde etiam cum Vossianis primo et tertio. Exemplo sunt scripturae valde mirabiles III, 8, 4, ubi in hisce quatuor solis *fas* est pro *eas*, item §. 12, *postulanda* pro *postulat.* Hos ego libros e praestantioribus exemplis transcriptos existimo, quam Gothanum et Vossianum secundum. Sunt enim fere eorum scripturae doctiores, difficiliores, denique tales, quae correctorem recentioris aevi minus arguant. Quum iam omnem horum Codicum varietatem excerpsissem, facta mihi est iterum per Wolfium copia libri cuiusdam, qui videtur antiquissimis accensendus. Misit enim ad me pro ea, qua studiis meis favet, benevolentia collationem aliquot librorum e Codice in Turicensi bibliotheca reposito, olim curatam ab amico suo et auditore Sulzbergero V. R. pastore Turicensi, significans, se reliqui operis varietatem ex hoc ipso libro mihi, si videretur, impetraturum. Quae promissa quum vehementer amplecterer, conciliavit mihi virum humanissimum, quem ingenii et doctrinae elegantia, animi autem et suavitate et candore commendatissimum hic coram cognoveramus, Vlricum, Professorem Turicensem. Hic et celeberrimo amico suo et meo Quintiliani mei studio hoc dedit, ut diligenter notandas ex hoc codice singulas scripturae varietates reciperet, quorum primitias a tertio ad quinti libri finem usque ad me mittendas curavit, quo in genere, quum forte ali-

quam Sulzbergerianae collationis partem repetiissent ii, quibus hoc mandatum est, ornatissimi iuvenes, levis, sed rara, apparuit excerptarum varietatum discrepantia. Huius igitur libri et Codicis eius, qui quum dominum habuisset Petrum Francium, a collatore non immerito Almelovenianus est appellatus, quum singularem animadvertissem similitudinem, coepi plurimum tribuere eius auctoritati. Neque enim de pretio isti codici statuendo aliter sentio quam Lochmanus V. C. in programmate edito anno 1788, p. 5, qui eius et Bodleiani primas censet esse partes in Quintiliani textu repurgando. Illam autem, quam dixi, similitudinem Turicensis et Almeloveniani satis, opinor, persuadebo ei, quicumque inspexerit quae monemus ad III, 6, 10, etsi sunt plurima praeter haec loca, fortasse etiam manifestiora. Restat ut de libro Turicensi prodita a Cl. Sulzbergero communicem cum lectore. « Huius, qui in bi» bliotheca Turicensi servatur, codicis dominum ali» quando fuisse Monasterii Sangallensis Abbatem, » apparet e duabus, quae in ultima pagina leguntur, » inscriptionibus, librum hunc monasterio isti vindi» cantibus. Illatus autem est in pluteos Turicenses » ineunte hoc, quod vivimus seculo. Pelles, qui» bus est inscriptus, viliores sunt, neque integrae » nec diligenter rasae; formae praeterea literarum » magnitudine inter se maxime discrepantes; tanta » quoque corrector in hunc Codicem licentia usus » est, ut literis, verbis, integrisque sententiis textui » superscriptis insigniter eum deformaret. Eius

» vero licentiae quis illi veniam neget, qui viderit » cuius molestiae, quantique taedii fuerit labor, » quem invitus aggredi iussus est? Quem non mi- » sereat boni illius viri, qui temperare sibi non po- » tuit, quin animum tantae aerumnae impatientem » duobus hisce, quos textui superscripsit, versibus » aliquatenus levaret: «Tam male scribenti, in- » quit ille, tam denique desipienti absque exem- » plari frustra cogor medicari.» Ex ingenti men- » darum multitudine quae, nisi verborum, ver- » suum tamen numerum facile aequant, paucas, » incredibilis in librario stuporis indices, apposuisse » sufficiet: *Rubosa ruis excidimus:* rubos arvis ex- » cidimus. *Ac reluo tantibus:* ac reluctantibus. » *Duchididen:* Thucydiden. *Ancineta:* ἀσύνδετα. — » Neque vero existimes multa in emendando prae- » stitisse correctoris ingenium atque diligentiam; ut » nec ab interpretamentis, quae hic illic aspersa » sunt, multum auxilii venit: ea enim omnia, si » non absurda, certe superflua sunt. Quum v. c. IX, » 3, 56, Africano virtutem industria, virtus gloriam, » gloria aemulos comparasse dicitur, pius interpres » margini adiecit: *Tu vero, Domine, susceptor* » *meus, es gloria mea, et exaltans caput meum.* » Et alio loco (I, 5, 57), ubi Quintilianus de » *Gurdis* loquitur, citavit aliquis ex vita S. Mari » verba haec: *Audietis me ut gurdonicum homi-* » *nem.* (Hunc ipsum locum e Sulpicii Severi Dial. I, c. 27, affert Colomesius ad Quint. quapropter pro *Sti Mari* vita suspicor eum, qui haec allineret,

voluisse *Sti Martini*, quoniam Severus agit de hoc, non de illo.) Formae literarum, quum exigerentur » ad tabulas Mabillonii, et Benedictinorum in novo » opere Diplomatico, apparuerunt tales, ut Codex » posset octavo vel nono seculo tribui, infra undecimum certe vix amandari. Ex ultima vero Codicis pagina antiquitatis argumentum satis probabile confici fortasse poterit. Legitur enim in fine » titulus, cum numero anni MCCCCXLVI, cuius » scriptura cum iis literarum formis, quae eius temporis feruntur, ita convenit, ut dubium esse non » possit, quin vere ascriptus sit iste annus. Superius alia cernitur inscriptio, cuius vix singulae literae agnoscuntur. Hanc alia praecedit, quam facile » duobus pluribusve seculis antiquiorem iudices. A » qua non minore temporis intervallo distare videtur primus ille titulus, quem diximus librum » hunc Monasterio Sancti Galli vindicare. Hoc unum » denique addimus: librum hunc Quintiliani literarum initialium caeterarumque formis et colore, » scribendique compendiis satis accurate convenire » cum sacramentario quodam Sangallensi, itidem » in bibliotheca Turicensi custodito; quem librum » Martinus Gerbertus, Monasterii et congregationis » Sancti Blasii in silva nigra Abbas, in Monumentis veteris Liturgiae Alemannicae, ante seculum » certe nonum scriptum esse demonstrat (*). » Ha-

(*) Nam Tomo I, Disquisit. II, haec habet:
» Ille (liber Sangallensis) charactere ac sermone barbaro, soloecismis refertus est, qualis obtinuit, donec sub stirpe Carolingica re-

ctenus Sulzbergerus V. C. Codicem igitur tantae tamque manifestae antiquitatis (**) quum teneamus, eumque Monasterii quondam Sangallensis cimelium, quid impedit (quae eiusdem Sulzbergeri est coniectura) quo minus sit ille ipse liber a Poggio in turre Sangallensi inventus tempore concilii Constantiensis? Adest auctor Mabillonius (citante Sulzb.) in itinere Germanico p. 36 Hamb. Is inter alios libros insigniores, visos a se et tractatos in bibliotheca Sangallensi anno MDCLXXXIII, memorat « Quintiliani Institutiones in Codice peran- » tiquo, quem Poggius exscribendum accepit ex ipsa » Sancti Galli bibliotheca. » Videmus autem modo, teste Sulzbergero, Turicum translatum esse librum, huius seculi initio. Ita pulchre conveniunt omnia. Sed obstat summa Bandinii auctoritas testantis, Codicem illum a Poggio inventum servari in pluteis Florentinis. Neque enim dubitat quin hic ipse sit, quem recenset in Catalogo Codicum Latinorum bibliothecae Mediceae Laurentianae tom. II, p. 382. Miror tamen virum doctissimum nullam facere itineris Mabilloniani, in eoque illius, quem modo posui, loci mentionem. Quin enim undecimi seculi (nam eius temporis esse statuit) librum et exemplum eiusdem, transcriptum quintidecimi seculi

» florescerent literae. »,

Et paulo post:

« In eius inferiore ora ad MEMENTO VIVORVM ascriptum est: Memento » famuli tui Remedii episcopi: et congruunt characteres seculo nono, » quo vixit Remedius. »

(**) Gerkius quidem in Itinerario tom. II, p. 247, eundem profecto designat Codicem, sed seculi esse ait XIII; quo auctore non prodens.

initio, probe dignoscere potuerit Bandinius, nemo dubitabit. Nititur autem Clarissimus Bibliothecarius magnis profecto auctoribus. Primum Poggio ipso, qui variis in locis (neque tamen ea Bandinius apposuit, neque citavit) archetypon Quintiliani in bibliothecam Cosmi Medicei P. P. fuisse illatum testetur; deinde Raphaële Regio, qui haec dicat in libro inscripto: *In ducentas Quintiliani depravationes ducenta Problemata* edito Patavii 1491: « Mihi vero astipulatur vetustum illud exemplar, » unde reliqua facile crediderim fuisse descripta, » quod a Poggio Florentino e Germania allatum » nunc in magnificentissima Laurentii Medicis bi- » bliotheca spectatur. » Idem ad prima verba Epistolae ad Tryphonem similia fere monet, ubi « sic, » inquit, in vetustissimo illo exemplari quod a Poggio » Florentino e Germania olim fuit allatum, nuper » Florentiae legi. » Hic an ne voluerit quidem nisi transcriptum a Poggio exemplum significare, vel archetypon falso existimarit, equidem non dixerim. Etiam Petrus Crinitus de honesta disciplina XVIII, 2, Codicem hunc a Poggio advectum (sed e Gallia, falso) narrat. Ipse autem aliquoties initio notarum mearum Poggianum appellavi hunc librum, quum ista, propter Turicensem Codicem nata, dubitatio in mentem nondum venisset. Certe vel absque Mabillonii testimonio fuisset, verosimilius erat Codicem ab Abbate Sangallensi concessum Poggio esse potius transcribendum quam asportandum. Et de apographo testatur ipse Poggius (vid. Fabr. bibl. lat. Ern.

p. 260), sicuti monet etiam Bandinius. Quidquid id est de Menaechmis illis Codicum Sangallensium, utrumque veterrimum esse mihi plane persuadeo. Neque enim magis quam Gesnerus in Praef. ad Qu. dubito, quin Codd. Quintiliani extiterint et hodie extent Poggiano antiquiores vel ei saltem aequales. His annumero Bodleianum, Almelovenianum, Argentoratensem, cuius quo minus pleniorem notitiam daret Obrechtus, morte impeditus est; post eum vero retractavit nemo. Qualem librarii stuporem in Turicensi Codice animadverti narrat Sulzbergerus, idem comparet in Almeloveniano, cuius rei exempla quaedam collegit Lochmannus l. c. p. 6, et ipse in notis demonstravi. Verissime autem Sulzbergerus monet, multum auctoritatis Codici accedere ex ipsis hisce vitiis, quoniam qui recentioribus seculis describerent veteres libros, adeo imperiti fere non erant. His ego Codicibus sum usus, praeter eos, quorum collatio est apud Burmannum. Fuit quum affulgeret spes etiam Leidenses thesauros in usum editionis meae convertendi. Ruhnkenius enim in literis datis ad me d. 20 Oct. 1793, « Bibliotheca, *ait*, Lei-» densis tibi tot ac tanta rei bene gerendae praesi-» dia suppeditabit, ut praeterea non ita multum » requirendum videatur. Nam post editum a Bur-» manno Quintilianum in Bibliothecam publicam » venerunt duo Codd. MSS. nondum excussi, plures » MSS. collationes partim a summo viro, Io. Frid. » Gronovio, partim a Laurentio Theodoro Gronovio » factae. Denique ipse apparatum, quem Ernestus

» collegerat, care redemtum, in eandem intuli Bi-
» bliothecam. » Erat summa mihi gratificandi voluntas in Ruhnkenio, viro a nobis, quotquot per Europam veteres literas colimus, pro horum sacrorum Antistite, venerando. Neque minores ei gratias habeo, quod tantum concedere voluit homini cognito ex brevissima in docta urbe commoratione; etsi temporum nostrorum iniquitas invidit mihi hasce opes, laetiore fortasse Europae fortuna aliquando usurpandas. Eadem temporum felicior conditio expectanda est ad obtinendum aliorum, qui in ipsa Germania servari feruntur, librorum usum. Ipse enim, quum Bambergae versarer in itinere, ex indice Codd. MSS. qui sunt in bibliotheca Capituli notavi « Quintiliani
» Institutiones Oratorias, Codicem membran. seculi
» decimi. » Gerkius in Itinerario tom. I, p. 371, narrat servari in bibliotheca Canoniae Pollinganae in Bavaria Codd. membr. Quint. Sec. XIV, fol. parvo.

Ex insigni editionum, quae factae sunt scriptoris mei, multitudine non contemnendum adhibui numerum neque poenitenda exempla. Principe quidem editione (quae est Campani, curata Romae, anno MCCCCLXX) pariter ac secunda Andreana, progressa illa eodem anno, item Romae, ex officina Germanorum Pannarz et Sweinheim, carui. Campanianam quum Capperonnerius Parisiis non inveniret, communicavit cum eo aliquot locorum eius collationem Metarius, qui et in Epistola ad Clericum de antt. Qu. Edd. quaedam Lectionum specimina exhibet, nactus exemplum vetustissimi libri ex biblio-

theca Pembrokiana. Nec ullus praeterea editor hanc editionem cum textu contendit. Non ita multis abhinc annis, quum in Regis nostri aula versaretur doctissimus Imperatoris orator Revitius Comes, etiam Berolini poterat spectari hic liber, quoniam inter bibliothecae eius lectissimae cimelia servabatur, quae nunc Comitem Spencerum habet dominum, ut duo in insula veterum literarum studiosissima huius editionis exempla esse constet, dum in reliquis terris ne uni quidem editori post tria secula potiri ea contingit. Andreanam Gibsonus contulit et excerpsit, neque tamen omne tractandae ipsius desiderium exemit. Quae deinceps prima prodiit scriptoris repetitio, Venetiis per M. Nicolaum Jensonium, ea primum a Gesnero cum vulgato textu comparata, mihi quoque usurpanda est concessa ab Henricio V. C. qui praeest scholae Ruppinensi. Quum enim undecim abhinc annis civitas ista acerbissimo incendio affligeretur, etiam schola eiusque literata supellex arsit, coepitque aegre deinceps popularium et exterorum quoque beneficiis restitui. Tunc igitur per tribunum quendam legionum Borussicarum liber scholae Ruppinensi fuit impetratus, pretiosissimum munus Monachi docti in Franconia. Splendidam hanc editionem, sed a Gesnero aliisque satis superque descriptam, aeque ac Codicem Gothanum ita consului, ut quae Gesnerum vel fugissent vel fefellissent diligenter notarem. Reliquarum, quibus sum usus, indiculum hic subiiciam, pauca, ubi visum fuerit, de singularum conditione exponens.

Tarvisii per Dionysium Bononiensem ac Peregrinum eius socium. Anno D. M. CCCC. LXXXII. Die XXII mensis Octobris. F. Liber meus est.

Venetiis per Bonetum Locatellum. Anno M. CCCC. LXCIII. XVI Kalendas Sextiles F. Recte Metarius in Annal. typ. tom. 1, pag. 559, monet in hoc titulo mendose numeralibus inseri literam L. Est enim anni 1493. E bibl. Regia Berol.

Ibid. per Peregrinum de Pasqualibus de Bononia Anno domini M. CCCC. LXXXXIV. Die XVIII Augusti. F. E bibl. Regia Berol. De hac identidem monui quaedam in notis, ubi minus vere de ea sensisse videretur Ernestus in bibl. latina Fabr.

Ibid. ope et impensa Georgii de Rusconibus. A. D. M. CCCCC. XII. Die XIV Augusti, regnánte inclyto Principe Leonardo Loredano. F. Meus est liber. De hac quoque editione non usquequaque recte exponit Ernestus.

Ibid. apud Aldum. M. D. IIII (in Gesneri praefat. 1512 per sphalma) 4. E bibl. Reg.

Parisiis. In aedibus Ascensianis ad Idus Ianuarii M. D. XVI. F. E bibl. Reg. Hunc librum a se tractatum non prodit Burmannus, qui tamen identidem aliqua profert e notis Iodoci Badii Ascensii, quae potuit ex editione anni 1528 I. Bad. Asc. depromere; etsi ne hanc quidem a se usurpatam testatur. Ipse autem in primis diligenter eam contuli, quum et Codicem « quem, ut est in titulo, Laurentius Vallensis et possedisse et emen» dasse magnis argumentis convincitur » repraesentaret sola, et multas eruditissimi editoris optimae frugis notas contineret, neque ab ullo eorum,

qui novissime in Quintiliano occupati fuerunt, constanter esset consulta.

Ibidem. M. Fabii Quintiliani grammatica admodum brevis et studiosae pubi perquam utilis. 4. Venundatur in vico divi Iacobi ad signum Leonis argentei, s. l. et a. Sed his maxime temporibus videtur accensendus liber pro typorum ratione. Continet primi Qu. libri capita 4 — 9. Insigni, quod titulus praefert, insculptum est nomen: P. Viart. Meus est libellus. Memorat eundem Ern. in bibl. Fabr. Lat. tom. II, pag. 265, not. p.

Ibidem. Secunda I. Badii Ascensii editio anni 1519. F. Mirifice ea recedens a priori illa, quam modo recensuimus, et fere consentiens cum recentioribus, ut subinde animadverti in notis; caret haec repetitio notis omnibus. Est inter meos libros.

Coloniae in aedibus Eucharii Cervicorni et Heronis Fuchs. Anno M. D. XXI. mense Martio. F. Ipse titulus insignem cum secunda Badiana convenientiam, alioqui manifestam, ostendit. In harum enim editionum utraque thrasonicae iactantiae est titulus, cuiusmodi nihil conspicitur in priore Badii editione anni 1516. Tali enim hic promissor infit hiatu: « M. F. Q. I. O. L. XII una cum Declamationibus (eae autem a priore Badii absunt) argutissimis ad *horrendae vetustatis* exemplar repositis » Vides Codicem, cuius iactatur vetustas, esse Declamationum solarum; vicissim MSti Vallensis, in institutionibus adhibiti, nulla mentio. E bibliotheca Gymnasii nostri.

Venetiis apud Aldum. In titulo comparet annus MDXXII, ad calcem operis autem M. D. XXI. mense Iunuario. 4. E bibl. Reg.

Basileae, per Balthasarem Lasium, mense Augusto, Anno M. D. XLI. 8.

Ibid. apud Robertum Winter, A. M. D. XLIII. mense Martio. 4. Non est diversa a proxima, nisi quod accedunt novendecim Declamationes.

Lugduni apud Sebastianum Gryphium. 1544. 8.

Genevae. Excudebat Iacobus Stoër. M. D. XCI. 8.

Ibidem. Sumptibus Petri Chouët. M. DC. XLI. 8.

Lugduni Batav. ex officina Hackiana. 1665. 8.

Oxoniae, e Theatro Sheldoniano. 1693. 4. Edmundus Gibson, qui hanc editionem curavit, quum redderet recensionem Leidensem, cum eadem contulit tres Codices MSS. in trium Collegiorum bibliothecis repositos, itemque veteres editiones octo. Quarum tres quum et ipse tractarem, animadverti, non ubique eam fuisse in homine diligentiam, cuius spem fecerat Burmanni de Gibsoniana editione iudicium. Est igitur optabile, ut denuo sibi sumat hoc negotii aliquis e doctis celeberrimarum universitatum (quoniam Ioannensis est collegii Cantabrigiensis) viris, qui diligentius conferat tres Codices Gibsonianos simulque editionem Andreanam, de qua supra dixi. Id in primis male me habuit, quod nusquam notavit Gibsonus, in quibus potissimum locis mutili essent, quos in genere non esse integros monuit, libri Ioannensis et Baliolensis. Hic interim teneat lector, Codicem Bodleianum, cuius cum Almeloveniano et Turicensi insignem animadvertimus convenientiam (et fortasse maior appareret, si accuratius esset excussus), eandem, testante Gibsono, quam horum utrumque, ostendere librarii imperitiam.

Argentorati, ex recensione Vlrici Obrechti. 1698. 4. Obrechtus, ut supra monui, morte occupatus fuit, quo minus « peculiare volumen, quod notas » suas et praecipuos insuper eruditorum virorum » commentarios complecteretur » emitteret. Adhibuit vir doctus ad repurgandum textum opes Gibsonianas, Bodleianum praecipue, ut in epistola dedicatoria ad Gibsonum testatur, Codicem; sed et proprias dotes offert liber, quippe Codicis MS. bibliothecae Argentoratensis scripturas exhibens. Hae autem quales sint proprie, quum et coniectura sua usum se profiteatur Obrechtus, ipsa quidem editio neminem docet, et hic quoque Codex, qui videtur esse praestantissimus proximeque ad Turic. Alm. Bodl. accedere, expectat novum collatorem, qui facile potest ei contingere in urbe, ubi Brunckius, Schweigheuserus, Oberlinus tutantur nostras literas. Ex aliqua parte desiderium nostrum levavit Obrechtus praemittens textui « indicem quorundam locorum quos — emendavit. » Ipse in ea, quam dixi epistola, rectissime sentit de omni hoc negotio. Nam « Vul» nera, ait, ut sanari se patiantur, cruda sunt » tractanda et callus, quod obductis male cica» tricibus fieri solet, ad vivum resecandus. E » corruptis certe locis nullos felicius correxerit » qui arte et iudicio valet, quam qui et a librariis » imperitissime scripti et ab emendatoribus pro » desperatissimis abiecti sunt. »

Altenburgi ex officina Richteria 1773. 8. Hic ponere malui curatam ab Harlete V. C. repetitionem Rollinianae epitomes, quam suae proprie aetati reddere. Notum est Rollini institutum breviandi

Rhetoris. Editum fuit compendium hoc Parisiis 1715. 12. Monendum videtur, Rollinum nullam habuisse curam Gibsonianae vel Obrechtinae editionum.

Lugduni B. 1720. 4. Burmanni editio iustam habet in singulis locis Codicum recensionem, quos repraesentat novem, si Argentoratensem complecteris. Bodl. Bal. Ioann. Alm. Voss. 1, 2, 3, Bern. Arg. praeter quosdam raro citatos, ut Poullainii et Colbertinum. Ad hosce igitur Burmannianos quum accedant et Vallensis, a Badio usurpatus, et tres mei, efficitur numerus tredecim Codicum, quorum auctoritate adhuc nititur textus Quintilianeus.

Parisiis. 1725. F. Capperonnerius quantas poenas dederit Burmanno, a se satis proterve lacessito, etiam in vulgus notum est. Verissima est sententia Ernesti bibl. lat. II, 275, in critica ratione Burmanno inferiorem longe Capperonnerium iudicantis, caeterum eius in Quintiliano, in primis e Graecis Rhetoribus illustrando, operam non contemnendam esse statuentis. Quidquid enim maledicit et ridet in Epistola ad Claud. Capperonnerium scripta (L. B. 1726. 4.) Burmannus, rhetorices artificialis notitia, qualis erat profecto haud exigua in Capperonnerio, necessaria plane est ad interpretandum Fabium, imo ad pretium variantibus scripturis assignandum. Hanc vero dum infra se positam existimat Burmannus, scriptorem suum saepe non est assecutus. Et profecto mira est simplicitas, earum se rerum imperitum et securum profiteri, quas tractet scriptor quem edis. Vicissim Capperonnerius puerilem, an dicam ani-

lem, in hacce ῥητορείᾳ iactantiam prae se fert; sexcenties easdem explicationes ingerens, et stemmata futilissimarum notionum, magno cum strepitu, evolvens, velut ad III, 6, 86, et V, 10, 57, quem recte explodit Burmannus Epist. pag. 34. Criticam rationem plane ignorat idem, nisi sicubi notitia rerum adigit eum et cogit quasi ad agnoscendam veram scripturam, quod aliquoties ei accidisse in notis monemus. Etiam orationis latinae insignem plerumque prodit imperitiam. Duo autem sunt quae aegerrime tulerim in hoc homine, unum quod Parisienses Codices (1), quorum aditu nequaquam prohibebatur, raro, imo nunquam, consuluit, quod merito exprobrat ei Burmannus in Epist. pag. 79, ad Qu. VI, 2, 3, pag. Capp. 361; alterum quod, quum repeteret Burmannianam editionem, resecandis quibusdam animadversionibus a se improbatis, quae vix aliquot plagulas efficerent, necessitatem fecit, praeter suam, et emendae et evolvendae etiam illius.

Gottingae. 1738. 4. Gesnero quantum debeat Quintilianus, nemo ignorat; neque meum est de tanto decessore sententiam ferre.

Wirceburgi. 1782. 8. Chrestomathia Quinctiliana. Scholae suae accommodavit, notasque variorum et suas animadversiones adiecit Bonaventura Andres.

Ibid. 1793. 8. Chr. Qu. quam classibus humanioribus accommodavit notis variorum et suis, adiecta in sermone patrio appendice auxit et dilucidavit Laurentius Blass. Postremas ambas pro una recensere et iudicare visum est, etsi levis apparet diversitas. Placuit Exiesuitis Quintilianum redu-

tere in scholas suas, sed ita ut ipsum quoque Rollinum contraherent et breviarent. Mira inter huius collegii homines intercedit bonorum communio, ut ne appareat quidem, Blassii opus repetitum esse ex Andretis, nisi ei, qui hoc quoque usurparit. Philologo totum hoc institutum non magnopere probetur, ubi vetus scriptor ad formam recentioris compendii redigitur, artiumque praeceptis oneratur e popularium operibus excerptis; quod longe secus est in Rollino. Chrestomathiam *Quinctilianam*, ut vocant qui hanc epitomen adornarunt, quam recte defendant, si defendunt, exemplo Columnae Traianae, viae Appiae, legis Semproniae, nescio equidem; displicet tamen quod novare aliquid maluerunt, quam *Quintilianeum* appellare cum tot viris doctissimis, quidquid pertineret ad scriptorem nostrum. Neque magnam committendae et continuandae orationis sollertiam in hoc negotio praestiterunt, quum Fabium iuberent hunc in modum loqui: « Inde erit status, » quod — *auditor* spectandum maxime intelligit: » quod *esset* in causa potentissimum, et in quo » maxime res *verteretur*. » Frustra Grammaticus hic structuram expedire laboret, et temporis aut modi rationem reddere conetur in verbis signatis. Fabius quidem, mirus lucidi ordinis et expeditae orationis artifex, priora illa usque ad *intelligit* ponit III, 6, 9, multis vero interiectis aliis, §. eiusdem capitis 21 posteriora dicit in sensu integro, ubi praecedit: « Nostra opinio semper haec fuit » ita ut salva et elegans sit structura in imperfectis istis coniunctivi. Debebant igitur immutare haec paululum, ut latina, imo sana manerent; quod facere caeteroqui religio iis non fuit, quo-

niam *auditor* scripserunt modo pro eo, quod est apud Quintilianum *iudex*. Nunc, dum presse sequitur scriptorem epitomator Andres, iniuriam fecit disertissimo homini. Andretem vero simpliciter expressit Blassius, etsi alias deserens eundem, et plura etiam resecans.

Ex hoc, quem egi, censu editionum mearum apparet, ut bonas multas imo capitales mihi praesto esse, ita non paucis iisque magnae auctoritatis, ut Stephanianis, Vidovaei, Vascosani, Gallandi me carere, quae fortasse aliquando dominorum facilitate mihi contingent utendae. Amplissimum omnium, quotquot factae sunt, editionum indicem mecum communicavit vir rei librariae veterum scriptorum peritissimus, Bruggemannus, qui nuper, in editionibus Britannorum studio curatis, ostendit, quanto intervallo caeterorum, qui hanc spartam ornassent, industriam post se relinqueret. Commentarium adhuc diligentissimum et copiosissimum ad hoc opus composuisse mihi quidem videtur Raphaël Regius, qui si Vallae multa sublegit, quae est Badii Ascensii accusatio, manu ascriptas in Codice suo notas Laurentinas habentis, nobis tamen auctor suorum haberi debet, quoniam Laurentii Vallae illa commenta aetatem non tulerunt. Nam quod Veneta editio (1494) titulo promittit Vallam Institutionum harum interpretem, eius notae, ut monet etiam Ernestus bibl. lat. p. 269, ultra secundum librum non pertingunt. Eandem vero esse primam Vallae in hac editione notam, et Regii in

Locatelliana, quod narrat idem Ernestus, equidem non reperio. Sed rectissime animadvertit Burmannus in praef. « multa Regium emendare, quae VV. DD. in Italia in ipso Poggii Codice, satis vitioso, iam mutanda censuerint. » Ex Regio deinceps editores Fabii, quicumque aliquid explicationis adiecerunt, fere pendent; maxime Turnebus ille, ut vult audire, cuius nomen esse fictitium satis cognitum est testimonio, quod in praefatione apposuit Capperonnerius p. VI, Iacobi Mentelii, Medici Parisiensis (mortui 1690), cui similia prodit manus antiqua, visa Gesnero in exemplo horum Commentariorum, prostantium Parisiis 1756. Narrantur enim iidem paene ad verbum e Philandro esse transcripti. Huius quidem ipsius Philandri notas breves, quae sunt seorsim editae, narrante Ernesto in bibl. lat. p. 271, Lugduni 1535. 8. inspicere mihi non contigit (2), ut iudicare possem, an nihil differrent castigationibus eiusdem, quae comparent in Basileensibus meis. Sunt autem eius animadversiones profecto non proletariae. Ne Antonii quidem Pini commentarium in librum tertium usurpare potui integrum, quoniam Burmannus non nisi excerptas eius habet notas, aliis autem editionibus Pinum totum complexis careo. Neque poenitet, si vera sunt, quae de eo prodit Burmannus in praefatione. In Critica ratione omnium minime mihi se probavit Petrus Francius, de cuius coniecturis identidem, quae sentirem, libere sum professus. Neque ve-

reor hanc mihi libertatem pro aliquo piaculo exprobratum iri. Magni sane facio virum, Latini, imo Graeci, carminis non poenitendum artificem, quem praesertim nostrorum principum, velut Friderici Gulielmi magni, res gestas nostraque instituta, velut Academiam Fridericianam, vel praecipue celebrantem, etiam caritate quadam patriae exosculari debeam. Sed diligentia, si quid video, et acumine in alienis sensibus perspiciendis et divinandis caruit homo poëtici magis caloris, quam criticae accurationis. Tot autem eruditorum laboribus in meo scriptore collocatis, fieri non potuit, quin plurima iam satis explanata reperirem. Quo in genere nihil ultra lectori debebatur a me, quam ut hasce opes quam religiosissime in eius commodum converterem. Et recte videor me tueri Quintiliani mei dicto: « Pravum est quoddam studium nihil eorum quae prior aliquis occuparit dicendi; quae ambitio procul aberit a me. Dicam enim non utique, quae invenero, sed quae placebunt» II, 15, 37, 38.

Praeter editiones iustas scriptoris mei, affuerunt mihi etiam quidam eruditorum libelli, quibus eiusdem interpretationes continerentur. Ex quibus si qui me latuerint, magnas ei habebo gratias, qui mihi eorum notitiam voluerit impertiri. Neque dubito, quin multae singulorum locorum explicationes in aliorum scriptorum editionibus obiter propositae, industriam meam effugerint. Lochmannus V. C. professor Coburgensis, cuius supra iam a me

facta est mentio, aliquot prolusionibus suis illustravit Fabium. Eas penes me esse omnes mihi persuadeo. Sunt autem quinque annorum 1776, 78, 88, 89, 90. Huius viri et diligentiam et eruditionem saepe agnovi; fuit etiam ubi praereptam aliquam coniecturam dolerem. Sed lectoris non refert, si quid veri est inventum, utrum hoc plures deinceps ipsi viderint, an unus semel monstrarit. Plurimum conduxit mihi labor I. C. T. Ernesti, Professoris Lipsiensis, qui utriusque linguae technologiam, quam vocat, rethoricam singularibus libris persecutus est. Maior quidem huius voluminis pars typis etiam expressa erat, antequam ad me perferretur rhetoricae Romanae lexicon; apparebit tamen legendis notis meis, quantum utrique operi debeam. Gedoyni Francogallicam, et Henkii V. R. Germanicam Quintiliani versionem inconsultas non praetermisi, magis tamen adhuc occupatus in illa, quoniam hic non nisi exiguam priorum librorum partem in epitomen suam contulit. Sic brevissimam scriptoris mei particulam a Gedikio V. Celeb. patrio sermone redditam in libro cui titulum fecit *Aristoteles und Basedow*, comitem habui laboris mei, sed, quod dolebam, parum diuturnam. Evolvi etiam Italicam Fabii versionem, editam Vercellis 1780 a Garillio, Taurinensi, sed cito abieci, quum eas, quas titulus pollicebatur, notas nonnisi ex vulgaribus editionibus corrasas viderem, agnoscerem vero, imparem profecto ad hoc opus accessisse, qui palmariam illam Argentoratensis Codicis scripturam III, 7, 19,

ubi *Irus* reponitur, hac annotatione instruxisset dicam an inquinasset: « *si crede* (o simplicem narratorem, qui nullum suum interponat iudicium!) *che il testo sia sconciato.* » Adeone ignorabat Irum, ut miro ἐρμαίῳ sanatum locum etiam corruptum crederet, quoniam sane Capperonnerius, ex quo fere pendet, ad Homerum non ablegabat, quod modo in Thersite fecerat?

Dum vero priorum in scriptore meo errores libere noto, non sum ignarus quantam ego vicissim reprehendendi materiam sequentibus reliquerim. Quam ut, pro virili parte, praesumam et minuam, ea quae inter preli moras posterioribus curis melius perspexisse videor, age percenseamus. Ponam varias quoque scripturas meorum librorum insigniores, suis locis a me praetermissas.

(Has autem varias lectiones et explicationes suis quamque locis reposuimus; quapropter hic silentio sunt praetereundae.)

Sed manum de tabula. Habes satis longam peccatorum indicem, licet minus densum illum in postremis hisce, quippe nondum « refrigerato inventionis amore. » Quae tamen hic sunt repetita et retractata, aeque ac typographi errores, leves plerosque, quamquam nimis multos pro diligentia, quae in corrigendis plagulis adhibita est summa, ut percensere ne graveris, antequam ad ipsum opus legendum accedas, impense te rogo, lector benevole, cuius quidem iudicio iam me meosque labores va-

lens permitto. Reliquos Quintiliani libros continuo me daturum spero. Interim scito, prelo subiectum fuisse Bipontinum scriptoris mei exemplum, in quo si, nunc mutandis nunc retinendis sententiarum diremtionibus, plus etiam, quam indicavi, est turbatum, veniam peto. In margine interiore notatae sunt paginae Burmannianae. Dum vero ipsa haec praefatio typis exprimitur, effigiem nummi illius Patiniani, habentis nomen Quintiliani, de quo supra dixi, mecum communicavit vir eruditus, literisque iuvandis semper intentus, Kirchhof, Senator Hamburgensis, concessam sibi ab illustrissima doctissimaque Comite Bentinckia, ipsius nummi domina. Apparet ibi os Augusti aliorsum, quam in Patini effigie, spectans, videlicet sinistrorsum illud convertitur. C autem satis manifesto agnoscitur in nomine, quamquam aliqua est literarum obscuritas (3).

---

EDITOR TAVRINENSIS.

Ad folium explendum libet hic reponere animadversiones quasdam ad Spaldingii praefationem, excerptas ab nostri scriptoris editione, quam Cl. Dvssavlt Parisiis curavit.

Pag. xjv, vs. 7. *Affectator eloquentiae*) His quae fuse et eleganter disseruit Spalding nobis liceat summam Dodwellianae sententiae de Quintiliano subiicere, quam ex nupera Iuvenalis editione a N. L. Achaintre ann. 1810 literis bonis oblata excerpemus (t. I, p. 290): « Ita, Quintilianus noster, si verae sunt coniecturae, a Galba primum schola publica

et stipendio publico, sed mediocri donatus, deinde a Domitiano nepotibus suis instituendis praefectus, sed parvis cum emolumentis, et modicus sub Traiani imperio, ab Hadriano, sub finem vitae suae, ad opes et potentiam subito, ac per breve tempus evectus est. Quod exemplum, si fortunae tribuit Iuvenalis, neque virtuti neque doctrinae viri, non ideo invidiae nota ei inurenda est; nam, et hoc themati suo conveniebat, et, reipsa, singulari quodam fato contigit, ut ille qui, dum scriptis suis et scientia Romanos illustraret, modicus fuit per septuaginta annos, tandem quum a vivis excessurus videretur, in eo ipso Hadriano, quondam privato et discipulo suo, generosum fautorem atque fortunae iniquae emendatorem reperiret.

Pag. xxjjj, vs. 6. *Infra undecimum* etc.) Descriptio huius Codicis haud satis accurata videtur, pace tanti viri dicamus. Ab octavo enim saeculo ad undecimum, adeo diversam se ostendit characterum forma, ut difficile sit viro perito et attentius consideranti vel inter duo saecula haerere. Ex mendis quae h. l. signantur, et ex insulsa glossarum serie, etsi non inspexerimus, tamen hunc Codicem undecimo, vel forte duodecimo saeculo assignandum putamus. Nostras coniecturas firmant trium inscriptionum Codicis huius memoratarum descriptio (vid. Praef., p. 23), quarum ultima a prima quatuor tantum saeculis recedit. Scil. ultima habet MCCCCXLVI; penultima legi nequit; ergo nulla fit; tertia duobus saeculis distat, et haec a prima totidem. Porro si a MCCCCXLVI, CCCC demas, habebis undecimum, non octavum, nec etiam nonum saeculum. Gerkius, infra citatus ab ipso Spalding, pagina sequenti 24, not. (**), eadem fere ac nos iudicat, et nobis Bandinius ibidem consentit. Vide criticum Nostratem supra citatum, qui Codd. Parisinos eorumque notas et differentias luculenter descripsit in sua editione Iuvenalis, t. II, p. 33-50, et p. 75-112.

Pag. xxxjv ad signum (1) *Vnum quod Parisienses Codices*) De iis quae a V. C. Spalding Nostrati *Capperonnier* obiiciuntur nihil h. l. dicemus, sed alias forsan. Quod autem Burmannus ei vitio verterit Codicum Regiorum nostrorum contemptus, sin iniusta, tamen nimia videtur reprehensio. Exigua enim est et pauper in hac parte nostra bibliotheca, etsi in aliis ditissima et amplissima. Ex paucissimis (13 numero) Codd. Quintiliani, nullus ante quartum et deci-

mum saeculum retro ascendit. Horum quatuor primi cum Ioannensi et Bernensi consentiunt, alii sunt infimae notae. Nil mirum igitur si hos parvi fecerit vir caeteroquin doctissimus, quippe quos sciret nulla luce nova affulgere.

Pag. xlj ad signum (3) *Quamquam aliqua est literarum obscuritas*) Vel noster criticus *Vaillant* parum studiose hunc nummum descripsit, vel alium vidit h. modo signatum, quod non mirum esset: nam non adeo certa est nummorum et marmorum orthographia, quin eodem saeculo pro peritia vel inscitia artificum variaverit. Quidquid id est, exemplar sat bene conservatum nostri Cimelii regii hoc loco describemus.

CAESAR. AVGVST. PONT. MAX. TRIB. POT.

Caput Augusti nudum dextrorsum conversa.
Ex aversa parte:

SEX. NONIVS. QVINCTILIAN. III. VIR. A. A. A. F. F.

In area S. C. Aereus iste nummus, mediae formae, et inter monetales Augusti recensendus.

## NOTAE EDITORIS

Pag. xxjv, vs. 10. MDLXXIII) Ita legitur in Edd. Lips. et Paris. At eo tempore nondum in vivis versabatur Mabillonius. Ex Niceronii Biographia germanum numerum MDCLXXXIII restitui. Ed. Tavr.

Pag. xxxvjj ad signum (2) *Inspicere non contigit*) Non est profecto cur Cl. Interpres desideret Philelphi annotationes inspicere, quas prae manibus teneo. Specimina sunt quaedam futurorum commentariorum, ut praefert titulus. Versantur ut plurimum in indicatione auctorum, ex quibus Quintilianus aliquid usurpavit. Aliquot praeterea lectionum varietates exhibent minimi aut nullius momenti. Totus liber constat pag. 85, forma 8.°; adiunctus est Quintiliani editioni, quam Gryphius anno 1536 edidit. Id.

M. FABII QVINTILIANI

# ORATORIAE INSTITVTIONIS

LIBRI XII

## ARGVMENTVM LIBRI I.

*Editionis festinatio. Ep. ad Tryph. Occasio scribendi.* Prooem. 1 — 3. *Ambitus materiae* — 6. *Dedicatio* — 7. *Pristini de eadem re libri* — 9. *A philosophis res repetuntur* — 17. *Oratoris perfecti exemplar* — 21. *Operis descriptio* — 23. *Qui futurus et docendi et dicendi modus* — Cap. I. *Nutrices* — 6. *parentes, matres, servuli* — 8. *paedagogi* — 12. *Graecus sermo, Latinus* — 15. *Aetas discendo par* — 20. *Infantes quomodo docendi* — 24. *Legere* — 27. *Scribere* — 31. *Legendi nulla festinatio* — 35. *Quae prima scribenda* — 37. *Pronunciatio exercenda* — Cap. II. *Vtrum domi an in frequentia scholarum* — 4. *Corrumpi mores* — 6. *Domestica corruptio* — 9. *Profectus in scholis* — 17. *Commoda scholarum. Vsus hominum* — 20. *Amicitiae, aemulatio* — 23. *Mos suorum praeceptorum* — 26. *Modus imitationis et institutionis* — 29. *Praeceptorum ardor* — Cap. III. *Ingeniorum experimenta* — 3. *Praecocia non placent* — 6. *Tractandorum ratio* — 8. *Remissio, lusus* — 14. *Castigatio* — Cap. IV. *Grammatica* — 7. *Literarum inquisitio* — 13. *Mutatio et declinatorum et rectorum* — 17. *Partes orationis* — 22. *Nomina* — 27. *Verba* — Cap. V. *Emendate loquendi regula* — 2. *Verba singula nostra* — 4. *Euphonia* — 5. *Barbarismus* — 8. *in gente* — 9. *in animo* — 10. *Grammaticae* — 17. *Vitia pronunciandi, de aspiratione* — 22. *Accentus* — 25. *An in ultima unquam* — 30. *Legitimus* — 32. *Vocis vitia* — 34. *Soloecismus. An in verbo* — 37. *in gestu* — 38. *Eius species* — 41. *Per omnes orationis partes* — 42. *Dualis an in latinis* — 45. *Ceterae partt. or.* — 48. *Earum commutatio* — 52. *Schemata* — 54. *Alia specie soloeca, non re* — 55. *Peregrina* — 58. *Graeca, immutata* — 65. *Compositae voces* — 71. *Propria, translata, usitata, nova* — Cap. VI. *Sermo* — 4. — *Analogia* — 12. *Eius defectus* — 28. *Etymologia* — 34. *eius abusus* — 39. *Vetustas* — 40. *Modo opus in ea* —

42. *Auctoritas* — 43. *Consuetudo* — Cap. VII. *Orthographia* — 2. *distinguit dubia* — 7. *Praepositionum coalescentium* — 9. *Dividendi* — 10. *Litera K* — 11. *Ortographiae consuetudo. Vetustissima tempora* — 20. *Ciceronis, aliorumque* — 28. *A pronunciatione diversitas* — 30. *Iudicium* — 32. *Defensio suae docendi rationis* — Cap. VIII. *Lectio* — 2. *Qualis* — 4. *Quorum* — 8. *Latini veteres* — 13. *Grammatici in praelegendo partes* — 18. *Enarratio historiarum, cum delectu facienda* — Cap. IX. *Dicendi primordia* — 2. *Aesopi fabellae* — 3. *Sententiae; chriae* — 6. *Narratiunculae poëticae* — Cap. X. *Caeterae ante rhetorem artes* — 2. *An necessariae* — 9. *Auctoritas veterum pro musica* — 12. *Exempla* — 16. *Natura rei* — 17. *Cum grammatica commercium* — 22. *Quid ex ea petat orator. Vocis ratio* — 26. *Corporis motus* — 27. *Vtilis oratori ostenditur* — 31. *Sed qualis* — 34. *Geometria, in causis versatur* — 37. *Maior cum arte or. cognatio. Ordo* — 38. *Probatio certa* — 39. *In paradoxis* — 46. *Astronomia* — 47. *Exempla* — 49. *Facillima in multis rebus probatio geometrica* — Cap. XI. *Comoedus pronunciationem futuri oratoris praeparet, sed cum modo* — 4. *Oris vitia corrigat* — 9. *Faciei* — 12. *Certi ex comoediis loci* — 14. *Oratorum quoque ediscendi* — 15. *Palaestra* — 17. *Chironomia* — Cap. XII. *Posse haec simul fieri, ipsa natura poscente* — 3. *Exempla* — 8. *Pueri laboris tolerantiores* — 14. *Quare nimia haec videantur aequalibus* — 19. *Conclusio libri.*

# M. FABIVS QVINTILIANVS
# TRYPHONI
## SALVTEM

Efflagitasti quotidiano convicio, ut libros, quos ad Marcellum meum de Institutione oratoria scripseram, iam emittere inciperem: nam ipse eos nondum satis

*Tryphoni Salutem*) Inserunt pleraeque edd. *bibliopolae*. De hoc vocabulo recte dubitat Gesn., quia vix romanum videatur professionis id genus nomen ponere in titulis. Abest a Guelferbytano, Gothano, et vett. edd. Loc. Rusc. Bad. Cervicorni. Iensonius perversa ratione ipsi Marcello Victorio hanc epistolam inscribit, sic: *Fabius Quintilianus Victorio salutem*. Inde esse videtur quod Cod. Bodl. scriptoris nomini addit *Victor*. — Quod dixi *bibliopolae* appellationem abesse a Guelf., praeterea animadvertendum est, in isto Codice, sicuti in edit. Iensn. nullam ne *Tryphonis* quidem comparere mentionem, sed hoc esse initium totius operis: *Quintilianus Victorio*. (Ita SPALD. in praef. Lips. pag. 72).

*Tryphoni*) Meminit eius Martialis l. IV, Ep. 72: *Exigis, ut donem nostros, tibi Quinte, libellos. Non habet bibliopola Tryphо*. Item l. XIII, Ep. 3.

*Convicio*) Cave, de iniuria cogites. Sic Cicero Epp. ad Qu. fratr. l. II, ep. 11: *Epistolam hanc* convicio *efflagitarunt codicilli tui*; ib. ep. 12: *tantum fuit frigus, ut populi* convicio *coactus sit* (consul) *nos dimittere*. De his ad Qu. fratrem locis vide Manutium in Commentario. Ad Divers. l. XII, ep. 25: *Itaque crebras vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, seque in urbem recepit invitus: neque solum spe, sed certa re iam et possessione deturpatus est meo iustissimo, honestissimoque convicio*. In quo loco attende, variatum esse, *convicium* dicendo pro *compellationibus*, quae *quotidianae* fuerant, ut hic *quotidianum convicium*. Interpunctionem autem loci postremi habet Ernestus ex vet. ed., qualem ad Quintilianum proposuit Capperonerius. Etiam pro Cluent. cap. 27 manifestum exemplum: *convicium maximum fecit ne iretur*, ubi est pro eo: *maximopere contendit, poposcit*. Plin. Epp. l. V, ep. 11, *convicium* tamen plane quale nostrum, ad libros emittendos, opponitur *blanditiis*. SPALD. — *Convicio*. Per convicium intelligit acerrimas preces, et quasi exprobrationes. *Convicium* quasi multae simul voces. ROLLIN.

opinabar maturuisse: quibus componendis, uti scis,
2 paulo plus quam biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi: quod tempus non tam stilo, quam inquisitioni instituti operis prope infiniti, et legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Vsus deinde Horatii consilio, qui in arte poëtica suadet, ne praecipitetur editio,

— *nonumque prematur in annum*, *

dabam iis otium, ut refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos tanquam lector perpenderem. Sed si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, permittamus vela ventis, et oram solventibus bene pre-
3 cemur. Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.

*Stilo*) Scribendi labori. De orationis indole enim non cogitandum.

* *In arte poët.* v. 388. — *Prematur*, domi contineatur.

*Oram solventibus*) *Oram* funem nauticum esse, quo navis alligetur, satis apparet ex locis Livianis l. XXII, cap. 19: *Vixdum omnes conscenderant, quum alii resolutis* oris *in ancoras evehuntur* etc. Lib. XXVIII, 36: *trahunt scalas*, orasque *et ancoras — praecidunt*. Consule ad ista loca Drakenborchianam editionem. Item noster l. IV, c. 2, §. 41: *solvimus oram*, neque ibi quidquam variatur ab Aldo et Codd. Scita est observatio Gesneri in Thesauro, videri usum vocabuli fuisse plebi et ipsis nautis peculiarem, ut propter id ipsum esset rariot apud scriptores.

# M. FABII QVINTILIANI ORATORIAE INSTITVTIONIS

## LIBER I.

### AD MARCELLVM VICTORIVM PROOEMIVM

Post impetratam studiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis iuvenibus impenderam, quum a me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus: quod auctores utriusque linguae clarissimos

*Quietem quae*) *Quietem quam.* Goth. tacente Gesnero, sed Guelf. recte *quae.*

*Ad Marcellum Victorium*) Ad hunc epistolam scripsit Statius Sylv. l. IV, carm. 4, qui et ipsum eum sylvarum librum ei dedicavit, praefatione pedestri. Discas e carmine Statiano, eum eloquentiae forensis laude clarum fuisse, gratiosum apud Domitianum, magnisque rebus gerendis, etiam bellicis, paratum; et, quum ipse iuvenis esset h. e. annum 35 nondum supergressus, habuisse filium, ex generosa uxore susceptum, nomine Gallum, qui, patri valde dilectus, ingenio et favore principis ad summos quosque honores posset aspirare.

*Per viginti annos*) Expressa fuit omnis haec ratio muneris doctoris publici, qualis primus fuit noster, ad similitudinem stipendiorum; ut post viginti stipendia docendi, sicut post totidem militaria, missionem honestam impetrarent doctores, qui mos in legem abiit. Vid. Iustiniani Cod. XII, 15.

*Vtriusque linguae*) *Docte sermones utriusque linguae*, Hor. Od. III,

non ignorabam multa, quae ad hoc opus pertinerent,
2 diligentissime scripta posteris reliquisse. Sed qua ego
ex causa faciliorem mihi veniam meae deprecationis
arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis: quod
inter diversas opiniones priorum, et quasdam etiam
inter se contrarias, difficilis esset electio: ut mihi, si
non inveniendi nova, at certe iudicandi de veteribus,
3 iniungere laborem non iniuste viderentur. Quamvis
autem non tam me vinceret praestandi, quod exige-
batur, fiducia, quam negandi verecundia: latius se
tamen aperiente materia, plus quam imponebatur one-
ris, sponte suscepi; simul ut pleniori obsequio deme-
rerer amantissimos mei; simul ne vulgarem viam in-
4 gressus, alienis demum vestigiis insisterem. Nam caeteri
fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt
exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae
summam inde eloquentiae manum imponerent: sive

*Demererer*) *De me mererer* Goth. (tac. Gesn.) — *Summam inde eloquentiae manum.* Firmata haec scriptura sat multis libris, quibus accedit Guelf. et talem invenit Regius, qui primus ex *eloquentiae* ultimam vocalem *e* abrasit. Nimirum *in*, quod erat compendium pro *inde*, male interpretabatur. Cf. Drakenb. ad Liv. X, 26, 6. Sic orta, quae ante Gesnerum recepta erat, lectio: *summam in eloquentia manum.* Editio Veneta, apud Ge. de Rusconibus 1512, miram exhibet loci constitutionem *summam eloquentiam manum*: Fortasse mero operarum errore; etsi *correctiorem* eam priori, anni 1493, dicit Ernestus Fabr. Bibl. Tom. II, p. 268. Falso sane, ut pluribus exemplis intellexi. Prae recepta a nobis, quae ferri sane potest, arridet Burmanni coniectura: *eloquentia — imponeret.*

8, 5 et ibi Bentleius. Cic. de Off. I, 1: *par sis in utriusque orationis facultate.*

*Demum*) Plane pro *tantum*, temporis significatione obliterata vel evanescente. Sic saepe apud nostrum et alios eiusdem aetatis. Etiam Paulus e Festo (p. Dac. 117): *Alii* demum *pro* dumtaxat *posuerunt.* Vid. et Ruhnkenium ad Rutilium Lupum p. 67.

*Summam inde eloquentiae manum*) Genitivo, non dativo casu accipienda vox *eloquentiae*; dativus est in *perfectis. Inde* autem pro *deinde* quod frequens apud Livium. Vid. Drakenb. ad Liv. XLII, 55, 6.

contemnentes tanquam parva, quae prius discimus, studia, sive non ad suum pertinere officium opinati, quando divisae professionum vices essent; seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Ego, quum nihil existimem arti oratoriae 5 alienum, sine quo fieri oratorem non posse fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis, perveniri; ad minora illa, sed, quae si negligas, non sit maioribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter quam si mihi tradatur educandus orator, studia eius formare ab infantia incipiam. Quod opus, 6 Marcelle Victori, tibi dicamus: quem, cum amicissimum nobis tum eximio literarum amore flagrantem, non propter haec modo (quamquam sunt magna) dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore iudicabamus; sed quod erudiendo nato tuo, cuius prima aetas manifestum iter ad ingenii lumen ostendit, non

*Minora illa*) *Maiora illa* Guelf. Sic etiam in suis inveniebat Regius, qui correxit; sed satis multi Codd. eius emendationem agnoscunt.

*Nato*) Negant *natum* pro *filio* ab aliis quam Poëtis dici; Regium autem in suis ad Quintilianum problematis (*Dialogo* sine dubio *de quibusdam Quintiliani locis*, Venetiis 1490 edito) memorare codicem, ubi *Getae* viderit pro *nato*, refert Pithoeus. Debebat saltem pro *Getae* scribi *Gallo*, quod fortasse corruptum fuerit in *gnato*, *nato*. Cf. v. c. Cic. ad Div. I, 9, *Lent. tuo*. Nost. VI Prooem. 9, *Qu. mei*. Si ullus Cod. praeferret hoc, nemo facile contemserit; quamquam de usu illo τοῦ *natus* nonnisi poëtico non est confecta res.

*Manifestum iter ad ingenii lumen*) Non fuit observatum in Aldina secunda *diligentius recognita*, ut praefert titulus anni 1521, esse: *manifestum iam ingenii lumen*, quum in priore anni 1514, sit recepta. In Almelovenii Codice itidem *m. ingenii lumen*, omisso *iter ad*, sed et *iam*, quod pro eo est apud Aldum. Apertior sane et simplicior sententia sine istis *iter ad*, sed praegravat auctoritas et numerus Codd. et excusorum.

*Ad ingenii lumen*) Ad eloquentiam; apposite enim Regius citat Ciceronis locum in Bruto c. 15: *Vt enim hominis decus, ingenium*, sic ingenii

inutiles fore libri videbantur, quos ab ipsis dicendi velut incunabulis, per omnes, quae modo aliquid oratori futuro conferant, artes, ad summam eius operis per-
7 ducere destinabamus; atque eo magis, quod duo iam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricae, neque editi a me, neque in hoc comparati. Namque alterum, sermone per biduum habito, pueri, quibus id praestabatur, exceperant: alterum pluribus sane diebus, quantum notando consequi poterant, interceptum, boni iuvenes, sed nimium amantes mei, temerario
8 editionis honore vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adiecta, omnia vero compositiora, et, quam nos pote-
9 rimus, elaborata. Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest; ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes
10 animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae (ut quidam

*Dicendi*) In huius vocis varietate notanda operae Gibsoni videntur errasse. Quum enim sit in eius textu, quod in omnibus fere ante eum, *dicendi*, excerpta in extremo margine posita iterum exhibent *dicendi*, ut probabile fiat, eum supra voluisse dare *discendi*. Posterius habet Gothanus et, nisi fallor, Vossianus secundus, quamquam apud Burm. ita scribitur: *discendi*) *dicendi* Voss. sec. quum tamen ipse receperit Burm. *dicendi*, in quo errorem typothetae suspicatur Gesnerus. Vt credam *discendi* esse in Voss. 2, facit mirus in caeteris, de quo alibi, huius Codicis cum Gothano consensus. Praefero autem *dicendi*, quia ipsa puerorum disciplina, ipsum *discere*, bene appellatur *dicendi incunabula*; Grammatice enim futuro oratori, quod viro futuro cunae. Cf. I, 1, 21. Tam aptam in scriptura, quam recepit Gesnerus, *discendi incunabula*, imaginem non agnosco. Guelf. et Bodleianus cum tot, de quibus tacetur, Codd. et edd. plurimis defendunt *dicendi*; etsi in vocibus his *dicere* et *discere*, quarum frequentissima confusio, non magna est Codd. auctoritas. Cf. Plin. Epp. III, 5, 5: *Or. ab inc. instituit.*

*ipsius* lumen *est eloquentia*. Et potest videri eo respexisse Quintilianus, si modo sana est apud ipsum scriptura.

*Compositiora*) Hic de illa, quam post haec tractabit, (l. IX, cap. 4) *compositione*, seu numero oratorio, non est cogitandum, *compositiora* sunt magis ordinata, in unam compagem commissa.

putaverunt) ad philosophos relegandam: quum vir ille vere civilis, et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto, quam orator. Quare, tametsi me fateor 11
usurum quibusdam, quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de iustitia, fortitudine, tempe- 12
rantia, caeterisque similibus sit disserendum, et adeo, ut vix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua quaestio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda: dubitabitur, ubicunque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse praecipuas? Fueruntque haec, ut Cicero apertis- 13
sime colligit, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam ut primum lingua esse coepit in quaestu, institutumque eloquentiae bonis male uti, curam morum, qui diserti habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta, infirmio- 14
ribus ingeniis velut praedae fuit. Inde quidam, contemto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitae leges regressi, partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt: nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiae

*In quam*) Goth., non, ut Gesn. ait, *quae*, sed *qua*, cum aliquot edd. quarum est et Rusc. postquam Locatelli 1493 recte dederat *quam*. — *Viderentur*) *Iudicentur* cum Goth. et Bodlei. etiam Guelf. male. In Aldina priore etiam hoc, sed in secunda, *viderentur*, unde tamen Gibsonus per errorem affert *iudicentur*.

*Cicero*) De Oratore lib. III, cap. 15.

*Inertia factum — ut artes*) Consulto sane lusit in hac alliteratione.

studiosi vocarentur: quod neque summi imperatores, neque in consiliis rerum maximarum ac totius administratione reipublicae praeclarissime versati, sibi unquam vindicare sunt ausi. Facere enim optima, quam promittere, maluerunt. Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et ut praeceperunt, etiam vixisse, facile concesserim: nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a caeteris habitum pessimis moribus praetendebant. Haec autem quae velut propria philosophiae asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim non de iusto, aequo, ac bono (modo non et vir

*Haec*) Sic Alm. Poullainii, Bodlei. Voss. 2, 3, et Goth. Codd. Ald. utraque et Obrechtus fortasse e Codice Argentoratensi. Plerique et ipse Gesn. *Nunc.* Lochmannus V. C. in programmate Coburgi 1788 edito p. 7 rectissime monet, quum paulo ante praecesserit *nostris temporibus*, adverbio *tempus* significanti nullum esse locum. Et plane ad alia, quam adhuc tractabat, argumenta se convertit Qu. disputatio; videlicet, quam communia sint ea, quae sibi soli arrogent philosophi.

*Promittere*) Idem hoc quod *profiteri*, ἐπαγγέλλεσθαι, unde etiam mox *professorum* mentio: dicitur autem de iis qui studium aliquod aut artem praeseferunt.

*Tristitiam*) Proprium vocabulum de affectata morum severitate. Sic Iuvenalis in eorundem irrisione: *Quis enim non vicus abundat* Tristibus *obscenis*, Sat. II, 8, 9; et noster II, 1, 34 barbam et *tristitiam* iungit, agens iterum *de ostentantibus ex professo philosophiam. Praetendebant* pulchre hic ex ipso etymo dictum. Caeterum invidiam facit philosophis h. l. sane non sine consilio placendi Domitiano, qui eos et urbe et Italia expulerat; qua de re liberius fuit Sulpiciae Poëtriae iudicium in Satyra; sed et tutius, interemto fortasse tyranno scribentis, vel carmen edentis. Ex Dodwellianis quidem rationibus (Annal. Quint. §. 26), ante illud Domitiani edictum, finitum iam erat totum hoc opus. Non tamen satis grave videtur argumentum, post tale edictum rethorem nostrum, tam proclivem Domitiani assentatorem, philosophiam et ipsos philosophos, Socratem v. c., non fuisse laudaturum. Volebat sane videri Domitianus philosophos, tanquam viros malos, proscribere, non ipsam philosophiam odisse.

*Modo non et vir pessimus*) Sic, ut feci, uncis inclusa, haec videntur satis posse intelligi. Qui transponunt *modo*, ut sit statim post *enim* pro *non*

pessimus) loquitur? quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quaerit? nam verborum proprietas ac differentia, omnibus, qui sermonem curae habent, debet esse communis. Sed ea et sciet optime et 17
eloquetur orator, qui si fuisset aliquando perfectus, non a philosophorum scholis virtutis praecepta peterentur. Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriae artis, meliorem praesertim, occupaverunt, et veluti nostrum reposcere: non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus. Sit igitur 18
orator vir talis, qualis vere sapiens appellari possit: nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quamquam sint qui dissentiant, satis non est)

quod expungunt, a Codd. non adiuvantur. Sensum autem receptae hunc puto: Omnes de iusto etc. loquuntur; utinam ne pessimi quique etiam facerent. Fateor *non* post *modo* in optando non adeo aptum esse. Sed post *utinam* ipse Cic. ad Attic. II, 9: *Vtinam susceptus non essem*; et noster c. 2, 6: *Vtinam non perderemus*. Et sane lenis foret mutatio *ne* pro *non*. *Modo* saltem temporis significatione accipi posse in hac structura, ut sit pro *nunc*, *hodie*, plane non puto; quamquam ea est ratio eorum, quos dixi transponere *modo*; quam, etsi non receptam, probat Gesnerus. Etiam illa contorta, quam secutus videtur Aldus, qui incidit post *modo*, ut esset *modus* iste quarta aliqua disserendi materia, intelligeretur pro *modestia*, *temperantia*. Denique Burmannus pro *et* tentat *sit*. Neque mutatione opus est ad efficiendum eum, quem ipse et Pareus volunt, sensum, ut *modo non* significet *nisi*; potest enim vel sic ferri *et*: *nisi etiam pessimus*, absque verbo, ut infra l. III, 11, 24: *Nec est quisquam*, modo non *stultus* —, *quin sciat*. Sed magnopere languet ea sententia, quum sane Qu. non fuisset concessurus, ut quisque esset pessimus, ita minime de bono, aequo, loqui. Melius ille homines, et suos praesertim aequales, noverat. *Iustum*, *bonum*, *aequum* ἠθικήν, *causae naturales* φυσικήν, *verborum proprietas ac differentia* διαλεκτικήν philosophiae partem, significant.

*Nunc necesse est aliquando*) Miror tam exiguo intervallo recurrere hoc *aliquando* quod modo comparebat; *aliquando perfectus*. Ibi sane optimo est sensu, pro *unquam*; nostro loco pro *subinde*, *identidem*, quae significatio sequioris sane est aetatis. Cf. exempla apud Turscllinum p. 75. In libris nihil quidem variatur; sed Qu. bis ita posuisse, vix adducor ut credam.

*Quamquam sint*) Coniunctivum post *quamquam* saepe invenias apud nostrum; vix apud Ciceronem. Sed supra §. 6 *quamquam sunt*, etsi et ibi

sed etiam scientia, et omni facultate dicendi, qualis
19 adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis
ad summa tendendum est, quod fecerunt plerique ve-
terum, qui, etsi nondum quemquam sapientem re-
pertum putabant, praecepta tamen sapientiae tradide-
20 runt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia,
neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet.
Quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad
summa nitentur, quam qui, praesumta desperatione
quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint.
21 Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem
illa, verum operi, quod instituimus, necessaria, prae-
teribo. Nam liber primus ea, quae sunt ante officium
rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem
elementa, et quae de ipsa rhetoricae substantia quae-
22 runtur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni (nam
huic et dispositio subiungitur), quatuor elocutioni (in
cuius partem memoria ac pronuntiatio veniunt) da-
buntur. Vnus accedet, in quo nobis orator ipse infor-
mandus est, ut, qui mores eius, quae in suscipiendis,

*Ad summa tendendum est*) *Ad summam* Codd. puto dare omnes, etsi a conferentibus plerique non memorantur; sic et Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) neque veterum edd. praeter Aldin. ulla aliter. Frequens etiam Quintiliano *summae*, substantivi, usus, ut Prooem. 6. Sed operae pretium non erat in re tam levi recentiorum auctoritatem deserere.

*Ad summa nitentur*) Etiam hic Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *ad summam*. Edd. quas quidem vidi, omnes *ad summa*, et collati a Gibsono tres Codd. profecto item, quorum varietas a diligenti viro sane fuisset observata. Magis etiam necessarium hic neutrum adiectivi, quia opponuntur *ima*; et vel ob hunc locum pronior sim supra in veterem scripturam *summam*, variandae orationis causa. Cf. Drakenb. ad Liv. VI, 35, 2.

*Nam huic et*) Ita Goth. (vid. Add. Gesn.) Caeteri omnes *nam et huic*. Gryph. et Obr. nostram script. dederunt.

in quibusdam Codd. *sint*; hic omnes tuentur coniunctivum. Cf. I, 2, 14; IV, 32, 2 etc.

*Substantia*) Vocabulum hoc seriosidemum aetatis idem fere significat quod Graecorum οὐσία, etsi hanc proprie reddi posse aliter quam Flaviano illo verbo, *essentia*, negat noster III, 6, 23. Cicero sine dubio *naturam* vocasset.

discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiae genus, quis agendi debeat esse finis, quae post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, disseramus. His 23
omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, dicendi ratio, quae non eorum modo scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, et (ut sic dixerim) ius ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, vires augere eloquentiae possit. Nam plerumque nudae illae artes, nimia subtilitatis 24

*Disseramus*) Hoc pro *disseremus*, quod omnes videntur dare Codd. nisi quod in Guelf. non observavi discrepantem a recepta scripturam, invexit Regius et plurimi sunt secuti. Velim in Cod. ostendi *ubi* pro *ut*, tum etiam magis placeret *disseremus*. — *Dicendi ratio.* Quamquam omnes fere Codd. praeter Guelf. dant *docendi*, ut et Goth. (tac. Gesn.), Regii tamen emendationem, *dicendi*, veram puto; maxime ob *admiscebitur*. *Docendi* enim *ratio* non potest *admisceri* dici, quia caput est rei tractandae; *orationis* autem *forma*, h. e. *dicendi ratio*, potest esse aut *ieiuna* ergo *brevior*, aut *laetior* ideoque *copiosior*, qualem promittit Qu. Caeterum tam frequens *docendi* et *dicendi* confusio, ut nemini debeat esse religioni alterutrum contra Codd. praeferre.

*Finis*) Quum desinet agere causas et alia studia agitabit; ne enim tum quidem cessabit prorsus in opere suo orator.

*Admiscebitur*) Puto hoc fere dictum pro *attemperabitur*, cum *accessionis* tamen significatione, quae in ipso *attemperando* nulla fuisset; saltem non plane idem videtur atque *addetur*. Mecum fere Gedoynus facit, ita reddens: *J'accommoderai aussi ma manière d'écrire à la nature des choses.*

*Ius — interpretetur*) Videtur hanc loquendi formam mutuatus a more qui fuit Romanorum, ut de iis, quae ad ius civile pertinerent, consulerent eius scientiae peritos, qui, seniores praesertim, e solio solebant *interpretari* (hoc enim proprium vocabulum) quaestiones iuris, securi sane in eo sermone mirificae cuiusdam dicendi elegantiae, dum de re ipsa satis facerent consulentibus. Talem se *interpretem* fore negat, sed praeter *legitima* quasi *verba*, etiam argumenta pariter atque ornatum auditoribus suis impertiturum. *Ius* igitur *rhetorices* hic improprie dicuntur *technica* artis *vocabula* et *tralatitia praecepta*. Cf. Cic. de Orat. I, 45; De Legg. I, 3. Quintiliani tempore etiam frequentius hoc fuisse dicas, ut dicturi in foro iuris civilis scientiam talem ac tantam, quanta quaque in causa indigerent, quum ipsi ignorarent, peterent a iureconsultis; ex ipsius loco l. XII, c. 3 et quidem §. 4 maxime: *Neque ego sum nostri moris ignarus, oblitusve eorum, qui velut ad arculas sedent, et tela agentibus subministrant.*

*Artes*) Ita proprie appellabantur libri Rhetorices praecepta continentes,

affectatione frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt: quae, ut esse, et astringi nervis
25 suis, debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicut plerique, sed quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest persequamur, finis
26 operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est, nihil praecepta atque artes valere, nisi adiuvante natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec scripta sunt, quam de agrorum cultu ste-
27 rilibus terris. Sunt et alia ingenita quaedam adiumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor: quae si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari: sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenii stu-

*Persequamur*) Ita e veteribus quibusdam edd. quas etiam Obrechtus est secutus, erat restituendum. Voss. 2 item dat. Caeteri *prosequamur*, alieno sensu. — *Constantia.* Recte videtur haerere in hac voce Gesnerus, qui se, quam bene *inter ingenita adiumenta* numeretur *constantia*, intelligere negat. A Codicibus quidem et edd. destituimur; omnes enim in receptam consentiunt. Tentat Gesnerus *valetudinis constantia.* Mihi propter antecedens *do* in *valet.* videbatur scriptura potuisse corrumpi ex *statura*, quae quidem non est tota in *decore*, quum etiam statura brevior possit esse decens; sat multum vero confert proceritas ad auctoritatem dicentis, ne videlicet cogatur *in digitos erigi*, quod dicit noster II, 3, 8. Laudatur *statura* in Demetrio XI, 3, 179. *Constantia* autem si maxime est animus non facile commotus neque timori obnoxius, quo tuetur receptam Burm. ad Lucan. X, 490, minus tamen, inter mera physica, hoc placet. Cf. XII, 5, 5, ubi, huc respiciens, *constantiam* omittit, sed seorsim tractat *praestantiam animi.* Caeterum si quis invalidum putet argumentum, quod tetigi de *animi* dote, etsi naturali, mixta cum meris *corporis* virtutibus, locoque libri XII haec nonnisi generaliter respici dixerit, non magnopere repugnabo, quin vera sit recepta, et *constantia* accipiatur *ingenita* quaedam *fortitudo*, nondum vera virtus, eadem illi *animi praestantiae*, quam tractat l. XII l. c. — Spalding autem addit praef. p.$^{a}$ 74 edit. Lips. «Vid. procem. libri sexti, §. 11, ubi *constantia* diserte secernitur a *fortuitis*». Ed.

*In primis*) Statim in limine.

*Constantia*) De hac voce consule notas criticas.

diique corrumpant: sicut et haec ipsa, sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa et continua exercitatione, per se nihil prosunt.

I. Igitur nato filio pater spem de illo primum quam optimam capiat; ita diligentior a principiis fiet. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus vim percipiendi, quae tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra, plures reperias et faciles in excogitando, et ad discendum promtos; quippe id est homini naturale: ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia: unde origo animi coelestis creditur. Hebetes vero et indociles non magis secun- 2
dum naturam homines eduntur, quam prodigiosa corpora, et monstris insignia: sed hi pauci admodum. Fuerit argumentum, quod in pueris elucet spes pluri-

*Homines*) Edd. praeter Aldinas et Gesneri omnes fere *hominis*, sed addicunt Gesnero, defendenti nominativum pluralis numeri, Voss. 2, Goth. et Guelf. Concinnitas videtur poscere, ut *prodigiosa corpora* habeant sibi oppositos non *hebetes*, sed *hebetes homines*. Sensum etiam alterius scripturae defendas.

*Fuerit*) Hoc quidem e coniectura Regii, quum Codd. dent *fuerunt*. Sed Guelf. accedit ad veram scripturam, praeferens *fuerint*. — *Sed ut plus*) *Vt* omittunt Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) — *Sed ut plus efficiat, aut minus*. Sine annotatione praetermisi locum, quem tamen perperam cepisse nunc quidem mihi videor. *Vt* positum hic esse pro *etsi*, qui est usus etiam nostro scriptori frequentissimus, plane credo Celeb. Gedikio, qui in nota ad versionem vernaculam huius *ῥήσεως* negat ullum esse in loco subiectum, si *ut* interpreteris *ita ut*. Contra, si *ut* sit *etsi*, inventum esse subiectum, quod e voce *nemo* debeat promi, in quo comprehensum

*Id est homini naturale*) Hoc iucundo argumento docet auctor primi libri maioris Metaphysicorum Aristotelis, initio: Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις. καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι' ἑαυτάς, καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων. οὐ γὰρ μόνον ἵνα πράττωμέν, ἀλλὰ καὶ μηθὲν μέλλοντες πράττειν, τὸ ὁρᾶν αἱρούμεθα αντὶ πάντων, ὡς εἰπεῖν, τῶν ἄλλων. αἴτιον δ' ὅτι μάλιστα ποιεῖ γνωρίζειν τι ἡμᾶς αὖτη τῶν αἰσθήσεων, καὶ πολλὰς δηλοῖ διαφοράς.

morum, quae dum emoritur aetate, manifestum est, non naturam defecisse, sed curam. Praestat tamen
3 ingenio alius alium. Concedo: sed ut plus efficiat aut minus, nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe, quantum res pateretur, optimas eligi
4 voluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ra-
5 tio est: recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt; et haec ipsa magis pertinaciter haerent, quae deteriora sunt; nam bona facile mutantur in peius: nunc quando in bonum verteris vitia? Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, ser-
6 moni, qui dediscendus sit. In parentibus vero quamplurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor; nam Gracchorum eloquentiae

sit *aliquis*; hoc autem maxime convenire loco. Tum colon tollas post *minus*, et verba *sed — minus* duabus virgulis coërceas. Meliorem equidem non reperio interpretationem. SPALD. praef. cit. pag. 72. — *Percepimus.* Hoc ex Bodlei. Goth. Alm. et Poullainii Codice praetuli vulgato *percipimus.* Etiam Obrechtus recepit.

*Nunc quando*) Haec durissima est et abrupta interrogatio. Nec ostendas ullum Cod. in quo sit *nunc*. *Num*, quod pro eo dat Alm. et ipsum salebrosum, quum *nam*, plurimorum ut et Guelf. scriptura, ferri plane nequeat. Nisi sensus fieret nimius, maxime probarem Voss. 2 *nunquam* (pro *nunc quando*) quod recepit Obrecht. fortasse e Cod. Argent. *Nunc* unde sit, ignoro; primus videtur dare Badius Ascensius. In Guelf. recepto in ordinem *nam quando* superscribitur tenuioribus literis: *al*; *ne quando*. — *Verum*. Melius absit haec vox. An irrepsit per errorem

*Nunc quando*) De his vide crit. *Verum*) Vid. not. crit.
mul,

multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus: et Laelii filia reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur: et Quinti Hortensii filiae oratio, apud Triumviros habita, legitur non tantum in sexus honorem. Nec tamen ii, quibus discere ipsis non con- 7

ex praecedentis ultimis, *optaverim*? — *Elegantiam.* Ita Cod. Alm. Argent. Obr. Voss. 2. Gesnerus quidem cum plurimis recentiorum, *eloquentiam*, quod ita, nullo additamento, primus habet Aldus, nisi quod Gibs. (qui item habet Gesn. lectionem) neque ex Andreana ullam varietatem memorat, neque e suis Codd. quorum tamen fortasse solus Bodlei. hanc operis partem exhibeat, quum caeteri sint mutili neque adhuc a Gibsono memorati. Goth. quidem et Guelf. dant *eloquentiam elegantiorem*, et sic veteres fere omnes, ut Locat. Rusc. Bad. Iam a mero scioli errore, qui *reddidisse* male sit interpretatus, quae est Gesn. sententia, vocem *elegantiorem* esse profectam, quum tot obsideat edd. et Codd. adeo, non puto. Duplex fuit scriptura *eloquentiam*, *elegantiam*, quae deinceps in unam coaluit. Verum sine dubio est *eleg.* vel ob locum Ciceronis, quem posuimus in nott. exegeticis; quo accedit quod *in loquendo eloquentiam* fortasse non fuisset dicturus Qu. Et potest credi maior fuisse C. Laelii *elegantia* quam *eloquentia*, qui bis orando causam non vicerit, quam Ser. Galba, *gravior acriorque in dicendo*, ipso Laelio iudice, statim persuaserit consulibus, apud quos dicebat. Laelius antea accurate ut semper *eleganterque*, iterumque multo diligentius meliusque dixerat. Cic. Brut. c. 22. (In quo loco tamen non est confecta res de voce *gravior*, pro qua, proxime ad Codd. fidem, Buttmannus V. C. coniecit *atrociorem*. Cf. de Orat. II, 49: *Admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci — illud alterum* etc.)

*Corneliam matrem*) Cic. Brutus c. 58: *Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: adparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone, matris.*

*Laelii filia*) C. Laelii Sapientis filia, uxor Qu. Mucii Scaevolae, et L. Crassi, cuius in Ciceronis de Oratore libri partes sunt, socrus. Cic. l. c. *Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus.* Id. de Orat. l. III, c. 12: *Equidem* (Crassus loquitur) *quum audio socrum meam Laeliam — eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire.*

*Hortensii filiae oratio*) Eam orationem ex Appiano adumbravit Freinshemius in praestantissimo Supplementorum Livianor. opere l. CXXII, c. 44, 45, et memorat Valerius Maximus lib. VIII, c. 3. Deprecata est Hortensia partem tributi a Triumviris, Octaviano, Antonio, Lepido, ipsis matronis irrogati.

*In sexus honorem*) Sed vel viro laudem peperisset. Valde simili locutio Senecae Rethoris p. Bip. 397: *Orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur.*

tigit, minorem curam docendi liberos habeant: sed sint propter hoc ipsum ad caetera magis diligentes. De pueris, inter quos educabitur ille huic spei destinatus,
8 idem quod de nutricibus dictum sit. De paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim: aut, se non esse eruditos sciant; nihil enim peius est iis, qui, paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. Nam et cedere praecipiendi peritis indignantur, et velut iure quodam potestatis, qua fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim saevientes, stultitiam suam perdocent. Nec minus er-
9 ror eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Ale-

*Caetera*) Praeter instituendorum liberorum proprium laborem, quem quidem praestare, ipsi indocti, nequeunt.

*Pueris*) Non intelliguntur aequales iugenui, sed servi.

*Primam — curam*) *Primum* in tali forma dicitur, quod maxime est optandum, cui *proximum* est, quo, illud si non contingat, acquiescimus. Sic apud Liv. XXII, 28: Primum, *qui ipse consulat; secundum, qui obediat*; et in loco gemino Cicer. pro Cluent. 31: *sapientissimum esse, — proxime accedere.*

*Interim*) Frequens est in primis Quintiliano, sed et aliis eius aevi scriptoribus, ut Senecae et Pliniis atque Tacito, ille, qui hic primum observatur, huius vocabuli usus, ut sit pro *interdum*. Vicissim *interdum* usurpare pro *interim* visi sunt quibusdam scriptores sequioris aetatis, de quo sensu vide Dukerum de Latinitate Ictorum veterum p. 373. Neque tamen legitimum adverbii sensum fugit noster. Vid. I, 8, 5; I, 12, 3.

*Leonides — a Babylonio Diogene*) Nullum reliquum habemus librum Diogenis Babylonii, philosophi Stoici, qui cum Carneade et Critolao in celebri illa legatione (Cic. de Orat. II, c. 37, 38) Romam venit, scripsitque περὶ φωνὴν τέχνην et διαλεκτικὴν τέχνην; neque quidquam de hisce vitiis, quae ex paedagogi sui consuetudine traxerit Alexander, ab aliis scriptoribus proditum est, praeterquam quod auctor seculi noni, *Hincmarus*, Archiepiscopus Rhemensis (Epist. 14 ad Proceres Regni) haec narrat: *Et legimus quomodo Alexander in puericia sua habuit baiulum* (is medio aevo est pro paedagogo, principis maxime pueri. Vid. Du Cange) *nomine Leonidem, citatis moribus et incomposito incessu notabilem; quae puer, quasi lac adulterinum sugens, ab eo sumsit.* Eiusmodi vitia fuisse Alexandro a Leonide impertita, unde resciverit Hincmarus, nemo temere dicat: pariter *citati mores* quid sit, ignoro, nisi forte sunt mali, famosi. De mutatione *motibus*

xandri paedagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quae robustum quoque et iam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam, etiam quum ei formando nihil defuerit; praeterea plura ac difficiliora superesse. Nam et studio perpetuo, et praestantissimis praeceptoribus, et pluribus disciplinis opus est. Quapropter praecipienda sunt optima: quae si quis gravabitur, non rationi defuerit, sed homini. Si tamen non continget, quales maxime velim nutrices pueros habere, paeda-

*Maximum regem*) Prius omittit Guelf.

*Rat. defuerit*) Regius in vetusto illo exemplari (intelligit autem Codicem a Poggio e Germania allatum Florentiam, quem memorat supra ad Epist. ad Tryph. §. 1) *defuerint* scriptum fuisse narrat, ubi tamen *n* litera videatur erasa. Ad eum modum *defuerint* dant Loc. Rusc. Bad. Subiectum Regius putat esse *praecepta*, quae sint in τῷ *praecipienda sunt optima.*

*Velim — assiduus*) Reliqui lectionem a Regio inde multis probatam; maxime ob Codd. auctoritatem, qui quidem nihil variant, nisi quod Poullainii Cod. dat *paedagogosque*, quam vocem pro *paedagogus* in aliquot exemplaribus legi testatur Regius, *vetustum* tamen *exemplar* (haud dubie Poggianum) dare receptam lectionem. Caeterum magnopere displicet ea, etsi a Goth. quoque et Guelf. firmata. Quid enim est quod repente *nutricum* repetit mentionem? Et qui sunt *pueri?* Nam erudiendos istos ingenuos, qui *habeant* nutrices, intelligere alienum est profecto. Regius etiam de servulis antea memoratis (§. 7) cogitavit. Iam si *horum* et *nutricum* meminit h. l. quidni etiam *paedagogorum*, quos proxime tractaverat?

pro *moribus*, non est cogitandum, quum ipse *Hincmarus* in hac historia Ep. II. ad Carol. III Imp. iterum habeat *citatos mores*, immo Hieronymus (in ep. ad Laetam) tangens eandem, de *moribus* loquatur.

*Non rationi — sed homini*) Gesnerus putat subiectum sententiae esse enim, qui gravetur; et *rationi deesse* interpretatur, rationem, disciplinam eam, quam suadet Qu., erroris convincere: *homini* autem intelligit dictum de discipulo, cui talis, qui haec gravetur, *desit* h. e. non tantum prosit, quantum poterat. Dura haec videtur ratio, in qua duplex tribuitur significatio τῷ *deesse*. Malim ἀπὸ κοινοῦ intelligi *aliquid* pro subiecto ad *defuerit*: *Tum culpa erit hominis*, h. e. *eius qui gravabitur*, *non disciplinae rationis*. Sic modo: *formando nihil defuerit*; clarius, fateor, propter *nihil* quod ibi adest. Mecum faciunt Rollinus et Gedoynus. Cf. II, 17, 40: *non artis*, *sed hominis*.

*Velim — assiduus*) Vid. not. crit.

gogus at unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus, qui, si qua erunt ab his praesente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id, quod prius dixi, bonum esse; hoc, re-
12 medium. A Graeco sermone puerum incipere malo: quia Latinum, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus perbibet: simul quia disciplinis quoque graecis
13 prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt. Non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur graece aut discat, sicut plerisque moris est; hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, et sermonis; cui quum graecae figurae

Praeterea fertne hoc usus Romanorum, prosa utentium praesertim, ut *at* subiungatur ita alteri vocabulo in sententiae initio? (quod postremum urgent Badius et vir doctus in Miscellan. observatt. T. I, p. 139). Simplicissima ratio videtur quam secuti sunt Bad. Gryph. Gibs. (sine varietate ex Andreana) Obrecht. Rollin. et multi praeterea: *velim habere nutrices, pueros, paedagogos: at unus certe sit assiduus.* Sic ea tria hominum genera, quibus futurus orator, infans adhuc, interest, ordine repetentur, et legitima erit structura coniunctionis *at*. Sed residet scrupulus, quem tetigit Regius. Quis enim *unus* ille *assiduus* erit? *Hic quoque*, ait Regius, *foret hoc modo paedagogus.* Praepostera sane ratio, si, quoniam *paedagogi* boni non contingunt, *paedagogum* tamen unum assiduum adiungas filio tuo. Atqui plane nulli boni paedagogi contigerunt tibi. Nam si non est paedagogus *assiduus* ille, dura profecto sit substantivi omissio ad τὸ *unus*. Haereo igitur etiamnum in hoc loco. In Goth. varietate, *autem* pro *at*, nullum video praesidium; Iensonii ratio est nostra, nisi quod post *habere* non incidit. Infra c. 3, 14: *assiduus studiorum exactor*, etiam de paedagogo. — *Velim — assiduus.* Adde ad not. crit.: Sed c. 2, 5, *assiduus* de amico vel liberto. Quod autem hoc loco dixi *unus assid.* sine substantivo, intellecto saltem, esse durum, habes hoc ipso libro c. 11, *diligens aliquis ac peritus.* Quod ibi *aliquis*, hoc nostro loco fuerit *unus*. SPALD. in praef.

*Latinum — perbibet*) Verissimam hanc scripturam recepi e Cod. Guelf. ubi plane sic. Sed eam dederat iam Obrechtus, ex Argent. profecto; male tamen excerptus a Burmanno, qui ei falso tribuit *perhibet*. Etiam Goth. 2 habet nostram. Vid. Gesn. Addenda. Caeteri Codices *Latinus — se perhibet*. Recentiores plerumque edd. ut et Gesn. *Latinus — se praebet*. *Praebet* nullum Cod. habet cognitorem. *Perbibere liberalia*

*Figurae*) Structurae verborum ad graecum morem factae, quae, ut poëtis magnam partem cum laude frequentatae, ita sermoni indecorae erant.

assidua consuetudine haeserunt, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaque 14
Latina subsequi debent, et cito pariter ire. Ita fiet, ut, cum aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat. Quidam literis instituendos, qui 15
minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati posset. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt; nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse huius poëtae. Sed 16
alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus: nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam

*studia* Seneca dicit, quod vel Lexica docent. — *Haeserunt.* Ad eos, qui hoc dant Codd., accedit Guelf. Recepta erat *haeserint.* — *Pati posset*) *Posset* pro *possit* recepi e Guelf. latinitate iubente, ob antecedens *putaverunt.*

*Grammaticum Aristophanem*) De hoc consule in primis F. A. Wolfii Prolegomena ad Homerum pagg. 216 sqq. locum nostri memorat pag. 218, n. 90.

ὑποθήκας — *negavit esse huius poëtae*) Carmen inscriptum ὑποθῆκαι intercidit, a quibusdam veterum Chironi Centauro, Achillis magistro, tributum, a pluribus Hesiodo, quorum in numero etiam fuit cognominis Grammatico poëta Comicus in deperdita Comoedia Δαιταλῆς, ubi risisse Hesiodi ὑποθήκας dicitur a Phrynicho et Thoma Magistro. Aristoteles in Politicis l. VII, c. 17 non quidem (ut dicit Regius, postque eum Harles ad Fabric. Bibl. Gr. V. I, p. 15) ut *Hesiodei* meminit huius praecepti, sed, nulla Hesiodi mentione iniecta, videtur quodammodo cum eo sentire. τὴν μέχρι πέντε ἐτῶν ἡλικίαν οὔπω πρὸς μάθησιν καλῶς ἔχει προσάγειν οὐδεμίαν p. (Sylb.) 214, διελθόντων δὲ τῶν πέντε ἐτῶν, τὰ δύο μέχρι τῶν ἑπτὰ δεῖ θεωρούς ἤδη γίγνεσθαι τῶν μαθήσεων, ἃς δεήσει μανθάνειν αὐτούς p. 216.

*Eratosthenes*) Hunc Alexandrinae bibliothecae sub Ptolemaeo Evergeta praefectum, plurimorum librorum auctorem, quorum superstes est solus libellus καταστερισμῶν, qui non norunt, adeant Fabricii Bibliothecam Graecam, ed. Harl. vol. IV, p. 117 seqq. et Carol. Günht. Seidelium, coniunctissimum Collegam meum, in collectione Geographicorum Eratosthenis.

informandam quam optimis institutis mentem infan-
17 tium iudicat. Cur autem non pertineat ad literas aetas, quae ad mores iam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor, tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui id senserunt, videntur non tam discentibus in hac
18 parte, quam docentibus, pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantulumcunque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certe quamlibet parvum sit, quod contulerit aetas prior, maiora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora
19 didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, in summam proficit: et quantum in infantia praesumtum est temporis, adolescentiae acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis praeceptum sit; ne, quod cuique discendum est, sero discere incipiat. Non ergo perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quod initia literarum sola memoria constant, quae non modo
20 iam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. Nec sum adeo aetatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus

*Parvum*) Ita Bodlei. Guelf. Andreana, Ald. Obr. neque videtur gradus esse in τῷ *parum* quod pro eo habet Gesnerus et caeteri, ut possit iungi cum *quamlibet*. Etiam *maiora*, *minora*, melius ad *parvum* referuntur, quam ad *parum*.

*Perceptam*) Ita Guelf. et Goth. Voss. 2, Bodl. cum vett. edd. plurimis. Aliae et recentiores, ut Gesn., *praeceptam*, quod mirifice placet Burmanno. Sensus exquisitior *praecipiendi* pro *antecapiendo* alienus ab h. l., ob adiectum *semel*, otiosum in vulgata; praeterea eo sensu *praesumere* plerumque dicit Qu. ut modo § 19, et prooem. 20.

*Semel perceptam*) Vid. not. crit.

hic sit: et rogetur, et laudetur, et nunquam non scisse se gaudeat; aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat; contendat interim, et saepius vincere se putet; praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur. Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est 21
sua etiam studiis infantia: et, ut corporum mox etiam fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit; ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit, et haesit circa formas literarum; nec si quid discere satis non est, ideo nec necesse est. Quod si nemo reprehendit pa- 22
trem, qui haec non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea, quae domi suae recte fecerit, in publicum promit? Atque eo magis, quod minora etiam facilius minores percipiunt; et, ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari, nisi tenera, non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro 23
filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo eius aetatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia, et a perfectissimo quoque optime tractari, et pertinere ad summam credidissent? Fingamus igitur Alexandrum 24
dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quamquam suus cuique dignus est), pudeatne me in ipsis statim elementis etiam brevia docendi

*Faceret*) Recte moneor a docto quodam amico, coniunctivum imperfecti huius non esse loci, nisi forte *recte* explicueris *cum laude*. Agetur de ea re ad I, 8, 5, *opus est*. Iam diligentius inspectis libris apparet Bodl. dans *fecerat*, et Tarvisina (1482) *feceret*, unde veram efficio scripturam, *fecerit*. — Recepi Spaldingii coniect., aliis etiam multis probata, testante Cl. Dussault ad h. l. in Ed. Par. Ed. T.

*Credidisset*) Idem, qui modo, me admonuit, *credidissent* esse legendum, plurali numero. Codd. quidem et edd. in errorem consentiunt. Omissus, vel evanuit, in vetere scriptura apex in *e*. — *Credidissent*, magis consonum sententiae,, ideoque in textum recepi. Ed. T.

monstrare compendia? Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina et contextum, prius quam formas, parvuli discant.
25 Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur. Quae causa est praecipientibus, ut etiam, quum satis affixisse eas pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu videntur, retroagant rursus, et varia permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. Quapropter optime, sicut hominum, pariter et habitus
26 et nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit. Non excludo autem, id quod est notum, irritandae ad discendum infantiae gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre; vel si quid aliud, quo magis illa aetas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare,
27 iucundum sit. Quum vero iam ductus sequi coeperit, non inutile erit eas tabellae quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stilus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris (continebitur enim utrinque marginibus), neque extra praescriptum poterit

*Neque enim mihi illud saltem*) *Saltem* cum negatione coniunctum apud nostrum saepe est pro *ne — quidem*, v. c. hoc ipso cap. §. 31, l. V, 1, 3; VI, 2, 19; VI, 4, 15; X, 2, 15; XII, 11, 11; et in Declamm. Quint. III p. (ed. Bip.) 44: *Neque illa libido saltem*; ib. Decl. V, p. 108: *nec hoc saltem*. Quam rationem facilius assequemur, si reputaverimus, *quidem* in *ne — quidem* ipsum esse nihil aliud nisi *saltem*, Graece γέ. Quod autem *enim* posuit h. l. id ad sententiam aliquam intelligendam, verbis non expressam, referri debet. Ea hic eiusmodi fere sit: *Habeo autem talia, quae monstrem, compendia, nam illud statim mihi displicet* etc.

*Contextum*) Seriem, et positum in alphabeto.

*Antecedentem memoriam*) Fateor me haerere in participii sensu. Quae enim est *antecedens memoria*? Vertit quidem Gedoynus: *leur mémoire qui va plus vite que leurs yeux*: sed quam recte tot verba intellexerit, nescio.

*Neque extra praescriptum poterit egredi*) Quid hoc differat ab illo *ne-*

egredi; et celerius ac saepius sequendo certa vestigia, formabit articulos; neque egebit adiutorio manum suam manu super imposita regentis. Non est aliena res, quae 28
fere ab honestis negligi solet, cura bene ac velociter scribendi; nam quum sit in studiis praecipuum, quoque solo verus ille profectus, et altis radicibus nixus, paretur, scribere ipsum: tardior stilus cogitationem moratur; rudis et confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi, quae ex his transferenda sunt, labor. Quare 29
cum semper et ubique, tum praecipue in epistolis secretis et familiaribus delectabit ne hoc quidem neglectum reliquisse. Syllabis nullum compendium est: 30
perdiscendae omnes: nec, ut fit plerumque, difficillima quaeque earum differenda, ut in nominibus scribendis deprehendantur. Quin immo ne primae quidem me- 31
moriae temere credendum: repetere, et diu inculcare,

*Ex his*) Etiam Guelf. pro hisce habet *et* sicut pleraeque edd. vett. quare Gesn. putat Regii tantum coniecturam esse *ex his*. Sed Gibsonus de suis Codd. tacet, ut probabile fiat, in iis, saltem in Bodl., esse receptam. — *Nominibus*. Guelf. *omnibus* cum multis sane Codd. sed defendunt receptam a Gesnero *nom.* Voss. Alm. et Obr. fortasse ex Argent. Cf. ad I, 6, 5.

*que errabit*, equidem non dixerim: sed est in omnibus Codd.

*Ab honestis*) Ab hominibus in aliqua dignitate constitutis. Sic Cicer. Epp. ad Div. II, 15: *Caesarem honestum esse cupio*; et Plinius Histor. nat. XXXV, c. 10: *ut ingenui exercerent* (picturam) *mox ut* honesti, *perpetuo interdicto ne servitia docerentur.*

*Ex his*) E tam male scriptis commentariis.

*Perdiscendae omnes*) Quaecumque efficiuntur per universam linguam, varie iungendis inter se literis.

*Vt in nominibus scribendis deprehendantur*) Sic habet satis firmata a Codd. scriptura. *Nomina* autem h. l. non acceperim *propria*, sed vocabula certae partis orationis, ob id quod dicitur mox §. 34. Cf. I, 4, 18. *Deprehendi* autem est haerere, in arctum deferri, sicut ipse noster XII, 8, 6: *Deinde deprehenduntur et causam — ex adversariis discunt.* Subiectum sententiae sunt *pueri*, qui, si difficillima quaeque syllabarum differtur, haerebunt in nominibus scribendis. *Vt* ironice quodammodo dictum, quasi eo consilio differrent difficillimam quamque syllabam magistri. Neque enim necessarium cum Burmanno pro *ut* scribere *ne*.

fuerit utilius; et in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam; nisi quum inoffensa atque indubitata literarum inter se coniunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit. Tunc ipsis syllabis verba complecti, et his sermonem connectere
32 incipiat. Incredibile est, quantum morae lectioni festinatione adiiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quam possunt audentibus; deinde quum errarunt, etiam iis quae iam sciunt, dif-
33 fidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta; et diu lentior, donec exercitatione contingat
34 emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes praecipiunt) et providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt; et, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. Illud non poenitebit curasse, dum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) coeperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et forte occurrentibus
35 perdat. Protinus enim potest interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere, et inter prima elementa consequi rem, postea proprium tempus desideraturam. Et, quoniam adhuc circa res tenues moramur, ii quoque versus,

*Lentior, donec*) Iuvat hoc exemplo monstrare tironibus, quomodo corrumpi soleant scripturae in Codd. Hic enim Guelf. cum Goth. et iis, quos Regius tractabat, dant *lentius ordo donec*. Regius receptam erui, quam videntur praeferre Bodlei. et alii, de quibus tacent qui contulerunt.

*Continuandam*) Vt iam integra vocabula, non merae syllabae pronuncientur.

*Non rationis modo sed usus quoque*) Sensus eiusmodi profecto: Illud facilius quidem suadetur, quam exercetur. *Rationis modo esse* dici potest id, quod sola ratione (h. e. in nostro quidem loco, solo praecepto) efficitur; si igitur hoc *usus quoque est*, apparet, usu opus esse multo ut effici possit ea res. Sic intelligitur, quare magna rei difficultas mox significetur. — *Non rationis modo*. Intelligit artem ac methodum. Roll.

qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur haec memoria in senectutem, et 36
impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, et electos, ex poëtis maxime (namque eorum parvis cognitio grātior est), locos ediscere inter lusum licet. Nam et maxime necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: et ea praecipue firmatur atque alitur exercitatione: et in iis, de quibus nunc loquimur, aetatibus, quae nihil dum ipsae ex se generare queunt, prope sola est, quae iuvari cura docentium possit. Non alienum fuerit exigere 37
ab his aetatibus, quo sit absolutius os, et expressior sermo, ut nomina quaedam versusque affectatae difficultatis ex pluribus et asperrime coëuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos, quam citatissime volvant. χαλεποὶ graece vocantur. Res modica dictu; qua tamen omissa, multa linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

*Iuvari cura*) Hanc scripturam Voss. 2 et Goth. soli habere videntur. Guelf. cum aliis *iuvare curam*, nec est spernenda haec ratio. Adiuvat curam docentis ea sola in parvis animi facultas, quum caeterae adhuc plane sint *nervis alienis mobile lignum*. Vix tamen neges caeteras ullo modo posse *iuvari*. Iudicent peritiores; nam et recepta habet, quo se defendat. Gedoynus: *la mémoire est la seule chose qui soulage un maitre*.

*Durantur*) Guelf., cum quibusdam vett. edd. quarum est et Bad., *durentur*, non male; potest enim ad *qua tamen omissa* intelligi: *talis*

*Usque ad mores proficiet*) Est aliqua difficultas in voce *mores*, quare Almeloveenius cogitabat de mutatione, ut scriberetur *mortem* pro *mores*; sententia nimis ieiuna. Sed *usque*, praesertim quum antecesserit *prosequitur in senectutem*, spatii vel temporis aliquem finem iubebat expectare, et frustrantur nos quodammodo *mores* isti. Interpretor *usque ad mores proficiet*, ad ipsos mores pertinget, *penetrabit*: ut *proficere* sensum *progrediendi* tueatur hoc loco, quod monet Ernestus ad Cic. de Oratore II, 21, not. 68, qui ipso hoc nostro loco utitur.

II. Sed nobis iam paulatim accrescere puer, et exire de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quaestio est, utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiae scholarum, et velut publicis praeceptoribus
2 tradere. Quod quidem, cum iis, a quibus clarissimarum civitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus, video placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos, qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Hi duas praecipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant, fugiendo turbam hominum eius aetatis, quae sit ad vitia maxime prona; unde causas turpium factorum saepe extitisse utinam falso iactaretur: alteram, quod, quisquis futurus est ille praeceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur, quam
3 si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus gravis; nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere, constaret, potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi, videretur. Sed mea quidem sententia iuncta ista atque indiscreta sunt; neque enim esse oratorem, nisi bonum virum, iudico; et fieri,

*tamen qua* etc. — *Publicis.* Guelf., cum Voss. 1 et 3, *publicatis*. An hoc facit ad *velut* explanandum? Cf. exeg. not.

*Velut publicis*) Adverbii *velut* rationem idoneam reddere posse mihi non videor, et miror neminem quidquam de eo monuisse. Suspicor tamen ideo plane *publicos* non fuisse appellatos a Quintil. hos praeceptores, quia non erant publicis stipendiis auctorati. Nimirum ipse noster memoratur primus *publicae* scholae moderator, qui salarium e fisco acceperit, apud Hieronymum in Chronico Eusebiano; et fortasse ne talis quidem pro eorum temporum loquendi usu *publicus* potuisset vocari propie doctor, quoniam e fisco principis, non ex aerario reipublicae, accipiebat stipendium.

*Videtur*) Attende proprietatem loquendi; hic, ubi momentum talis argumenti ipse agnoscit Quintil., iudicativo utitur; paulo ante (*consulant*) coniunctivo, quum ex mente dissentientium loqueretur.

etiam si posset, nolo. De hac re igitur prius. Corrumpi 4
mores in scholis putant; nam et corrumpuntur interim, sed domi quoque. Assunt multa eius rei exempla, tam laesae hercle, quam conservatae sanctissime utrobique opinionis. Natura cuiusque totum curaque distat. Da mentem ad peiora facilem, da negligentiam formandi custodiendique in aetate prima pudoris: non minorem flagitiis occasionem secreta praebuerint; nam et esse potest turpis domesticus ille praeceptor: nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. At si bona ipsius indoles, si non 5
caeca ac sopita parentum socordia est; et praeceptorem eligere sanctissimum quemque (cuius rei prae-

*Etiam si posset*) Voss. 3, Goth. (tac. Gesn.) et Guelf. ut et vett. edd. *potest*. Non male. Badius primus, quantum video, *posset;* nisi quod Gibs. de varietate tacet, quum receperit *posset*, ut suspiceris in omnibus suis eum invenisse hoc; quod saltem de Aldina secus est.

*Assunt multa*) Iens. (tac. Gesn.) *et sunt*. Goth, (tac. eod.) *et adsunt* cum edd. ante Gesn. omnibus praeter Obr. Nostrum e Palatino reponere suasit Gebhardus in Crepund. p. 20, improbante Barthio in Adverss. p. 1430. Codd. memorantur nulli. *Et* omissum recte non puto. Fit enim tumida et confragosa oratio. *Assunt* (vel *adsunt*; hoc autem natum arbitror ex *et sunt*) an *sunt* scribatur, parum refert, quamquam illud exemplis commendare studet Gebh.

*Et esse potest turpis*) Obr. sic collocat verba haec: *et turpis potest esse*. Guelf. autem hoc modo: *et potest turpis esse*. Haec simplicissima videtur ratio.

*Opinionis*) Existimationis, famae; ipsiusque adeo innocentiae, unde bona fama. Cf. II, 12, 5.

*Et esse — nec tutior*) Inest structura geminatae coniunctionis *et*, quarum posterior latet in *nec*. De commodiori ordine horum verborum vide not. crit.

*Parum modestos*) *Modesti* latius hic videntur dici, quam pro etymo, ubi solus fere pudor intelligitur; de universa animi bonitate interdum graeco more usurpant Latini, ut et infra IV, 2, 100, *modestum factum*. Et Cic. in Verr. lib. I, 47: *O modestum ordinem, quod illinc vivus surrexit!* Sic Graeci μέτριον, ἐπιεικῆ dicunt; (τὸ ἐπιεικὲς δηλοῖ τὸ τὸν τρόπον ἀγαθόν. Scholiast. ad Luciani Gallum Vol. Bip. VI, p. 325). Et hic in universum *modesti* opponuntur *malis*. Inest tamen *modi* aliqua significatio.

cipua prudentibus cura est) et disciplinam, quae maxime severa fuerit, licet; et nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum, lateri filii sui adiungere, cuius assiduus comitatus etiam illos melio-
6 res faciat, qui timebuntur. Facile erat huius metus remedium. Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus: mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et iam coccum intelligit, iam conchy-

*Coccum intelligit*) Reveritus crimen novandi aliquid praeter necessitatem reliqui scripturam receptam adhuc *coccum*, pro quo *cocum* (h. e. coquum) dat Guelf. et Ald. imo vetus Cod. Florentinus, si recte coniicio, quod eius auctoritate non utitur Regius, dum *coacum* legendum suadet pro *cocum*. Certatim probarunt VV. DD. pretiosi coloris mentionem, prae mentione *coqui*, (astipulante Goth. cum silentio conferentium de caeteris Codd. et edd. quod maxime in Gibsono miror, qui saltem Aldinam debebat memorare) cum propter *intelligendi* vocabulum, quod est proprium luxuriosae alicuius scientiae, tum ob *conchylium* mox occurrens, quod itidem esset genus coloris. Prius argumentum plurimam speciem habet, imo nonnullum momentum. Quomodo enim puer, pene infans, possit dici *intelligere coquum*, vix apparet. At artium et instrumentorum luxuriae saepissime *intelligentes* vocantur, qui in talibus ultra vulgus sapiunt. Ita saepissime apud Cic. in Verrinis, et, ut hoc utar, Aiacem, *rudem militem*, Vlysses apud Ovid. Metam. XIII, 295, petere ait quae non *intelligat* arma; videlicet caelaturam in clypeo ignorabat ille. Verum, si maxime iste sensus *intelligendi* verbo vindicatur, ne proprium quidem loco nostro cum esse agnosco. Nihil enim artis in pretio coloris coccinei *intelligitur*. Pertinet luxuriosa haec peritia, ad operis artificium, artificis nomen, fabulae secretioris interpretationem, in quibus gloriam captabant delicatuli, quum Mummius, capta Corintho, conducentibus maximorum artificum tabulas ac statuas in Italiam portandas, si eas perdidissent, novas imperasset: (Vellei. I, 13) materiae pretium sane et ipse non ignoraturus, si aeneae pro aureis essent redditae. Sed quid erit: *coquum intelligere*? Puto, iam nosse quis domi sit coquus, aliquam cum eo consuetudinem

*In purpuris repit*) *Purpurae* sunt vestes stragulae, lectis ipsisque adeo pavimentis inductae, quas infantes calcant. Harum usum summae luxuriae putabant Romani et ei, qui primus advexerat, magnopere exprobrabant. Vid. Livium XXXIX, 6.

*Coccum intelligit*) Vid. not. crit.

lium poscit. Ante palatum eorum, quam os, institui- 7
mus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, e manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum; nos docuimus, ex nobis audierunt. Nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convivium obscoenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri ante quam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt. Verum in studiis magis vacabit unus uni. 9

contraxisse. Eiusmodi fere est, quum noster Socratem negat esse *intellectum* II, 1, 10, et Vellei. II, 116. Silianum *intellexit*. Nam potest et hic puer noster dici intelligere coquum, quum novit, quanti sit ille momenti, quam gravis sit eius persona. Ita Plinius Hist. nat. XXXV, c. 10: *ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem*. Fortasse id voluit, qui scripsit in Guelf. pro *intelligit*, *cognoscit* (non ferendum quidem illud, vel ob insuave ὁμοιοτέλευτον, *cognoscit*, *poscit*), ut hoc primo esset illius glossema, in margine ponendum. Quod autem *conchylium* de colore unice interpretantur, in eo nihil mihi probant. Aeque enim et melius etiam hic de cibo accipi poterit, ut apud Hor. v. c. Epod. II, 49; Sat. II, 4, 30; 8, 27. Expectes etiam, in veste potius *conchyliatum* quam *conchylium*. Et utrum magis est credibile fore ut poscat puer? Vestem an cibum? Sic mera gulae vitia notabuntur, ut apte sequatur *palati* et *oris* mentio, quo etiam illa faciunt: *nondum prima verba exprimit*. Gedoynus mecum facit. — *Quam os*. Hanc verissimam scripturam, pro *quam mores* (quod proclivi errore ex illo oriebatur) defendit etiam Guelf.

*Alexandrinis — deliciis*) *Deliciae* hic dicuntur pro pueris delicatis, quales domi habere solebant potentes Romani, Aegyptios maxime et quidem Alexandria, urbe luxuriae plenissima, oriundos, qui iocis suis heros demereri deberent. Ἀλεξανδρεωτικοὶ ἀνθρωπίσκοι Lucian. *de mercede conductis* vol. III, p. 250 Bip. Talem diligenter describit Martialis lib. IV, Ep. 42, ubi vs. 4, quum, Aegypto nominata, *Nequitias*, ait, *tellus scit dare nulla magis*, ipsas has *nequitias* dictas puto pro *nequam* istis pueris, qui tam intelligentes erant iocorum obscenorum. Statius Sylv. V, 5, 66, *Pharia de pube loquaces Delicias* memorat, et apud Petronium c. 31, 68, et in fragmentis Alexandrini pueri partes suas agunt in beatorum domibus, ubi multa de iis cumularunt VV. DD. ut etiam ad hunc nostri locum.

Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem, unum etiam cum eo, qui in scholis eruditur. Sed etiamsi iungi utrumque non posset, lumen tamen illud conventus honestissimi tenebris ac solitudini praetulissem. Nam optimus quisque praeceptor frequentia gaudet, 10 ac maiore se theatro dignum putat. At fere minores ex conscientia suae infirmitatis haerere singulis, et officio fungi quodammodo paedagogorum non indi- 11 gnantur. Sed praestet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discentis intentio, quae non, ut visus oculorum, obtutu continuo fatigetur? quum praesertim multo plus 12 secreti studia desiderent. Neque enim scribenti, ediscenti, et cogitanti praeceptor assistit: quorum aliquid agentibus, cuiuscumque interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper, praeeunte vel interpretante eget; quando enim tot auctorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum 13 diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire possunt etiam quae singulis tradenda sunt: pleraque vero

*At fere*) Sic plane scribendum pro *At vero*, auctt. Codd. multis et vett. edd. Guelf. tamen et Goth. *vero*.

*Nescio quem*) Hic locutio ea non videtur cum contemtu usurpata, sed cum admiratione, qualis est in noto versu: *Nescio quid maius nascitur Iliade*; quamquam ironica est ista h. l. admiratio. *Iste tam mirificus unus, quem tantopere crepatis*.

*Theatro*) Cave nimis ad nostrum morem intelligas. Θέατρον est locus spectatorum, ut adeo pro Θεαταῖς ipsis dicatur, quum nos pro scena soleamus dicere. Sic I, 6, 45: *tota theatra exclamasse scimus*; VI, 1, 52: *Theatrum commovendum est*; sic Ovidius (Met. XI, 22), Orpheum *theatrum* appellat volucres, angues, feras, quas canendo attraxerat vates.

*Officio — quodammodo paedagogorum*) Apparet quam contemti fuerint paedagogi, qui, servili conditione, nonnisi singulos custodiebant pueros, non docebant.

*Plus secreti*, quam coniuncti cum docente, videlicet studii vel operis. Sic infra c. 4, 5, *secreta* plur. num. pro solitudine.

hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. Taceo de partitionibus et declamationibus rhetorum, quibus certe quantuscunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa praeceptoris, ut coena, minus pluribus sufficit; sed ut sol, universis idem lucis calorisque largitur. Grammaticus quoque de ratione loquendi si disserat, quaestiones explicet, historias exponat, poëmata enarret: tot illa discent, quot audient. At enim emendationi praelectionique numerus obstat. Sit incommodum (nam quid fere undique placet?), mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque praeceptor bonus maiore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit: et in primis ea habenda cura est, ut is omni modo fiat nobis familiariter amicus: nec officium in docendo spectet, sed affectum: ita nunquam erimus in turba. Nec sane quisquam, literis saltem leviter imbutus, eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed

*De partitionibus et declamationibus rhetorum*) *Partitiones* sunt materiae, per partes divisae, quae discipulis, domi ad iustae declamationis modum amplificandae et perscribendae, dictantur. *Declamationes*, exempli causa a rhetoribus recitatae in scholis orationes. — Longe verius autem iis, quae modo diximus, est quod docet Ernestus in Lexico Techn. Lat. in voce *partit.* Significatur enim doctrina de statibus, reliquisque in rhetorica artificialibus, quam Graeci appellant διαίρεσιν, unde Menandri rhetoris titulus, διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν, itemque Hermogenis τέχνη ῥητορικὴ διαιρετική. Vide eundem Ernest. in Lex. Techn. Graec. v. διαίρεσις. SPALD. in praef. pag. 73.

*Historias exponat, poëmata enarret*) *Exponat* plane est quod *narret*, sic IV, 2 saepissime variat orationem noster, modo *expositionem* appellans, modo *narrationem*; ne quis falso de *interpretatione* cogitet. *Enarret* autem significat *interpretetur*. *Quaestiones* sunt res, de quibus *Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.*

*Praelectionique numerus obstat*) Non statim apparet, qui *praelectioni* numerus obstet, quum *vox illa ad omnes* videatur *perferri*. Sed intelligitur talis *praelectio*, qua singulis pueris, quae ipsi sunt pronunciaturi, diligenter praeeunt magistri, quod sane vix duobus simul potest praestari. Cf. §. 12, *lectio — praecunte — egeat*. Vid. etiam II, 5, 3, 4.

ut fugiendae sint magnae scholae (cui ne ipsi quidem rei assentior, si ad aliquem merito concurritur), non tamen hoc eo valet, ut fugiendae sint omnino scholae;
17 aliud est enim vitare eas, aliud eligere. Et si refutavimus quae contra dicuntur, iam explicemus, quid ipsi
18 sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate et in media reipublicae luce vivendum est, assuescat iam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria et velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens et attollenda semper est, quae in huiusmodi secretis aut languescit, et quendam velut in opaco situm ducit: aut contra tumescit inani persuasione; necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini
19 comparat. Deinde quum proferenda sunt studia, caligat in sole, et omnia nova offendit, ut qui solus didicerit,
20 quod inter multos faciendum est. Mitto amicitias, quae

*Ne ipsi quidem*) Recepi *ipsi* pro *ipse*, quod est in omnibus edd. praeter Obr., e Guelf. Alm. Voss. 3. *Res* ea, cui non assentitur Qu., non est *magna aliqua schola*, sed *sententia illa*, qua dicebantur *magnae scholae esse fugiendae*. *Ipse* defendi tum modo posset, si *rem* de magna schola intelligeres, quam *ipse* Qu. improbaret; sed tum alia esset opus mutatione, ut cum Burmanno *immerito* scriberetur pro *merito*, nullo addicente Codice.

*Eligere*) non quamlibet frequentare; ne quis interpretetur *praeferre*.

*Si refutavimus*) In coniunctione *si* est modesta bonae suae contra scholarum obtrectatores argumentationis conscientia, ut nulla sit opus mutatione. Gesnerus pro *si* tentabat *sic*. *Si* in huiusmodi forma est pro *quandoquidem*, ut Cic. Ep. ad Div. XI, 5: *hortatione — non eges, si ne in illa quidem re — hortatorem desiderasti*.

*Velut umbratili vita pallescere*) *Pallor*, infirmae valetudinis index, doctorum et libris immorientium non minus est quam amantium; dum hi curis occultis tabescunt, illi nimis assidui domo nunquam exeunt. Ita noster VII, 10, 14, *pallendum*. Cf. Iuvenal. VII, 97, 105; et Persius: *nocturnis impallescere chartis* (Sat. V, 62) *Eupolidem — palles* (I, 124). Ovidius de amantibus: *Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti. Hic decet: hoc vultu non valuisse putent.* (Art. I, 729, 30). Inde notum illud: *Pallet; aut amat aut studet.* In omnibus hisce exemplis *pallor* iste est a prius contracto morbo, quem aut animi aegritudo fecerit, aut solis et aëris desectus. Gesnerus ad h. l. etiam inanimis pallorem tribui, pro-

ad senectutem usque firmissimae durant, religiosa quadam necessitudine imbutae. Neque enim est sanctius, sacris iisdem, quam studiis initiari. Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet, quum se a congressu, qui non hominibus solum sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Adde, quod domi 21
ea sola discere potest, quae ipsi praecipientur; in schola, etiam quae aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi: proderit alicuius obiurgata desidia; proderit 22
laudata industria; excitabitur laude aemulatio: turpe ducet cedere pari; pulchrum superasse maiores. Ac-

pter corruptionem a quiete, humore admisso et excluso aëre ortam, docet e scriptoribus rusticis et Vitruvio. Videmur priori illa ratione posse acquiescere, quum de homine agatur; neque enim mox in istis: *quendam velut in opaco situm ducit*, repetitionem et explicationem quandam nostri loci agnosco, sed novam imaginem. Illum tamen pallorem, de quo Gesnerus, invenias apud ipsum nostr. XII, 10, 76, ubi *pallescat* est interpretatio τοῦ *colorem exuat*, de re, quae cum purpura comparatur.

*Sensum — qui communis dicitur*) Ex hoc, quod subiicitur post *sensus* vocabulum, apparet vulgo ita appellatam fuisse hanc animi facultatem; quod, ni fallor, aetate Augusti demum fieri coepit, Ciceroni non adeo usitatum. Apud hunc enim licet satis frequenter *sensum communem* legas, adiungitur fere semper aliquid, unde pro vario nexu disputationis, variam locutioni significationem tribuas. Id tamen per omnia eius loca (v. c. Pro Planc. c. 13 et 14. — De Orat. I, 3; II, 16) observare licet, intelligi id, quod omnes homines sentiant, τὰς κοινὰς ἐννοίας, sive in veritate rerum iudicanda, sive in honestate. Non igitur proprie dicitur a Cicerone *sensus communis*, ut per se possit et debeat intelligi, sed pro re nata; et interdum pro eo est *communis prudentia* (De Fin. IV, 27); *communis opinio* (Offic. II, 10); *communis mens* (De Orat. III, 29); etiam *communes sensus* plurali numero dicuntur (ibid. c. 50, et in primis pro Cluent. c. 6); plane pro κοιναῖς ἐννοίαις. Scriptores tamen sub Augusto eoque recentiores absolute usurpant. Vt Horat. I, Sat. 3, 66, Phaedr. I, 7. Sic etiam Seneca, et Iuvenalis loco noto VIII, 73, ubi negat in proceribus frequenter esse *sensum communem*, quod nuperus interpres gallicus Dussaulx bene reddidit: *Ils ont rarement le sens commun*; qui etiam in nota recte revocat Shaftesburiensem cogitantem cum multis viris doctis de *popularitate*. *Sensus* ergo *communis* etiam hic est notitia eorum, quae nosse et sentire homines solent; prudentia qualis in quovis homine, modo inter homines versatus fuerit eorumque mores et instituta cognoverit, expectari debeat, sed potissimum qualis in usu hominum familiari est necessaria. Orta sane appellatio a communione talis sensus

cendunt omnia haec animos: et licet ipsa vitium sit
23 ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Non
inutilem scio servatum esse a praeceptoribus meis mo-
rem, qui, quum pueros in classes distribuerant, ordi-
nem dicendi secundum vires ingenii dabant; et ita
superiore loco quisque declamabat, ut praecedere pro-
24 fectu videbatur. Huius rei iudicia praebebantur: ea
nobis ingens palmae contentio: ducere vero classem,
multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat:
tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem.
Ita nec superior successu curam remittebat, et dolor
25 victum ad depellendam ignominiam concitabat. Id no-

inter homines, sed quae sensim in prudentiae totius significationem abierit, ut posset haec de ea ludere Voltarius: *Le sens commun n'est pas si commun.* Neque hoc solum est vocabulum, quod iam ab argentea, quam vocant, latini sermonis aetate coeperit in eam significationem deflecti, quam nunc tuetur in lingua Francogallica. Eius generis sunt haec: *renunciare*, *privilegium*, *publicare*, quae plane recenti sensu leguntur iam apud Senecam. De voce *vivax* videbimus ad II, 6, 3. *Sensum communem* larga exemplorum copia illustrat inter alios Bentleius ad Horat. loc. cit.

*Licet ipsa vitium sit ambitio*) Etiam *ambitionis* vocabulum aliam sub Caesaribus significationem videtur contraxisse, quam vigente habebat republica, ubi erat popularis gratiae captatio ad obtinendos honores; neque dubitabat de sua *ambitione* profiteri Cicero v. c. pro Sulla c. 4, De Orat. I, 1, ipsamque laudare Pro Planc. c. 18. Tunc igitur magis gratiae studium significabat; quod praeclare docet Gronovius ad Liv. XLV, 36, 8, postmodo vanae gloriae affectationem, et sic factum videtur, ut simpliciter hic *vitium* posset appellari. Sic iam apud Horatium. Ita mox *ambitiosa* (§. 27), pro iis, quibus gloriam captat aliquis, non quibus gratiam. Insignis est locus Taciti, ubi *gratiae* etiam opponitur *ambitio*, Annal. VI, 46, 2, et loco alio, ubi gemina huic sententia, IV, 40, 2, *fama* diserte dicitur. Attamen veteris significationis multa etiam apud hos scriptores vestigia. Haec verba *licet — causa virtutum est* ipsa lege apud Alcuinum p. Pithoei 379. Ex Quintiliano, an vicissim ex Alcuino illata in nostrum? Cf. ad I, 7, 28. Sapiunt sane Christianum. Quamquam initio et passim in hoc libello Alcuinus ipsa Ciceronis de Inv. verba ponit, lectore itidem non monito.

*Huius rei iudicia praebebantur*) *Haec res* est, utrum praecederet profectu aliquis, necne; et *iudicia praebebantur* dictum pro iudicia fiebant, iudicabatur a praeceptoribus.

*Ducere classem*) Hoc videtur dixisse Quintil. ad formam locutionis etiam Ciceroni usurpatae, *familiam*

bis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, paedagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei coniectura colligere possum, contenderim. Sed sicut firmiores in lite- 26
ris profectus alit aemulatio; ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiscipulorum quam praeceptoris iucundior, hoc ipso quod facilior, imitatio est. Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendae, quam summam putant, eloquentiae audebunt: proxima amplectuntur magis, ut vites arboribus applicitae, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt. Quod adeo verum est, ut ipsius etiam magistri, 27

*ducere.* Ea mutuo sumta est a venalium servorum familiis, in quibus pulcriora mancipia reliquum ducebant gregem, ut vendibiliorem rederent. Haec scita est Menagii ratio; fortasse tamen simplicius a disciplina militari deduxeris, ubi *ordines ducere* est centurionem esse; vid. Lexica. Seneca Pater de Latrone p. Bip. 69: *in schola, quum iam coepisset iliem ducere.*

*Acriores — faces subdidisse*) *Faces* sic pro *stimulis* dictae saepe apud huius aevi scriptores, quum Cicero dolores et insidias fere intelligat petita ab incendiis imagine. Mos tangitur a Seneca de Ira II, 14: *Equos — stimulis, facibusque — subditis excitamus*, (ubi tamen contra Codd. tentatur *calcibus*, etiam Lipsio probante) qualem etiam in timidis gladiatoribus instigandis usurpatum memorant, ubi *ignes* quidem, et *candentes laminae* narrantur, *faces subditae* non item.

*Sicut firmiores — alit aemulatio; ita — teneris — iucundior — imitatio est*) Ratio haec comparandi non statim appareat. Firmiores inter se aemulantur, quis proxime accedat ad praeceptorem, quem iam ipsum imitari audent, nemini aequalium cedentes; teneri autem, inter se et magistrum, provectiores agnoscentes multos condiscipulos, hos potius imitandos sibi sumunt, quam illum, neque adeo aemulantur commilitones suos, sed assequi solum conantur. Gedoynus comparationis subtilitatem vertendo obliteravit dum loci difficultatem dissimulare vult. Infra se ipse illustrat Qu. Vtilo — quos imitari primum, dum teneri sunt profectus; mox, quum maturuerint, vincere velis.

*Prima elementa*) Audacior metonymia id quod discitur ponendi pro discentibus, neque conficiunt rem exempla ab interpretibus allata, velut *servitia* a Sallustio dicta pro *servis*. Sed plus sibi licitum putarunt huius aevi scriptores, et ut modo *profectus firmiores* et *incipientes atque adhuc teneros* dixerat pro ipsis pueris, sic ille velut gradu insistens *elementa* ausus est pro *elementariis*; in quo potissimum displiceat, quod *elementa* ista ait *putare*. Repetit quae hic posuit, II, 3, 10, ubi *elementa* mutavit studiis, eadem metonymia.

si tamen ambitiosis utilia praeferet, hoc opus sit, quum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, et ad
28 intellectum audientis descendere. Nam ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: sic animi puerorum quantum excipere possint, videndum est: nam maiora intellectu, velut parum apertos
29 ad percipiendum, animos non subibunt. Vtile igitur est habere, quos imitari primum, mox vincere velis; ita paulatim et superiorum spes erit. His adiicio, praeceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum praesentibus, quod illa
30 celebritate audientium instinctos. Maxima enim pars eloquentiae constat animo: hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, hoc maioribus velut organis commovetur: ideoque et laude crescit, et impetu augetur, et aliquid magnum agere gaudet.
31 Est quaedam tacita dedignatio, vim dicendi, tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere: pu-

*Imitari primum, mox vincere velis*) Bona videtur Gebhardi *κρῖσις*, qui pro notissimo vocabulo malit *velit*, quia, de puero ad magistros, Quintiliani sit sermo. Assunt ita corrigenti non pauci Codd. ut et Goth.

*Influentibus — instillatis*) Est hoc ex more veterum scriptorum, post singularem, ut hic *humoris*, usurpare pluralem, quum de universo aliquo genere agitur. Sic Terent. Eun. Act. I, Sc. 2, v. 87, 88: *Eunuchum dixti velle te: quia solae his utuntur reginae*, ubi vide Donatum.

*Maioribus velut organis*) Quum et aliunde constet organa musica, fistulis compacta, iam tum fuisse in usu, et eo sensu fere semper usurpet vocabulum hoc Qu. (cf. in primis XI, 3, 16, *aura — per organa meat*) etiam nostro loco de talibus organis cogitasse videri debet. Imago tanto magis convenit eius orationi, quia supra memoraverat *spiritum*, neque aliena est ab *animo*, in quo et ipso remanet aliquod etymi vestigium. Maioribus organorum fistulis et cannis (*ὄβναχας* appellat Iulianus imperator in elegantissimo de hac machina epigrammate apud Brunck. in Anal. II, 403)

det supra modum sermonis attolli. Et sane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronunciationem, illum denique animi et corporis motum, sudorem, ut alia praeteream, et fatigationem, audiente uno; nonne quiddam pati furori simile videatur? Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

III. Tradito sibi puero, docendi peritus ingenium 1
eius in primis naturamque perspiciat. Ingenii signum in parvis praecipuum, memoria est. Eius duplex virtus, facile percipere, et fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque est docilis naturae: sic tamen, ut ea, quae discit, effingat, non habitum forte et incessum, et si quid in peius notabile est. Non dabit mihi 2
spem bonae indolis, qui hoc imitandi studio petet, ut rideatur: nam probus quoque in primis erit ille vere ingeniosus; alioqui non peius duxerim tardi esse ingenii, quam mali. Probus autem ab illo segni et iacente plurimum aberit. Hic meus, quae tradentur, non diffi- 3
culter accipiet: quaedam etiam interrogabit: sequetur tamen magis, quam praecurret. Illud ingeniorum velut

*Furori simile videatur*) Intelligitur quidem satis *declamans* iste vel *orans*, cuius habitum mente concipere iubemur; sed impeditur tamen quodammodo oratio, quod deest τῷ *videatur* suum subiectum. An post *simile* excidit *ille*, ut moneor ab amico? — *Incessum*. Mirus est consensus Codd. pro hoc vocabulo dantium *ingressum*. Ita enim Flor. (sec. Reg.) Voss. 1, 2, 3, Bodl. Ioan. Alm. Goth. (tac. Gesn.) Guelf. Argent. (sec. Obr.). Et praefert codd. scripturam Davisius ad Cic. de Nat. Deor. I, 34. *Ingressus* tamen raro tantum ap. nostrum pro *incessu*, et plerumque pro *initio*. Acquiesco igitur receptae, quum sine varietate modo fuerit

opus est, ad vehementiorem exprimendum spiritum. Caeterum *animus* hic *acumini* opponitur et *artificio*, quae non tantundem conferunt ad eloquentiam. Sic I, 8, 8: *quae — animum augeant*.

*Sermonis*) Ita Horatius: *Sermoni propiora*. Satyr. I, 4, 42.

*Pati*) Graeco plane modo πάσχειν τι pro διακεῖσθαί πως comparatum, affectum esse. Cf. I, 4, 29. Videant de hoc Graecismo tirones Vigerum Zeunii p. 269 seq.

praecox genus, non temere unquam pervenit ad fru-
4 gem. Hi sunt, qui parva facile faciunt: et audacia pro-
vecti, quidquid illic possunt, statim ostendunt. Possunt
autem id demum, quod in proximo est: verba conti-
nuant: haec vultu interrito, nulla tardati verecundia,
5 proferunt; non multum praestant, sed cito; non subest
vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur: ut quae
summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt:
et imitatae spicas herbulae inanibus aristis ante mes-
6 sem flavescunt. Placent haec annis comparata: de-
inde stat profectus, admiratio decrescit. Haec quum
animadverterit, prospiciat deinceps, quonam modo
tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi insti-
teris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam
continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio

*incessum* (2, 31) et aliis praeterea locis legatur. — *Praecox.* Praeter Goth. qui tamen in margine habet *praecox* etiam Guelf. *praeceps*, quod Gesnerus praefert, referendum (ut putat) ad *praecurret*; quia *praecox* non sit in vitio. Ego ob *frugem* necessarium puto *praecox*. — *Pervenit.* Guelf. *pervenerit*. — *Quidquid illic possunt.* Guelf. cum aliquot edd. omittit *illic*, quae omissio sensum efficit apertum et facilem; neque tamen tutum est abiicere *illic*, quod quo errore potuerit irrepere, nemo dicat. Optima sane ratio est, quam post Gebhardum, pro *illic* coniectantem *illico*, proponit Gesnerus: *qu. poss., illico ostend.* ut *statim* glossa sit minus noti *illico*, quae postquam in textum migrarit, verum huius loci vocabulum *illico* varie fuerit iactatum. Magnopere enim in ea voce scriptura variat, dantibus Codd. et edd. modo *illud*, modo *illi*, modo *ibi*, modo *illic*. — *Prospiciat.* Hoc e Goth. et aliis accivit Gesn. pro *perspiciat.* Etiam Guelf. *prosp.*

*Quidquid illic possunt*) Vid. not. crit.

*Non subest vera vis*) Haec a plantis mutuo sunt sumta, et fortasse expressa e Virgil. Georg. II, 49: *Quippe solo natura subest*; quem etiam pressius sequitur noster X, 2, 11: *subest natura et vera vis.*

*Continuatio extundit*) Pulcherrima et plane viva imago petita a sculptore, qui innumeris scalpri ictibus e rudi marmore Deum aliquem extundit. Appositissimus est Virgilii locus, et ipse egregius, Georg. I, 133: *Vt varias usus meditando extunderet artes Paulatim.* Peculiare tamen Quintiliano et pulchrius etiam, quod apud eum extunditur *ipsa materia* h. e. extundendo fingitur; quum apud alios passim *materiae* extundatur effigies. Gedoynus omnem obliteravit imaginem, etsi sententiam retinens:

extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, 7
quem laus excitet, quem gloria iuvet, qui victus fleat:
hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio;
hunc honor excitabit; in hoc desidiam nunquam ve-
rebor. Danda est tamen omnibus aliqua remissio; 8
non solum, quia nulla res est, quae perferre possit
continuum laborem; atque ea quoque, quae sensu
et anima carent, ut servare vim suam possint,
velut alterna quiete retenduntur: sed quod studium
discendi, voluntate, quae cogi non potest, constat. Ita- 9
que et virium plus afferunt ad discendum renovati ac
recentes, et acriorem animum, qui fere necessitatibus
repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est et hoc 10
signum alacritatis: neque illum tristem, semperque de-
missum, sperare possum erectae circa studia mentis
fore, quum in hoc quoque, maxime naturali aetatibus
illis, impetu iaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne 11
aut odium studiorum faciant negatae, aut otii consue-
tudinem nimiae. Sunt etiam nonnulli acuendis puero-
rum ingeniis non inutiles lusus, quum positis invicem
cuiusque generis quaestiunculis aemulantur. Mores 12

*Retenduntur*) Egregia scriptura pro *retinentur*, quod habent aliquot Codd. et multae edd. *Retenduntur* aperte praefert Goth. (mire negante Gesnero, qui *retinentur* ibi legi narrat) et Guelf. *retunduntur* per librarii errorem sane. — *Velut* alieno quidem fere videtur esse loco, quod commodius praecedat vocem *retend.* Sed nihil in positu variant Codd. et edd. nisi quod Goth. et Guelf. et Loc. Rusc. Bad. Ald. *qu: alt.* pro *alt. qu.* quod ipsum praefero; in τῷ *alterna* saltem nulla est imago, aliqua tamen in *quiete*, ut totum illud *qu. alt. ret.* pro similitudine aliunde ascita accipias, proptereaque praemissum ei sit *velut*, translationis index.

*Illum tristem*) Guelf. cum aliquot aliis Codd. *ullum tr.* — *Possum.* Guelf. *possim*, et ita vett. edd. pleraeque. — *Cuiusque generis.* Vett. edd. Loc. Rusc. Ald. Bad. Steph. *cuiuscunque* dant, qui sane est sensus. Sed quum Codd. videantur receptam firmare, (Goth. saltem et Guelf.)

*On en voit qui ne réussissent qu'à force de tems et d'étude.*

*Gloria iuvet — victus fleat*) Georg. III, 102: *Et quis cuique dolor victo? quae gloria palmae?*

*Cuiusque generis*) Vid. not. crit.

quoque se inter ludendum simplicius detegunt, modo nulla videatur aetas tam infirma, quae non protinus quid rectum pravumque sit, discat; tum vel maxime formanda, quum simulandi nescia est, et praecipientibus facillime cedit. Frangas enim citius, quam cor-
13 rigas, quae in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer; habendumque in animo semper illud Virgilianum:

*Adeo in teneris consuescere multum est.*

14 Caedi vero discentes, quamquam et receptum sit et Chrysippus non improbet, minime velim: primum, quia deforme atque servile est, et certe, quod convenit si aetatem mutes, iniuria; deinde, quod si cui tam est mens illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quaeque mancipia, durabitur; postremo quod ne opus erit quidem hac casti-
15 gatione, si assiduus studiorum exactor astiterit. Nunc fere negligentia paedagogorum sic emendari videtur,

potest videri *cuiusque* consulto a Qu. scriptum pro *cuiuscunque*; cf. interpretes ad Livii I, 24, 3, et Gronov. in primis.

*Et certe — quod convenit*) *Certe* omittit Voss. 3, bene, cf. not exeg.

*Modo nulla videatur aetas*) Tum demum utiliter *se detegunt mores*, si simplicitate ea, *simulandi nescia*, uti sciat magister, et iam tum recti sensum vel tenerrimis ingenerari posse sibi persuadeat. Haec argumentandi ratio apparet sublata ante *modo* maxima interpunctione, quam primus male invexerat Gesnerus.

*Illud Virgilianum*) Georg. II, 272.

*Certe, quod convenit si aetatem mutes, iniuria*) Interpunxi cum Obrechto, et interpretor cum Badio: *Convenit, a nemine negatur, iniuriam esse caedi, si in adulto fiat. Certe* dicitur comparate ad *deforme atque servile*; nam si forte neget quis *def.* esse *atque serv.*, iniuria *certe* est. Facile tamen careas alterutro, aut τῷ *certe* aut τῷ *quod convenit*. Interpunctio a plurimis adoptata, qua inciditur post *convenit*, etiam magis otiosum facit *quod convenit*.

ut pueri non facere, quae recta sunt, cogantur, sed, quum non fecerint, puniantur. Denique quum parvulum verberibus coëgeris, quid iuveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, et maiora discenda sunt? Adde 16
quod multa vapulantibus dictu deformia, et mox verecundiae futura, saepe dolore vel metu accidunt; qui pudor refringit animum, et abiicit, atque ipsius lucis fugam et taedium dictat. Iam si minor in deligendis 17
custodum et praeceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quae probra nefandi homines isto caedendi iure abutantur, quam det aliis quoque nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac: nimium est quod intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, in aetatem infirmam, et iniuriae obnoxiam, nemini debere nimium licere. Nunc quibus 18
instituendus sit artibus, qui sic formabitur, ut fieri possit orator, et quae in quaque aetate inchoanda, dicere ingrediar.

IV. Primus in eo, qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus. Nec refert, de graeco an de latino loquar; quamquam graecum esse priorem placet. Vtrique eadem via est. Haec 2
igitur professio, quum brevissime in duas partes dividatur, *recte loquendi* scientiam, et *poëtarum enarrationem*; plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et scribendi ratio coniuncta cum *loquendo* est, 3
et enarrationem praecedit *emendata lectio*, et mixtum his omnibus *iudicium* est: quo quidem ita severe sunt

*Quum non fecerint*) Codd. omnes *cur*, tacentibus Gesn. et Spalding. Ita quoque vett. edd. Nec video cur recentiores hanc lectionem mutaverint. Dvss. — *Quid iuveni facias.* Goth. *facies* (tac. Gesn.) Bene.

*Nemini debere*) Goth. (tac. Gesn.) Guelf. et omnes fortasse Codd. *debet*; infinitivum, qui sane magis videtur latinus, primus dedit, sed ex coniectura, Badius.

usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserint sibi: sed auctores alios in ordinem redegerint, 4 alios omnino exemerint numero. Nec poëtas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed verba, quae frequenter ius ab auctoribus sumunt. Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, quum ei de metris rhythmisque dicendum sit: nec si rationem siderum

*Summovere familia*) Goth. (tac. Gesn.) et Guelf. *familiae.*

*Veteres grammatici*) Alexandrinos potissimum intellexit Grammaticos, de quibus nostra aetate a Villoisono in Prolegomenis ad Iliadem, et a F. A. Wolfio in suis itidem ad Homerum Prolegomenis eruditissime fuit disputatum.

*Censoria quadam virgula*) *Obelus* proprie appellatur, quo spurios versus confodere solebat *Censor Aristarchus*, ut Ausonio audit in ludo VII sapientum. *Censorium stilum* de veris censoribus dicit Cicero pro Cluentio c. 44.

*Alios — exemerint numero*) Re iterum iterumque perpensa, lubens transeo in Ruhnkenii castra, docentis (Historiae Oratorum Graecorum Criticae p. 96) *redigere in ordinem* et *eximere numero* latinas esse locutiones pro graecis in hocce negotio magnopere frequentatis: ἐγκρίνειν καὶ ἐκκρίνειν. Conficiebant Alexandrini illi Grammatici indices scriptorum, (canonas appellabimus, quo facilior sit eiusdem rei circa libros sacros iam cognitae comparatio) qui legi potissimum mererentur, quo facto canonici isti scriptores a caeterorum turba ita segregabantur, ut iam paene soli scripsisse viderentur, quique in numerum non essent relati, vulgo negligerentur, et vel eam ipsam ob causam magna saue ex parte interciderint. Omnem hunc locum qui probe cognoscere cupit, magno cum fructu leget disputationem Ruhnkenii loco indicato, adde Wolfium in Prolegomenis Homericis pag. 190. Lucem nostro loco ministrat ipsius Quintiliani alter X, 1, 54. Neque tanti est (quod olim me ab hac interpretatione avertebat), quod *redigere in ordinem* apud multos argenteae aetatis scriptores sensu contumelioso legitur. Eius significationis insigne est exemplum apud Sueton. Vespasian. c. 15: *altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus.* Locutio petita videtur a disciplina militari, quum is, qui centurio fuit aut tribunus, in ordinem gregariorum militum denuo cogitur. Vid. Festum in *ordinarius* ibique Dacerium p. 312, 13, 14. Pro eo Livius fere *cogere in ordinem* dicit, quem Priscianus l. XVIII, p. Putsch. 1173 *redigere in ordinem* scripsisse l. XXX hoc sensu, narrat; sed falso ille. Nihil enim eiusmodi in toto eo Livii libro. (Obiter hic monere liceat, ibidem in Prisciano, pro *probabilibus et*

ignoret, poëtas intelligat; qui (ut alia mittam) toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur: nec ignara philosophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos, ex intima quaestionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstravimus, rerum dicat proprie et copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem ac ieiunam, cavillantur: quae nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit,

*Oratoris futuri*) Sat multorum Codd., in his Goth., auctoritatem secutus, ut et vett. edd., plerarumque, praeter Ald., ascivi genitivum pro dativo, *oratori futuro*, quod et Obrechtus fecit et suadet Lochmannus l. c. p. 10. Vox *superstruxeris* ita dici haec ostendit, ut oratio convertatur ad magistrum, non ad discipulum qui est *orator* ille *futurus*. Grammatice igitur *magistro* iaciet *fundamenta oratoris*, non ipsi *oratori*. Si *superstruxerit* legeretur, alia foret ratio. Cf. not. criticam ad c. 2, 29, ubi *velit*, eadem de causa, commodius videbatur quam *velis*. Guelf. *orautilissimis*, legendum esse *prob. et vilissimis*.) Etiam *omnino*, in istis *omnino exemerint*, quo maxime nitebar, quum *red. in ord.* de contumelia interpretabar, ut *omnino ex.* esset etiam gravior praecedenti iniuria, etiam hoc, inquam, permittit eam, quam nunc sequimur, loci explicationem. Neque enim decet tantopere urgere unam voculam, ubi manifesta sunt caetera. Quod autem attinet ad usum τοῦ *red. in ord.*, fortasse aut ignoravit eum, aut improbavit Quintilianus, a iunioribus, ipsius etiam discipulis, frequentatum. Saltem ambiguitati timuisse non videtur. Prisciani locum certatim ad partes vocarunt VV. DD. obliti ad unum omnes quaerere, quo lib. XXX capite ista locutione uteretur Livius. Ne Drakenborchus quidem ad Liv. XXV, 3, 19, citantem Prisciani verba Sigonium exhibens, hunc errorem redarguit, neque emendavit citationem Sigonii, Prisciani sententias, apud ipsum diremtas, continuando misere turbantem.

*Empedoclem — Varronem*) Empedoclis, praeter alia, philosophicum poëma περὶ φύσεως memoratur ab antiquis, cuius fragmenta servata sunt. M. Terentius Varro prosae orationi versus intertexuit in Satyris Menippeis, quarum lacera plane fragmenta, e Grammaticis conquisita plerumque, docent in ethicis eas maxime fuisse occupatas. Cf. nostr. X, 1, 95. Memorantur versus Varronis etiam ex eius Περιπλῳ φιλοσοφίας apud Nonium Gramm. item e libro, cui titulus *Prometheus:* ex eo autem, qui proprie inscribitur de *Philosophia*, nulli. Cic Academ. I, 3, postquam Varronem de Menippeis suis loquentem fecerat, ipse subiicit: *va-*

quidquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola omni studiorum genere plus habeat operis,
6 quam ostentationis. Ne quis igitur tanquam parva fastidiat grammatices elementa: non quia magnae sit operae, consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri; sed quia interiora velut sacri huius adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque
7 eruditionem ad scientiam possit. An cuiuslibet auris est exigere literarum sonos? non hercule magis, quam nervorum. At grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem: Desintne aliquae nobis necessariae literae, non quum graeca scribimus (tum enim ab iisdem duas mutuamur), sed proprie
8 in latinis? ut in his, *Seruus* et *Uulgus*, Aeolicum digamma desideratur, et medius est quidam U et I

*tori* dat; pro *futuro* autem, per errorem, *futura*. — *Quae vel sola — plus habeat.* Coniunctivum ascivi pro *habet*, e Codd. Voss. 3 et Guelf. et edd. Ald. et Viarti, flagitante latinitate. Residet tamen mendum in ablativo *omni genere* absque praepositione, ubi inseri oportere *in* ante *omn.* iam *Wassens* vidit in Indice ad Sallust.

*rium et elegans — poëma fecisti: philosophiamque multis locis inchoasti.*

*Quam nervorum*) *Nervi* hic intelliguntur quales sunt in citharis et lyris, ut Horatii *testudo resonare septem Callida* nervis. *Literis*, non *auri*, opponuntur *nervi*.

*Grammatici saltem*) Etiam hic alius fortasse scriptor maluisset *quidem* pro *saltem*, etsi cognata sunt magnopere; cf. ad C. 1, 24.

*Duas mutuamur*) Intelligi Y et Z facile apparet, vel hoc, quod sequitur, *nostrarum ultima* X. Quamquam et Φ literam in Graecis nominibus scribendis mutuantur Romani, *p* et *h* iunctis exprimentes. Cf. XII, 10, 27.

*Aeolicum digamma desideratur*) Quam *v* consonam pronunciabant literam Romani, eam figura quidem non dirimebant a vocali, sed utramque designabant U. (Sic enim, ut vocalem significem, malo h. l. scribere pro eo, quod verius est, V.) Quum igitur scribenda occurrerent eiusmodi vocabula, qualia sunt *Servus*, *Vulgus*, defectus signi magnopere apparebat, dum litera eadem bis deinceps posita, SERUUS, UULGUS plane diverso modo debet legi. *Nos hodie U literam in duarum literarum potestatem coëgimus: nam modo pro digamma scribitur, modo pro vocali,*

literae sonus (non enim sic *optimum* dicimus, ut *opinum*) et in *Here* neque E plane neque I auditur:

*Non — sic optimum dicimus ut opimum*) Haec scriptura sensui maxime convenit, et defenditur ab aliquot Codd. Britannicis quidem duobus, ut coniicio ex Gibsoni silentio. Guelf. praepostere habet *oportunum* pro *optimum*, sed pro *opimum* levi tantum errore *opinum*. Fateor de auctoritate Codd. me tanto esse solicitiorem, quia Regii, etsi felix, coniectura, qui primus, sine Cod., ex *optimum* erasit *t*, habet, de quo dubites. Recte enim Badius, qui tuetur vulgatam: — *optumum — optimum*, urget contra Regium, diversam esse in *opimum* et *optimum* penultimae quantitatem, quamobrem hoc potissimum exemplo usurus fuisse vix videatur Quintilianus. Acquiescendum tamen recepta; nam e vulgata quidem, qui sensus possit extundi, plane non video. — *Et in Here*) Praepositio *in* abesse quidem videtur ab omnibus Codd. (ut Guelf. et Goth, tac. Gesn.) ut et vett. edd. Necessariam tamen fere dixeris sententiae.

Cassiodorus de Orthographia pagin. Putsch. 2282. Erat autem sonus Aeolicae literae is, quem habet Anglorum W consona; talem enim esse, quum orditur syllabas, non vocalem, contra Lowthum, doctissimum Episcopum Londinensem, defendit Walkerus in Lexico Pronuntiationi inserviente p. 3, §. 9. Hunc defectum signi, quum sonus adesset, explere volebat Claudius Caesar, sed (Prisciani sunt verba p. 546) *consuetudo antiqua superavit*. It. Tac. Annal. XI, 14: *Haec litera, usui imperitante Claudio, post obliterata, aspicitur etiam nunc in aere, publicandis plebiscitis, per fora ac templa fixo*. Cf. nostr. cap. 7, 27, et XII, 10, 29. « Nomen — apud Aeoles habuit olim — *ναν* » Prisc. l. c. (Facile hic agnoscas originem Phoeniciam) τοῦτο δ' ἦν ὥσπερ γάμμα διτταῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις. Dionysii Hal. Antiq. Rom. pag. 16 edit. Sylb. Inde nomen *Digamma*, pro quo et *Digammon* (ut h. l. Codd. Guelf. et plerique alii) et *Digammos* feminino genere. Eleganter et docte de hac litera disputat Foster: *Essay on the different nature of accent and Quantity*. Eton. 1763 p. 122 sqq.

*Non — sic optimum dicimus ut opimum*) Non tam expresse pronuntiamus literam *i* in voce *optimum*, quam in *opimum*, sed obscurius, ut videatur fere audiri *u*, *optumum*.

*Et in Here neque E — neque I*) Hinc apparet, quomodo poëtis licuerit alterutrum pro sua utilitate ponere. Priscian. pag. 1011: *dicitur et here*. Iuvenalis in I, (est autem Sat. 3, 23): *Res hodie minor est* here *quam fuit*. Horatius in II Ser. (Sat. II, 8, 2) *dictus* here *illic*. Neque tamen Horatius metri necessitate coactus. Charisius Instit. Gramm. pag. Putsch. 180: *Quidam here putant dici debere*, quamdiu, *heri* quando. *Afranius tamen in Emancipato: Quod* heri (i. e. per totum hesternum diem, notione *quamdiu*) *inquit, obstitit*. Id discrimen significationis neque a Quintiliano aguitum fuisse, nostro loco apparet. Fortasse similis soni obscuritas fuit in *ruri*, unde Horatius: *mè*

9 ân rursus aliae redundent (praeter illam aspirationis notam, quae si necessaria est, etiam contrariam sibi

*Aspirationis notam — contrariam sibi poscit*) Nihil attinet plurimas hic memorare Codd. discrepantias, sed monendus est lector, post *notam* esse omissum a me hoc signum Ⱶ, ut post *poscit* alterum ϟ, quae sunt apud Gesnerum et plerosque editores a septimodecimo inde seculo. Neque absunt eae notae ab omnibus Codd., etsi a plerisque, ut a Guelf. Non autem supervacuae solum sunt, sed turbant prorsus locum. Si eas posuit Quintilianus, sequitur eius tempore in quotidiano usu fuisse notam Ⱶ, quod quis est, qui defendat? Nam si quaerit Grammaticus, an redundet aspirationis nota Ⱶ, sequitur, ut invenerit eam in Alphabeto. Sin absunt, quae est plerorumque Codd. scriptura, intelligit Qu. notissimam aspirationis notam H, et *illam* aut dicit, quasi *quam novimus, de qua solet ultro citroque disputari*, aut refert ad ipsam literam H in *Here*, vocabulo modo tractato. Cf. Priscian. p. 560: *H literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi, similiter ut Latini, in versu scribebant, nunc autem diviserunt, et dexteram eius partem supra literam ponentes*, psilen (ψιλὸν) *notam habent..... sinistram autem contrariam illi aspirationis* dasiam (δασεῖαν). Similia docet Sergius in Donati edit. prim. p. Putsch. 1829. Ad nostrum locum haec maxime pertinent. *Nos his* (videl. τοῖς Ⱶ et ϟ) *sociatis aspirationis fecimus notam H.* Est autem de H magna inter Grammaticos Putschianos lis, aliis literam eam vocantibus, aliis, et pluribus quidem iis, negantibus, cum quibus facere Quintilianum apparet eo, quod subiicit: *quae si — poscit*. Cf. ipsum nostrum I, 5, 19. Cod. Guelf. cum Bernensi plane consentit, sic dando: *praeter illam aspirationis, quae — contraria sibi poscit.* Omittunt igitur ii *notam* post *asp.* in quo socios habent Voss. 1, 3, Bodl. et Ald. cum aliquot praeterea edd. Item *contraria* dant pro *contrariam.* Aliquot Codd. retinere *notam* (Ioann. profecto et Bal.) diserte narrat Gibs. et necessarium est vocabulum. — *Vt K*) Guelf. et omnes Codd. *et K.* Obsecutus sum Capperonnerio et Gesnero, de coniectura mutantibus *et* in *ut.* Necessarium prorsus est, ut hinc ordiamur exempla supervacuarum literarum, quae debent induci per adverbium *ut*, non per coniunctionem *et.* Si enim maxime annumeres hoc, quod dicit de li-

*ture futurum.* Epist. I, 7, 1. De *here* cf. etiam nostr. c. 7, 22, quo loco apparet obsoletam fuisse scripturam *heri.*

*Praeter illam — poscit*) Intelligit literam H (vid. not. crit.) quam necessariam negat, quum sit mera aspiratio, quae nota non magis indigeat, quam *spiritus lenis*; neque tamen huius signum esse apud Latinos. Nimirum veteres, quum syllabam a vocali ordiebantur, sentiebant spiritum aliquem anteverti illi vocali, qui aut asper esset aut lenis. Tenet igitur Quintilianus, aut utriusque signum fuisse adoptandum, aut utriusque negligendum. Graeci ipsi pariter cum accentibus ignorabant spiritus in scribendo, et ubi oblatum esset v. c. ΟΙΟC, sola orationis serie iudicabant, utrum pronuntiandum esset, οἷος, an οἵης, an οἵης.

poscit), ut K, quae et ipsa quorúndam nominum nota est: et Q, cuius similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, *Koppa* apud Graecos nunc tantùm in numero manet: et nostrarum ultima X, qua tamen carere potuimus, si non quaesissemus.

tera K, exceptioni, ut referas ad *praeter*, saltem *et Q* cogeris mutare in *ut Q*; neque ullo modo procedet ratio, si etiam hoc exceptioni adiungas, quoniam *et ultima nostrarum* nominativum ostendit, qui referri ad *praeter* plane recusat. Ceterum quam frequens in Cod. τῶν *ut* et *et* sit confusio, monstrabit Drakenb. ad Liv. XXI, 28, 8. — *Effectu specieque*) Verissimam hanc scripturam, pro vett. edd. et aliorum Codd. *effectus speciesque*, praeter non ita paucos Codd. defendit etiam Guelf nisi quod vocem *effectu* imperfectam reliquit, sic: *effe*. Goth. autem, contra quam Gesn. narrat, pravam dat: *effectus speciesque*. Ceterum Guelf. in literae nomine *Koppa* habet errorem vulgarem: *Kappa*, egregie correctum a doctissimo Senatore Divionensi, Boherio, Montf. Palaeogr. p. 569. — *Qua tamen....quaesissemus*) Mira est constantia Codd. Goth.

*Quae et ipsa — nota est*) Huius additamenti non prorsus perspicua est ratio, praesertim horum *et ipsa*. Refero autem ad H, quae quum negaretur esse vera litera et diceretur nota, pari modo K notam magis nominum, quam veram literam, soni alicuius indicem, videtur putare Qu. Sic Velius Longus p. Putsch. 2218: *qui K expellunt, notam dicunt esse magis, quam literam*. Nomina autem hac nota designabantur *Keso*, *Kato*, (nisi apud Velleium Longum l. c., pro *Kato*, legendum est *Keso*, quae est Buttmanni V. C. coniectura, quum praesertim notissimum hoc in hac re nomen ibi non memoretur) *Kaeso*, ut et *Kalumnia*, *Kaput*, *Kalendae*. *Nomina* hic quidem non de solis propriis, quae vocant, usurpasse videtur Qu.

*Cuius similis — Koppa — manet*) Significat Qu. in vetere Graecorum Alphabeto Koppa, Hebraeorum Kuph, etiam inter literas fuisse numeratam. (Attende enim ipsa literarum nomina feminino esse genere apud nostrum v. c. *K*, *quae*, et §. 15, *eadem* respiciendo ad B.) Nota illa, quae talis est , varie enim pingitur, numerum designat, et quidem nonaginta. Apparet quomodo Q Romanorum potuerit *specie eius similis* vocari, nulla fere alia re diversa a Graeca, quam quod cauda romanae literae sinuatur et *obliquatur*. Pertinet autem Koppa ad Episema Graecorum, de quibus videant tirones Eschenburg *Handbuch der klassischen Litteratur*. p. 23 et Simonis introductionem in Lingnam Graecam p. 66, 67.

*Nostrarum ultima X — quaesissemus*) Vltima *nostrarum* h. e. Latinarum est X, quia Y et Z sunt Graecae. Carnerunt autem τῇ X veteres Romani. Vid. Maximum Victorinum p. Putsch 1945: *Ante X literam, quae postea in compendium inventa est*, rex *per* gs; *item* pix *per* cs *veteres scribebant*. Eadem habet Marius Victorinus p. 2466. Vid. not. crit.

10 Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia *Iam* sicut *Tam* scribitur, et *Uos* ut *Cos*. At, quae ut vocales iunguntur, aut *unam* longam faciunt, ut veteres scripsere, qui geminatione earum velut apice utebantur; aut *duas*: nisi quis putat etiam ex tribus voca-

Bern. Voss 1, 3, Alm. Guelf. inter *potuimus* et *si* insercntium *quam*. Etiam paulo ante pro *tamen* Voss. 3, Alm. Bern. dant *tam*, ut leviorem taceam varietatem, cuiusmodi est, quod Bern. Voss 1, 3 et Guelf. *quaerimus* dant pro *quaesissemus*. Fateor me haerere in loco. Ieiunum videtur hoc, quod subiicitur, quo nihil significatur nisi, supervacuam esse X: et hoc iam declaraverat verbis istis: *an redundent*, ut non opus esset de una X diserte monere, quod de omnibus hisce intelligebatur. An voluit ostendere, X solam esse supervacaneam, ceteras non item? Non puto. Vellem aliquid de vetusto scribendi more, ante inventam X, esset memoratum, ita fere: *qua tam carere potuimus quam quum nondum quaesissemus*. Sed nimis haec recedunt. Displicet in primis *tamen*, quum nihil praecesserit, quare necessariam crederes τὴν X.

*Quia Iam — Cos.*) Difficillimus locus. In scriptura quidem nihil variatur, praeterquam quod unus Codex Almelovecnii et sat multae editiones, quarum, praeter aliis memoratas, etiam sunt Locat. Rusc. Bad. Viart. pro *Quos* dant *Vos*. Recepit hoc novissimus Capperonnerius quem ego sum secutus; quamquam obstat numerus Codd. Sic saltem par est ratio ut inter *Iam* et *Tam* sic inter *Uos* et *Cos*. Vtrobique enim vocalis, hic U, illic I, abit in consonantem, ut possit comparari eiusmodi syllaba cum altera, in cuius initio sit manifesta consonans. Vel sic tamen resident scrupulus in verbo *scribitur*, pro quo malis *pronuntiatur*, *dicitur*. Gesnerus quidem scripturam receptam ita interpretatur: *Quos scribitur et pronuntiatur pro monosyllabo non minus quam Cos*; (modo recte eius mentem ceperim) *itaque U vim vocalis non habet*; sed longe aptius ostendendo ei, quod volebat Qu., vocabulum erat *Uos* quam *Quos*. *Quos*, si recte legitur, cum *Cos* alia plane ratione cognatum est, quam est *Iam* cum *Tam*. Gedoynus et ipse praetulit *Uos*, sed ex eius versione non multum proficias: *puisque l'on écrit* iam *comme* tam, *et* vos *comme* cos, sine ulla animadversione. Diomedes ap. Putsch. p. 416 de U post Q haec docet: *U litera interdum nec vocalis, nec consonans habetur quum inter Q literam consonantem, et aliam vocalem constituitur, ut* quoniam, quidem » quae repetit Donatus p. 1736. Et haec videtur ipsorum quidem veterum ratio, etsi eam mirantur recentiores ut Beda p. 2350. Gallacus verba nostra glossam putat. Non male; vid. I, 7, 28. — *Et Uos*) Sic et Iens. (tac. Gesn.) — *Scripsere*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *scripserunt*, ut pro *scriptores*, quod inveniebat, optabat Regius, et sic certatim fere Codd. Vnde sit *scripsere* non novi; sed est iam in Locat.

*Quia Iam — Cos.*) Vid. not. crit. *Aut duas*) Ipsa vox *duas* exemplo est, fortasse consulto. — *Aut duas*, Non prorsus apertum est, modo ad

libus syllabam fieri; quod nequit, si non aliquae officio 11
consonantium fungantur. Quaeret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coëundi natura sit, quum consonantium nulla, nisi alteram,

*In se ipsas — Seruus*) Secutus sum Gesnerum, qui cum veterrimis edd. et Codd. omnibus (nisi forte Ioann. numero est eximendus, quod e silentio Gibsoni coniicias) inter *consonantium* et *nulla* omittit *coëat*, quod est in multis recentioribus, non tamen, ut narrat Gesn., post Stephanum demum, quum Badius 1516 hanc vocem iam praeferat. Guelf. itidem omittit ut et Viarti editio. Tantillum tamen de meo addidi, ut post *alteram* inciderem. Sententia haec videtur: Vocales duae (cave enim de quibusvis duabus vocalibus, iuxta se positis, intelligas, ut fecit Gedoynus et ipse fortasse Gesnerus. Id vetat positus vocis *duabus* in fronte collocatae) solae (*demum* pro *tantum* vid. ad Prooem. 3) possunt coïre in se ipsas h. e. bis poni, ita ut simul pronuntientur; consonantes omnes aliam solum consonantem, a se diversam, frangunt. Hoc *frangendi* vocabulum, insolens hac, qua legimus, significatione, difficilem facit locum. Recte tamen Gesnerus tenet, si *coëat* inseratur, meras tenebras obiici, qua in re eius mentem non est assecutus Lochmannus l. c. p. 10, qui *coëat*, sive scribatur, sive omittatur, intelligi tamen oportere putat. Hunc errorem incidendo post *alteram* videor prohibuisse. Opponuntur iunctae, unaque pronuntiandae, vocales consonantibus itidem simul pronuntiandis. Vocales duae saltem (I et U, quod patet exemplis mox afferendis) possunt sibimet ipsis eaedem iungi; consonantes nullae, nisi alteri a se diversae. Hanc vim pronominis *alteram* si quis gravatur, potest exemplis veterum redargui, quae ministrat Taubmannus ad Plaut. Truculent. Act. I, Sc. 2, v. 70, ut et Tursell. in hac voce p. 109. Loco, huic gemino, XII, 10, 29, exemplo docemur manifesto, quid sit *frangere consonantem*. Dicitur enim F frangere consonantem aliquam in ipso hoc

*unam*, *syllabam* sit intelligendum, an *vocalem*. In priore ratione, illud quod subiicitur *nisi quis — fieri*, non bene procedit, in altera, quae sola vera nunc videtur, exemplo non potest esse *duas*. Opus enim est significatione diphthongi, quae *duas* quidem habet vocales, sed *unam* syllabam. Sententia haec est: *Vocales deinceps positae et in unam syllabam coagmentatae* (id enim significare vocem *iunguntur* h. l. apparet attendenti) *faciunt aut* unam (vocalem) *ut* vehemens, *aut* duas (vocales) *ut* aut. *Nam tres vocales nunquam iunguntur, ita ut sint in una syllaba, nisi forte aliqua earum fungatur officio consonantis, ut* vae. Perperam igitur sum secutus Gesnerum, ad *duas* intelligentem *syllabas*, et exemplum in ipsa voce agnoscentem, qui error repetitur infra pag. 54, vs. 7 in not. crit. (Ita Spald. in praef.)

*Fieri; quod nequit*) Repetendum mente *fieri*, ut Livius VI, 37, 7: *obtinendum esse, quod comitiis — nequeat;* videlicet *obtineri*.

*In se ipsas — Seruus*) Consule not. crit.

frangat. Atqui litera I sibi insidit; *Coniicit* enim est ab illo *Iacit*: et U, quomodo nunc scribitur *Uulgus* et *frangit*. Nam quod ibi additamentum hoc: *ut in hoc ipso frangit*, tanquam glossam reiecit, aliquot Codd. auctoribus, Burmannus, id quidem parum κριτικῶς videtur fecisse. Tralatitius est librariorum error omittendi interiecta eidem voci bis positae, (ut hic *frangit — frangit*) una cum ipsa hac posteriori voce: et plane ex more Quintiliani, exempla praeceptis non iungentis modo, sed libenter immiscentis, erat addere verba ista. Sic paulo ante (I, 4, 10) *duas* etiam exempli causa dicere videbatur. Et habet ea, praeter multos Codd., etiam Guelf. Quamquam igitur ipsum sonum, qui *fractus* dicitur, ignoramus hodie, tantum tamen hoc exemplo discimus, agi de quadam consonantium duarum coniunctione, ubi secunda afficiatur, eo modo, quem *frangendi* vocabulo appellent veteres. Optabile quidem erat, ut pluribus Grammaticorum locis usus hic vocabuli peculiaris proprie finiretur, sed tales neque a VV. DD. memorantur ulli, neque ipse inveni. Iam observari meretur, e Quintiliani sententia, consonantium nullam bis positam in una posse efferri syllaba, seque adeo ipsam frangere. Sive enim *dd*, sive quamcumque tandem literam bis pones, vel in initio vel in fine syllabae, nonnisi semel audies *d* etc., quo apparet alteram *d* perire plane neque coire in se ipsam. *Atqui* (ita enim continuat argumentationem) *litera I sibi insidit. Sibi insidere* itidem nove dicitur vocalis, sed facile intelligitur, neque opus est mutatione, qualem ex paucis Codd. tentant Gebhardus et Obrech., quum ceteri, inter quos Guelf., consentiant omnes in receptam. *Sibi insidit* nihil aliud est, nisi *coit in se*, bis ponitur deinceps et tamen simul pronuntiatur. Hoc, tanquam exemplo, docet verbo *coniicit*. In quo afferendo mirum potest videri, quod ait *coniicit enim* esse ab illo *Iacit*. Qui inde quod est a *Iacit*, sequitur insidere sibi I? Ad hoc intelligendum unice facit caput aliquod Anli Gellii, indicatum iam a Mosellano. Gellius enim IV, c. 17 fuse docet rationem producendae primae in hujusmodi vocabulis: *coniicere*, *obicibus*, *subicibus*. Negat vocalem eius longam esse, neque tamen vult corripi eiusmodi syllabas, sed ait positu reddi longas; tertiam autem literam v. c. in *obicibus* per duo I, non per unum, esse scribendum. *Nam verbum istud, cui supra dictae particulae praepositae sunt, non* icio *est sed* iacio. En ipsam Quintiliani rationem. Usus obtinuit in omnibus ex *iacio* compositis, ut nonnisi uno I scriberentur, ut *conicere*, *obicere*, *subicere*, *inicere*, quod etiamnum observari videmus in *obicibus* et Ennianis illis *subicibus*. Etiam poetae hac licentia utuntur, ut Iuvenal. XV, 17, et Martial. X, 82, 1, qui *abicit* et *adicit* usurpant prima brevi. Cf. Serv. ad Aen. IV, 549, et Dnk. ad Flor. I, 10, 5. Quum igitur vellet Qu. τῷ *coniicit* uti pro exemplo *insidentis sibi I*, cogebatur obviam ire errori, quo quis esset negaturus in ea voce duo esse I. Rectius propterea hoc fortasse loco scripseris *conicit*. Sic etiam vetamur cogitare de I supra ceteras literas eminente, quales duplices vocales pariter et consonantes solent scribi in XII tabulis. In vocali U res eadem manifesta est sine ulla dubitatione ex recentiori more scribendi UULGUS et SERUUS, quum antiquitus scriberetur UOLGUS,

*Seruus.* Sciat etiam Ciceroni placuisse *Aiio Maiiam-*

SERVOS (quod docent et noster c. 7, 26 et Priscian. p. 554: *Romanorum — vetustissimi in multis dictionibus, loco τῆς U, O posuisse inveniuntur — et maxime digamma antecedente — ut seruos* pro *seruus*, *uolgus* pro *uulgus*, *Dauos* pro *Dauus*. (vid. et Donatum ad Andriam III, 4, 1) Quare in talibus grammaticis veterum locis puto duplex U esse retinendum (nam ne antiquius quidem illud V, quod solum veteres norant, satis rem demonstret aequalibus nostris, quippe pro consona acceptum plerumque) ut et hic et §. 7 in Quintiliano feci; ceterum sequens recentissimum et barbarum sane morem (τῶν j et v), ut magis perspicuum. Recte autem nos interpretatos *in se ipsas coire*, manifestum est loco modo citato c. 7, 26, ubi pro eo est *in unum sonum coalescere et confundi*, cuiusmodi quid habet etiam Cassiodorus ap. Putsch. p. 2292. Omne quidem hoc, quod *quaeret* diligens ille Quintiliani Grammaticus, planum fiet, si reputaveris consonantes fieri I et U, sed id ipsum modo (§. 10) parum videbatur agnoscere Quintilianus.

*Aiio Maiiamque*) Goth. (paulo aliterquam Gesn. memorat) *Aiio, aii, aiiamque* (plane ut Ioann.) Guelf. *aiio* omisso secundo exemplo. Cetera varietas, quae est plurima, apud Burmannum videnda. Turnebus (Advers. XIX, 12), unde tam certo resciverit, legendum esse *aiit, aii, aiiamque* et *Maiiamque* falso legi, velim doceri. Regii apud me valet fides, narrantis in vetusto exemplari esse receptam. Neque tamen negligenda, quam Philander, nescio unde, affert scripturam *Maiiam Aiiacemque*. Sic enim Velius Longus pag. Putsch. 2219: *Cicero — et* Aiia-

*Ciceroni — ut consonans*) Quo loco hoc sibi placere significet Cicero, quaeri potest et debet. Regius quidem: *Hoc*, ait, *Cicero praecipit in Oratore.* Debebat recentiorum editorum aliquis, Burm. maxime, aut locum *Oratoris* indicare, aut Regium in viam deducere. Equidem frustra quaesivi in Ciceronis libro, etsi talium observationum referto; de verbo *aio* nihil inveniens nisi (c. 45) *ain'* dici pro *aisne*, alienum hinc. Neque puto, si in libro aliquo Ciceronis hac de re proditum esset, aut Quintilianum fuisse dicturum: *Sciat* (Grammaticus) *Ciceroni placuisse*, quasi haec esset reconditior quaedam scientia, aut Priscianum eandem rem tractantem Ciceronis non usurum auctoritate. Ille enim, sine ulla Ciceronis mentione, et p. 545 de industria agit de geminanda litera *I*, et p. 739 haec prodit: *in vetustissimis invenies scripturis — eiius, Pompeiius, Vulteiius, Caiius.* Puto autem observatum hoc de duplici *I* esse aut in ipsa Ciceronis manu, sicut narrat Quint. *de causa* et *divisione* I, 7, 20, aut in eius sermone familiari. Ceterum de Ciceronis sententia consule et not. crit. extr. Haec geminata antiquitus litera *I* vel inde apparet quod *I* inter duas vocales semper priorem syllabam producit in *eodem* vocabulo, quum in *duobus* brevis esse possit ante *I* consonam, v. c. *Ante Iovem nulli subigebant arva coloni* (Georg. I, 125); quod et Priscianus tangit l. c., et multi in opere Putschiano. Ubicunque vero geminabitur *I* in talibus, ibi non trisyllaba erunt huiusmodi vocabula, sed disyllaba, ut alterum

que geminata I scribere; quod si est, etiam iungetur
12 ut consonans. Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quae cum quibus cognatio: nec miretur, cur ex *Scamno* fiat *Scabellum*, aut a *pinna* (quod est acutum) securis utrinque habens aciem *Bipennis:* ne illorum sequatur errorem, qui, quia a pennis duabus hoc esse nomen existimant,
13 *pinnas* avium dici volunt. Neque has modo noverit mutationes, quas afferunt declinatio, aut praepositio, ut *secat secuit*, *cadit excidit*, *caedit excidit*, *calcat ex-*

ceem et Maiiam *per duo II scribenda existimavit.* — *Quod si est*) Guelf. *quod sic*, sine *est*, quod, si consulto scriptum est (nam Voss. 1, saepe consentiens cum Guelf. dat *quod sic est*, ut possis cogitare de mero librarii errore in *sic* pro *si*) non displiceat. Tum *quod* est *quia*, propterea videl. esse hoc observandum et sciendum, quod *sic*, si hoc ita scribatur, sequatur etiam consonantem esse I. *Quod si est*, dicitur pro *quod si sit*, in recepta. Cf. c. 5, 13, et Cic. Tusc. V, 5. *Quod si est* etc.

*Pinnas*) Guelf. *pennas* et sic certatim Codd. qui quidem omnes videntur hoc dare, nisi quod de quibusdam tacet Burmannus, ubi receptam esse, optes magis, quam credas. Nihilominus unice verum est *pinnas*, quod, si recte de Andreana tacuit Gibs., iam in ea legitur: siu, ab Aldo ex ingenio repositum videtur. In huius vocabuli vicinia etiam mendum aliquod latere puto. Regius quidem *quia* coniunctionem pro supervacua voluit expungere; sed, quomodo recte ea careremus, non docuit; et ego in tam culto scriptore offendor hisce: *qui quia a.* An a Quintiliano pro *existimant* profectum est *existimantes*? Tum libentissime eiicerem κακόφωνον istud *quia.*

*Caedit, excidit*) Posterius pro *cecidit* restitui ex vett. edd. ut Loc. Viart. Venet. 1494 Ald. (in novissima apicem, productionis indicem super *i* in *excīdit*, cum in priore *excĭdit* correptionis nota literae *i* sit

*I* sit consonans priorem finiens syllabam, alterum item consonans inchoans posteriorem; possit enim, simplici *I*, pronuntiare quis *A i o*, *Ma i am.*

*Pinnas — dici volunt*) Ignorantes plurimam vocalium, omniumque adeo literarum in se vicissim abeuntium mutationem, huiusmodi homines *bipennem* a *pinna*, quod verum est etymon, derivare non audent, sed, *pennam* demum vocis huius fontem agnoscentes, *pinnas*, notam sibi pariter in lingua vocem, praeter omnem usum, avibus assignant. Neque tamen ab omnibus haec diversitas significationis *pinnae* et *pennae* agnoscitur.

*Declinatio*) In genere de flexione, etiam verbi. Sic infra §. 22: *Nomina declinare et verba.* Sic et πτώσεις verbi pariter ac nominis dicit Aristoteles. De interp. c. 2: πτώσεις ὀνόματος; c. 3, πτώσεις ῥήματος. Et fere ita Grammatici veteres Putschiani.

*culcat:* et sic a *lavando lotus*, et inde rursus *illotus* et mille alia: sed et quae rectis quoque casibus aetate transierunt; nam ut *Valesii* et *Fusii* in *Valerios*, *Furiosque* venerunt, ita *arbos*, *labos*, *vapos* etiam et *clamos* ac *lases*, aetatis fuerunt. Et haec ipsa S li- 14
tera ab his nominibus exclusa, in quibusdam ipsa alteri successit: nam *mertare* atque *pultare* dicebant: quin *fordeum foedusque*, pro aspiratione *vav* simili

inscripta, perperam *excindit* interpretatur Burm.) quum Goth. (tac. Gesn.) ut et Guelf. dent *excudit*, quod ex quibusdam praeterea Codd. memorat Burm. sed et ipsum nostrum *excidit* ex Alm. Quomodo Codd. et Ienson. scripturam *excudit* esse optimam possit suspicari Gesn. non assequor; neque enim puto quemquam veterum *excudere* a *cedendo* derivasse, sed erat error librarii, qui nollet idem, quod modo, scribere vocabulum. In hac quidem nostra scriptura non nisi unum mutationis a declinatione ortae exemplum proponitur, quum tria alterius a praepositione compareant, sed id in neutram partem est momentum. — *Lotus et inde rursus illotus*) Fortasse pro *lotus* scripsit Qu. *lautus*, ut eo aptius deinde diceret *inde rursus illotus*. Potest tamen nova mutatio nonnisi in *l* pro *n* posito in *illotus* versari. — *Ac lases aetatis fuerunt*) Guelf. pro his *lases ac fuerunt*. Voss. 1, 3, *lases et as fuerunt*. Cod. Turic. et vett. edd. pleraeque *ac lases* omittunt. Mihi suspectum *aetatis*, quod coniicio natum ex insolentiore *ac lases*, quod abest a tot edd. ut et Codd. Voss. 2, Alm. Bodl. Sic mox (§. 15) pro *Burrum*, quod omittunt, dant quidam libri *proprium*, ut notius, sed alienum, quod deinde cum vera scriptura male fuit iunctum. — *Vav simili*) Pro *vav* Guelf. *vel* cum omnibus fere Codd. *Vav* de mera Regii coniectura receptum; ingeniosissima tamen illa et verissima; nisi forte malis: *vav vel simili* etc. — *Vav simili*) Turic. cum Alm. *velut simili*. Buttmannus vocem hanc sive *vav*, sive *vel*, sive *velut*, abiici malit, ut iam legatur *pro aspiratione simili* (videl. ipsi ei, in cuius locum subit aspirationi similis, est litera F) *litera*. Hanc sententiam fortasse etiam ex recepta efficias, transpo-

*Fusii — Furiosque*) Cf. Liv. III, 4, 1.

*Lases*) In hac voce, *lares* aeque possis cogitare, ac *laser*, posterius quidem verosimilius ob cetera in *r* nunc desinentia. Sed Scaurus pag. Putsch. 2252: *Lares quos* (antiqui) *Lases*, quod et Varro confirmat de L. L. lib. V, p. 52.

*Aetatis fuerunt*) Explices, suam aetatem habuerunt, ubi dicerentur. Est tamen insolens locutio; vid. not. crit.

*Ipsa — ipsa*) Possis mirari tantulo intervallo Quintil. bis hanc vocem posuisse. Sensus quidem non plane idem utrobique. Prius explica, *de qua nunc agimus*, deinde *vicissim*, ut antea *r* ei successerat.

*Fordeum — utentes*) Pro *hordeum* et *hoedus* veteres dicebant *fordeum* et *foedus*, qualem mutationem etiam

litera utentes: nam contra Graeci aspirare solent, ut pro Fundanio Cicero testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet. Sed B quoque in locum

nendo saltem *simili vav*, ut *vav* sit, non quidem dativus pendens a *simili*, sed ablativus ab *utentes*. Solet enim sic loqui Qu. *C litera* ut hic *vav* (vel F) *litera*. Obr. sic: *velut simili F litera* (Spald. in praef. p. 74).

*Aspirare solent*) Omisi post *solent* literam Graecam Φ a multis ut et Gesnero appictam, et in ipsis quibusdam Codd. comparentem. Guelf. ita: *aspirare hei* (pro *ei* sane) *solent*. Sic etiam Voss. 3, et Bern. nisi quod expresse dant *ei*. Recte dici mihi non videtur, *aspirare literae* Φ, (et duriusculum etiam hoc est, quod Φ est dativo casu accipienda) quis enim potest τῇ Φ non aspirare? Sed sive *ei* retinetur e Codd. ut et intelligatur illa, de qua agitur, F litera; sive sine pronomine absolute dicuntur *aspirare* Graeci, sensus est manifestus: *Nos pro aspiratione F ponimus, Graeci contra nimium aspirant, ut et F sic ut* ph *efferant, quum debeant ut W Germanicum.* Mecum facit Badius, eaussam, quare omiserit Φ, in nota exponens. — *Posset, irridet*) Dubites de *posset*, propter consequentiam temporum, quae videatur poscere *possit*; ut et Loc. et Rusc. dant, et est in Voss. 3, item in Guelf. e correctione, quum antea fuisset *posset*. Puto autem veram esse scripturam *posset*, quod non tam pendet ab *irridet*, quam ab ipso Quint. subiicitur. Etiam *poterat* locum habebat, nisi quod *qui* dictum est pro *cum*, ubi coniunctivus aptior ob causae quandam significationem. — *In locum aliarum*) Goth. (tac. Gesn.) *vim aliarum*, ut B sensum habeat dativi.

in recentibus lingnis observamus. Exemplum e multis evidens sit Francogallorum antiquior praepositio, in multis adhuc libris inventa et in ipso Academiae Lexico posita, *fors* pro *hors*, propior illa suae origini *foris*, latinae voci; cf. Servium ad Aeneid. VII, 695. Ceterum quod *vav similem literam* appellat, ubi *vav* indeclinabile dativo vel genitivo casu est intelligendum, ostendere videtur non ipsum in talibus pronuntiatum fuisse Digamma Aeolicum, sed prope accedentem sonum qualis est τζ *F* latinae. Quamquam Priscian. p. 560: *Habebat*, inquit, *autem haec F litera hunc sonum, quem nunc habet U, loco consonantis posita.* Hoc enim si verum est, non *vav simili*, sed *ipsa vav litera*, usi sunt dicentes *fordeum*. Fortasse tamen proxime ad veritatem accedas haec tenendo: Antiquissimi Romani *vav* in talibus pronuntiabant, recentiores, quamquam retinentes *F* in *fordeum* etc., forma literae, quae iam alium sonum asciverat, decepti aliter efferebant, novissime *f* abibat in *h*. Tantum saltem e Gatakeri (opp. p. 5, 6), et Fosteri, supra (ad §. 7) citati, argumentis persuasum est mihi, *F* sonum *V* Gallicae et Anglicae; *U* consonantem autem *W* Anglicae habuisse Ciceronis et ipsius quoque Quintiliani tempore, quod exemplo nominis *Fundanii*, mox legendi, plane liquet, et ipse Priscianus manifesto agnoscit p. 543, 545.

*Pro Fundanio — irridet*) Nonnisi pauca huius Orationis fragmenta supersunt. Graecus erat testis, qui di-

aliarum dedimus aliquando, unde *Burrus*, et *Bruges*, et *Belena*. Nec non eadem fecit ex *duello bellum*, unde *Duellios* quidam dicere *Bellios* ausi. Quid *stlo-*

Sic et Voss. 2, si recte coniicio; Burm. enim ponit *tum aliarum*, sed ob magnum in ceteris Voss. 2 et Gothani consensum suspicor male eum ductus dimemisse, ut pro *nim* legeret *tum*. Saltem hoc dare voluit quem describebat librarius. — *Belena*) Guelf. *belena* (et sic etiam Priscian. qui loco nostro utitur pag. 547) pro *Balaena*, quod post Victorii correctionem obsedit edd. Cold. quidem omnes puto *Belena* dant, etsi negligentius observatur eorum varietas in h. v. Recte Cannegieterus negat, *aliquando* potuisse dici de *Balaena*, et ipse Priscian. l. c. *antiquissimos* ait ita locutos memorari a Quintil. — *Duellios — Bellios*) Guelf. *duellos — bellosos*, et plane sic Bodlei. alii aliter, nullus tamen receptam dat, sed plerique *duellos — bellos*, unde post Colomesium Gesnerus coniicit, non de propriis nominibus agi, sed de adiectivis, et respici locum quendam Naevii, servatum in Glossa apud Forn., ubi *virgines duellae* sunt dictae. Ego receptam veram puto; vid. not. exeg. Et

ceret in *Fundanium*, neque posset proferre eam literam, Romanis peculiarem, quae signabatur *F*, et respondebat *W* Germanorum. Mutabat igitur pronuntiando eam sua, quam Romani vicissim ignorant, Φ.

*Burrus — Belena*) Cic. Orat. c. 48: *Barrum* (pro quo *Parrum* Em. ex ed. Veuet., nescio quam recte) *semper Ennius, nunquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Bruges, non Phryges. Belenam* Regius et Pomponius Laetus in ed. Veuet. 1494 intelligunt *Helenam*, ut *B* pro aspiratione suffecta sit, quod fieri poterat postquam illa ipsa in Aeolicam literam abierat. Ingeniosior tamen et fortasse verior Cannegieteri, in dissertatione de Aviano p. 257, ratio, qui *Velinam*, tribum rusticam, interpretatur, memoratam Ciceroni, Horatio et Persio. Sic *Boltiniam* tribum dictam pro *Voltinia* docet idem ex lapide apud Gruterum.

*Unde Duellios quidam*) Cicero Orat. c. 45: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut* duellum, *bellum, et* duis, *bis, sic Duellium eum, qui Poenos classe devicit*, Bellium *nominaverunt, quam superiores essent semper Duellii.* Huius Ciceroniani loci memorem fuisse, quum haec scriberet, Qu., multa faciunt, ut credam. Eadem est argumentatio a *duellum* ad *Duellios*; audacia iudicatur esse in hac mutatione, quae tum maxime apparet, si *propria* nomina mutentur; vocabulum, in quo sit mutatio tam audax, h. l. ex orationis ordine oportet esse posterius, ut usitatum fuerit *Duellii*, insolens *Bellii*, quod secus est si, cum quibusdam, intelligamus mutata (velut a Naevio) adiectiva *bellus* et *duellus*. Praeterea, ut in exemplo modo allato *Bruges*, Ciceronem secutus Quintilianus a nemine facile negabitur, ita ne hic quidem eius memoriam omisisse est putandus. Quod autem plurali utitur, *Duellii*, quum Cicero nominis unius nomen ita mutatum memoret, id quidem, in mentione rei minus diligente, non moror. Cf. not. crit.

16 *cum stlitesque?* Quid T literae cum D quaedam cognatio? Quare minus mirum, si in vetustis operibus urbis nostrae, et celebribus templis legantur *Alexanter* et *Cassantra.* Quid O atque U permutatae invicem? ut *Hecoba* et *notrix*, *Culchides* et *Pulyxena*, scriberentur: ac, ne in Graecis id tantum notetur, *dede-*

facile in nominibus hisce peccabatur a librariis, quum tamen verae scripturae sint vestigia in Voss. 1, *Duillios*, in Voss. 3 et Bern. *Duillos.* Faveut quidem hae scripturae Merulae, ad Ennium p. 59, coniectanti pro *Duellium*, *Bellium*, apud Cic. esse legendum: *Duilium*, *Bilium.* Sed in tanta vocalium harum, E et I, apud antiquiores fluctuatione hoc equidem necessarium non duxerim; ceterum acquiescens iis quae de recta hoc nomen scribendi ratione disputant VV. DD. quos enumerat Drakenb. ad Liv. II, 58, 2. — *Stlocum*) Guelf. *scloectum.* Goth., si rectum fuit et Gesn. et meum silentium, cum edd. multis, ut et Gesn. *stlotum*, pro quo Regius malebat *stlatum*, quod deinde aliquod edd. receperunt. *Stlocum* habet Cod. Alm. et Britt. duo, si recte tacuit Gibs. Hoc verum puto, quum *stlotum* usquam apud veteres legi equidem non meminerim, et *stlatum* ipsum quoque auctore careat; *stlatam* et *stlatariam* dici constat. Facilior etiam transitus literae *t* in *c* et vicissim, quam *a* in *o*. Illas in Codd. vix posse internosci, sciunt qui Codd. tractarunt. *Stlocum* autem pro *Locum* fuisse usurpatum tradit Festus p. Dacer. 528. Difficilis tamen est ratio accusativi *stlocum*, quum *stlotum*, *stlatum*, possit esse nominativus neutrius generis. Durum fuerit hic intelligere *dicam* quod regat accus., quum mox *cognatio* sit, nominativo casu, aut repetere accus. a verbo *ausi dicere.* Simplex fuerit medela, scribere *stlocus*, neque violenta illa. Cf. III, 6, 25. — *Notrix*) Nihil variatur a Codd. Recte tamen haeret Regius, neque post eum quisquam meliora commentus est. Quum adhuc non nisi Graeca se notasse, significet Qu., pro hoc *notrix* aliud vocabulum, et quidem nomen aliquod, ni fallor, ex mythologia Graeca, cuius οὐ fuerit mutatum in *o*, necessario plane requiritur. Quod dant Viart. et Badius, neque tamen hic in

*Quid — stlitesque*) *Stlites* pro *litibus* in vetustis marmoribus legimus. *Stlocum* autem pro *loco* in usu fuisse docet Festus, ut et *Stlata* genus navigii, a *latitudine* dictum. *Quid?* solet dici a veteribus, quum longiorem enumerandarum rerum seriem strictim tangunt. Sic Virgil. Georg. I, 105: *Quid dicam, — qui — Insequitur*, ubi est plena locutio, quum deinceps vs. 111 abrupta (ut hic) *Quid, qui — depascit.* Noster I, 7, 27: *Quid, quae scribuntur*; plene autem I, 7, 25: *Quid dicam vortices.* Neque alia est ratio tritissimae formae *Quid? quod.* «Quid, *est elegans et apposita transitionibus particula, ac pronuntiando magis intelligitur*, ut ait Io. Fr. Gronovius ad Liv. XXVIII, 42, 12. Habet tamen difficultatem h. l. accusativus *stlocum* post *Quid*, quum mox, post idem, sit *cognatio*, nomin. casu; vid. not. crit.

*Notrix*) Vid. not. crit.

*ront*, ac *probaveront*. Sic Ὀδυσσεύς, quem Οὐδυσσέα fecerunt Aeoles, ad *Vlyssem* deductus est Quid? non 17
E quoque I loco fuit? ut *Menerva*, et *leber*, et *magester*, et *Diiove* et *Veiove*, pro *Diiovi* et *Veiovi?* Sed mihi locum signare satis est. Non enim doceo, sed

notis monito lectore, *nox*, alienum et ipsum, poterat quodammodo videri ad rem pertinere, quum υ Graecorum abierit in ο. Sed opus est vocabulo manifeste Graeco, neque quod in constanti usu habuerit ο. Vocem *notrix* omisit Gedoynus. — Οὐδυσσέα) In Codd. quidem hic parum praesidii. Guelf. *o dissea*; Goth. (tac. Gesn.) *odyssea*. Ille lacunâ docere videtur, intercidisse aliquid. Ὀδυσσεῖα, quod post Regii coniecturam receperunt aliquot edd. ut et Gesn., auctoritate quidem caret omni. Cf. tamen Koen. ad Gregor. p. 275, item Villois. Anecd. II, 169 seqq. ei. Proll. ad Hom. p. 49 de Tzaconum pronuntiatione. Ceterum pro *Vlyssem* Guelf., cum sat multis Codd., *Vlixem*, quod verum puto, sed vix erat operae pretium aliquid mutare. — *Diiove — Veiovi*) Quae hic legimus, sunt de coniectura Regii constituta. Levi fluctuatione haec fere dant Codd. ut Guelf. *dii ioue victore non di ioui*. Ingeniosissime profecto probabilem sententiam, et propter obsoleta vocabula corruptioni obnoxiam, effecit Regius. Neque tamen specie caret, quod Merula (ad Ennium p. 58.) suadet ex scriptura antiquissimi apud se libri, sic habentis: *diuone victore*, *pro diuoni*. Vult enim ille ita constituere locum: *duone victores*, *pro duoni*. *Duonus* autem tum diceretur pro *bonus*, more, de quo egimus ad §. 15. Adiuvant coniecturam hanc Voss. I, 3, dantes manifesto *victores* et *duoui*. Regianae quidem repugnat mira omnium Codd. in voce *victore* constantia, quodque nonnisi unum in omnibus Codd. repetitur vocabulum, quum Regius cogatur scribere *Diiovi et Veiovi*. Neque in *Diiove* et *Veiove* tam manifesto apparet I mutata in E, quum possis accipere ablativum, contra, *duone victores* dici pro *duoni victores* unusquisque videt, et repeti *victores* non est opus, quum mutatio sit in sola voce *duone*. Tamen nescio quid ieiunum habent *boni* illi *victores*, quum *Diiovis* et *Veiovis* mentio in reconditis augurum formulis videatur appositissima et digna in primis diligentis Grammatici iuvestigatione. *Diiovi victori* pro *Iovi victori*, cuius aedes Romae fuit, aptum foret, nisi tum repetita voce *victori* locus indigeret. *non* pro *pro* in Florentino esse ait Regius et Guelf. habet, multique praeterea. Est tamen et *pro* in Codd., neque refert multum.

Οὐδυσσέα) Οὐ in talibus apud Aeoles corripitur, ut et apud Homerum Odyss. XVI, 337, ἀλλὰ βούλεσθε, in quo loco tamen video Wolfium nuper maluisse βΰλεσθε. Priscian. pag. 554: *Aeoles — Ζουγάτηρ dicunt pro Ζυγάτηρ, οὐ corripientes, vel magis* υ, *sono* u, *soliti sunt pronuntiare, ideoque ascribunt* ο, *non ut diphthongum faciant ibi, sed ut sonum* υ *Aeolicum ostendant*. Conf. I, 7, 11.

*Diiove — Veiovi*) Gellius V, 12 narrat in antiquis augurum responsis animadverti haec deorum nomina. Probabile quidem fit ex ipsius eorum

admoneo doctiores. Inde in syllabas cura transibit, de quibus in orthographia pauca annotabo. Tum videbit ad quem hoc pertinet, quot et quae sint partes
18 orationis: quamquam de numero parum convenit. Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles atque Theodectes, *verba* modo et *nomina* et *convinctiones* tradiderunt: videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam (quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur), in convinctionibus autem complexum eorum esse iudicaverunt (quas *coniunctiones* a plerisque dici scio, sed haec videtur ex *συνδέσμῳ*
19 magis propria translatio). Paulatim a philosophis, ac

interpretatione, alterum faventem, iniquum alterum intelligi iovem. Quamquam ipsi veteres distinguendo haec videntur argutati, quum antiquitus *Diovis* vel *Diovis* ipsum esset *Iovis* nomen. *Veiovis* mentio etiam apud Ovid. Fast. III, 429 sqq. qui Iovem iuvenem interpretatur, ut videantur ipsi iam de significatione nominis dubitasse veteres, quod etiam significat Cic. de Nat. Deor. III, 24. *Veiovis* quidem templum Romae erat: *Diovis* etiam obscurius videtur nomen fuisse, memoratum tamen Varroni non semel et a *die* repetitum de L. L. l. IV, p. 20. Ceterum *I* in *E* mutatae multa exempla in antiquis manuscriptis, v. c. in Duilii Columna rostrata *navebous*, navibus, *exemet*, exemit. Retinebant antiquum morem, ut fit, rustici, quos *veam* pro via, *specam* pro spica dixisse narrat Varro de R. R. I, 2, 1, 48; vid. et Cic. de Orat. III, 12. *Diovem* eleganti coniectura Livio restituit Henricus Valesius XXXI, 21, 12, ubi mire legitur: *aedemque Deo Iovi vovit.*

*Aristoteles*) Hic in libro, qui inscribitur *de interpretatione*, ad sententiam absolvendam necessaria esse ait *nomen* et *verbum* (ὄνομα καὶ ῥῆμα), ex his autem fieri orationem (λόγον) quae sit una, aut significando unam rem, aut coniunctione (συνδέσμῳ); vid. capita libri citati priora quinque. Exemplum fuerit: Caius dormit, Cajus et Sempronius dormit. Altera oratio una est, rem unam significando (εἷς λόγος ὁ ἓν δηλῶν); altera coniunctione *et* (ὁ συνδέσμῳ εἷς). Apparent tres illae partes orationis traditae, ut narrat Quint. ab Aristotele; τῷ συνδέσμῳ autem videtur omnes annumerasse particulas Aristoteles. Neque obstat, quod idem Aristoteles de Poëtica c. 20, enumerat octo μέρη τῆς λέξεως, quae esse alius rationis primis statim exemplis manifestum est: στοιχεῖον συλλαβή. Ibi enim vides de partibus *linguae* vel *elocutionis* agi, non *orationis*.

*Theodectes*) Phaselide, Lyciae vel Pamphyliae urbe, orundus, Platonis, Isocratis et Aristotelis discipulus; et rhetor et orator; item tragoediarum scriptor. De eius opere rhetorico dicetur ad II, 15, 10.

maxime Stoicis, auctus est numerus: ac primum convinctionibus *articuli* adiecti, post *praepositiones*; nominibus *appellatio*, deinde *pronomen*; deinde mixtum verbo *participium*, ipsis verbis *adverbia*. Noster sermo articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus *interiectio*. 20

*Deinde mixtum*) Guelf. hisce duabus vocibus *et* inserit, non male, quoniam novus quasi incipit recensus, quod ostendit novum verbum *mixtum*, ut dirimatur ab *adiecti* et priore isto *deinde*. — *Articulos* — *sparguntur*) Nullum in obscuro hoc loco a Codd. praesidium. Vna, quae invenitur, varietas haec est quod Guelf. (cum Alm. et Bern.) dat *orationum* pro *orationis*. Venit in mentem ex hac scriptura exculpere: *in alias partes orationem partiuntur*, videl. Grammatici nostri. Sed sublata in *orationis* litera S etiam minus intelligitur, quomodo e *partiuntur* factum sit *sparguntur*; et displicet quam maxime *partes* — *partiuntur*. Etiam *non*, ante *desiderat*, aegre fero. Ideone, *quia* lat. sermo *non desiderat* articulos — sparguntur? Intelligerem si, *quia sparsi essent*, non desideraret, quod existeret legendo *ideo quod* pro *ideoque*. Facilior paulo videretur etiam sententia, si *non* abesset; ut *desiderat* significaret: *non habet*. — *Dumtaxat auctoribus*) Malim transponi: *auct. dunt.* et sic Obrechtus, sed nullus Codex adiuvat. Ald. et Sichardi quidem edd. *auct. octo dunt.* quod aptissimum. — *Dumtaxat auctoribus*) De *dumtaxat* vide me retractantem ad III, 8, 10. Confer Plin. Epist. IX, 34: *Audio me male legere*, dumtaxat *versus*. (Spald. in praef. p. 74).

*In convinctionibus — iudicaverunt*) In hisce error versatur, quem tamen ipsius Quintiliani puto. Dicas ex rationibus trium harum orationis partium faciendarum allatis ab eo, *convinctionem* hic dici significatione, qua nos in Logicis *copulam* usurpamus. Ea autem est in ipso verbo; quamquam sola (nulla praedicati parte admixta) nonnisi in verbo substantivo; neque, post recensitum in orationis partibus verbum, opus est de *copula* separatim agere. In Aristotelis autem ratione, modo exposita, σύνδεσμον grammatico plane, non logico, intellectu usurpatum, apparet, ut opinor; ut sit reddendus per *coniunctionem*, vel, ut mavult Quint., *convinctionem*, non per *copulam*. Ex Quintiliani quidem opinione, nulla potest absolvi sententia sine convinctione, quod secus est in Aristotelis doctrina. Etiam Priscianus ait Dialecticos duas solum partes orationis agnoscere, nomen et verbum, quia hae solae etiam per se iunctae plenam faciant orationem, pag. 574. Idem Aristoteli tribuit Varro de L. L. lib. VII, pag. (Bip.) 106.

*Nominibus appellatio*) Diomedes pag. Putsch. 306: *Nomen est, quo deus aut homo propria duntaxat discriminatione pronunciatur, quum dicitur ille Iupiter — item Cato iste —. Appellatio vero est communis similium rerum enunciatio specie nominis, ut homo, vir, taurus.*

*In alias — sparguntur*) Insolens

Alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut Aristarchus, et aetate nostra Palaemon, qui *vocabulum*, sive *appellationem*, nomini subiecerunt, tanquam species eius. At ii, qui aliud *nomen*, aliud *vocabulum* faciunt, novem. Nihilominus fuerunt, qui ipsum adhuc *vocabulum* ab *appellatione* diducerent, ut esset *vocabulum*, corpus visu tactuque

*Palaemon*) Guelf. *Palaemo*, ut et Bern. sed apparet hanc scribendi rationem non esse secutum Quintilianum, ex loco I, 5, 60. — *Palaemon*) Debebam referre h. l., Palaemonem ipsius Fabii fuisse magistrum, ex narratione scholiastae Iuvenalis ad Sat. VI, 452. (Spald. in praef. p. 74). — *Species*) Gesnerus pro hac voce scribi malit *specimen*. Equidem *speciem* simplicissimam medelam putem. Sed, quod sponte succurrerat, confirmat Voss. 2, omittens haec: *tamquam species eius*. Glossam redolent verba ista, allita fortasse ab eo, qui *subiiciendi* significationem Quintiliano in primis peculiarem, vellet ostendere. *Subiicere* enim solet dicere, pro sub alio quodam nomine comprehendere, non separatim recensere. Sic mox §. 21 et I, 5, 1; III, 6, 38; III, 6, 61, et saepissime

et obscura locutio, quod dicuntur articuli, propterea quod eos latinus sermo non desiderat, in alias partes orationis spargi. *Spargi* vix aliter interpreteris quam *dividi*, ut nunc hac nunc alia parte orationis latina significari dicatur idem, quod Graeci articulo suo significant. Exempla talis remedii, quo defectus articuli expleatur, afferunt Capper. pronomen *ille*, ut §. 11 legebatur *ab illo iacit* pro Graeco ἀπὸ τοῦ iacit; Gesn. *alter*, quo idem reddatur, quod Graeci dicant ὁ ἄλλος, quum *alius* significet ἄλλος. Et sane articulum in Latinis Grammatici fere solent assignare pronomini, ut Varro de L. L. l. 7 pag. (Bip.) 115; vide et loca Grammaticorum, quae recenset index Puts.

*Sed — interiectio*) *Sed* quare dicatur, non satis apparet, nisi forte significatur pro articulis interiectionem a latinis Grammaticis recenseri, ad numerum partium expleudum; et hoc fieri narrat Diomedes pag. Putsch. 275: *Latini articulum, Graeci interiectionem non annumerant.*

*Palaemon*) Q. Rhemnius Palaemon Vincentinus, Romae sub Tiberio et Claudio Grammaticam docuit, quod ad mores attinet, pessime audiens Suetonio de Grammatt. illustr. c. 23. Eius *artem* memorat Iuvenalis VI, 453; item VII, 215; 19. Exiguas operis reliquias habemus, quae inveniuntur in Grammaticis Putsch. a pag. 1366 — 1386. Tribuitur ei etiam poëma *de Ponderibus et Mensuris*, editum a Burmanno inter Poëtas Minores, de cuius auctore ambigitur tamen.

*Species*) Non satis apparet ratio nominativi huius; pluralis tamen accusativus non potest intelligi, quia *vocabulum* et *appellatio* non sunt duae res, sed unius rei duo nomina; vid. not. crit.

manifestum, *domus*, *lectus*; *appellatio*, cui vel alterum deesset, vel utrumque, *ventus*, *coelum*, *deus*, *virtus*. Adiiciebant et *asseverationem*, ut *heu:* et *attrectationem*, ut *fasceatim*; quae mihi non approbantur. 21
*Vocabulum*, an *appellatio* dicenda sit προσηγορία, et subiicienda nomini, nec ne, quia parvi refert, liberum opinaturis relinquo. Nomina declinare et verba in 22
primis pueri sciant: neque enim aliter pervenire ad intellectum sequentium possunt; quod etiam monere supervacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique a posterioribus inciperent: et, dum ostentare discipulos circa speciosiora malunt, compendio morarentur. At si quis et didicerit satis, et (quod non 23

Agetur de usu hoc verbi de industria ad III, 3, 6. — *alterum deesset.* Sic pro *deest* dedi ex eleganti scriptura Guelf., ut et Alm. Voss. 1, 3 Bern.

*Attrectationem*) Guelf. *tractationem* et sic Codd. paene omnes. Vnde sit *attrectationem*, ignoro, quum et vett. edd. pleraeque habeant aut *tractationem*, aut, peius etiam, *attractionem*. Verissimum tamen est receptum, et in rariori voce facillime syllaba *at* hauriebatur ab antecedente *et*.

*Superv. fuerat*) Guelf. *erat* (cum Alm. et Obr.) quod sane praestat. — *At si quis*) Guelf. et Goth. (tac. Gesnero) *Atqui s. q.*, cum Voss. omn. Turic. et Bern. Et sic puto omnes habere Codices, quamquam de Britannicis Gibs. tacet, et de Alm. Burm. Regius hic obiectionem esse negat, propterea*que qui* eradendum suadet. Vett. edd. ut Ven. 94, Ald. Viart. (quum hic ceteroqui presse sequatur Regium) retinent *Atqui*. Et Regii ratio nulla est, quum *at* pariter obloquatur. Et sane opponitur solitae magistrorum in parvis negligentiae, diligentia navi alicuius praeceptoris. Saltem operae pretium non erat, puto, contra Codd. aliquid novare. Reliqui tamen, quod obtinuit.

*Asseverationem — fasceatim*) Asseverat *heu* dum miserabili orationi ipsius, qui dicit, dolorem adiungit. *Fasceatim* significat attrectationem, quia talibus adverbiis utimur, quum singulas res aut manu aut mente quasi apprehendimus et contrectamus.

*Ambitiosa festinatione*) Video mihi et hic agnoscere recentiorem illam, de qua ad I, 2, 22, egi, *ambitionis* significationem. Non enim tam parentum et discipulorum amorem hac festinatione captat magister, quam suam gloriam, qui ostentat discipulos suos circa speciosiora. Bene igitur Gedoynus, *précipitation fastueuse.*

minus deesse interim solet) voluerit docere quae didicit, non erit contentus tradere in nominibus tria genera, et quae sint duobus omnibusve communia.
21 Nec statim diligentem putabo, qui *promiscua*, quae *epicoena* dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet: aut quae feminina positione *mares*, neutrali *feminas* significant; qualia sunt, *Muraena*,
25 et *Glycerium*. Scrutabitur mille praeceptor acer atque subtilis origines nominum: ut quae ex habitu corporis *Rufos Longosque* fecerunt: (ubi erit aliud secretius, ut *Sullae*, *Burrhi*, *Galbae*, *Pianci*, *Pansae*, *Scauri*, taliaque) et ex casu nascentium; hinc *Agrippa*, et *Opiter*, et *Cordus* et *Postumus* erunt: et ex iis, quae post natos eveniunt; unde *Vopiscus*. Iam *Cottae*,
26 *Scipiones*, *Luenates*, *Serani* sunt, et ex variis causis. Gentes quoque ac loca, et alia multa reperias inter nominum causas. In servis iam intercidit illud genus,

*Et — voluerit*) Guelf. ante *vol.* repetit *et* cum quibusdam. Quod autem Burmannus, cum eoque Lochmannus l. c. p. 11, putat, priore loco potius expungendum esse *et*, id aeque probabilem rationem criticam non habet, quod ibi *satis* praecedit, hic *solet*; sententiam autem alieniorem. Quo enim referas *non minus*, nisi intelligas *voluntatem* docendi *non minus* deesse interdum, quam *facultatem*? Abest autem re vera posterius *et* Gothano, ut et aliis procul dubio. — *Quae epic.* Gothanus (tacente Gesnero) et Guelf. omittunt *et*, (quod ins. Gesnerus et alii) cum sat multis Codd. et edd; neque necessarium puto. *Promiscua* primus dixisse videtur *Qu.*, ut opus esset solitum addere vocabulum artis. Si utrumque fuit in usu, non facile dicas, quare utrumque posuerit, quum praesertim alterum esset Graecum. Cf. I, 5, 4 *voc.*, *quae cup.* — *Scrutabitur — ex variis causis*) In loco adeo turbato et impedito officio meo satisfecisse mihi videbor, si varietatem Cod. Guelf. et, ubi neglecta fuerit, quorumdam aliorum, cum lectore communicavero. — *Nominum ut quae*) Guelf.: *nominum quae.* — *Vbi* pro aliorum *nisi*

*Per alterum*) h. e. per alterutrum, sive unum. Sic *haec aquila* dicitur, sive femina intelligitur, sive mas; et *haec passer* eodem modo.

*Scrutabitur — ex variis causis*) De nominum horum ratione etymologica consulendus est Thesaurus Gesneri, ut et Fabrianus eiusdem. Ceterum vid. nott. Critt.

quod ducebatur a domino, unde *Marcipores*, *Publiporesque*. Quaerat etiam, sitne apud Graecos vis quaedam sexti casus, et apud nos quoque septimi. Nam quum dico, *hasta percussi*, non utor ablativi natura; nec si idem Graece dicam, dativi. Sed in verbis quo- 27

etiam Guelf. dat. — *Secretius ut Sullae*) Guelf. *secretius ille.* — *Planci*) *G. Plauti.* — *Taliaque et ex*) G. *taliaque ex.* — *Hinc Agr.*) G. *hic Agr.* — *Cordus*) G. *Codrus.* — *Et ex iis*) G. *et his.* — *Cottae*) G. *Cotta.* — *Serani*) G. *sera.* — *Ex variis caus.*) G. *ex his variis caus.* Consulendus est de toto hoc loco I. Fr. Gronovius, qui eum sine magno aliquo facinore restitui posse negat, suam autem emendationem proponit, apud Burm. Capp. et Gesn. Burm. quidem ipse pro *mille* eleganter coniicit *ille*, modo absit *mi*, contractum ex *mihi*, unde B. repetit *m*, ratione sane contorta, neque necessaria, quum ex ultimis *ur* potuerit error hic facile nasci. Pro *aliud* Gronov. malit *aliquod*; et *Vopiscum*, ob eam, quae apud veteres legitur, nominis rationem, transponendo referri vult ad appellatos ex casu nascendi. *Cottae* nomen Valla quidem, Pomponius et Regius ab iracundia et torvitate oris dictum perhibent, auctore tamen allato nullo, ut suspicer eos huc traxisse quae Festus tradit de *Cossorum* nomine. Negligitur autem fere Codd. Ioann. Voss. 1, 3, scriptura *contra* pro hoc nomine, quam defendunt ii quoque Codd. qui dant *Cotta*, singulari numero. Sensus quidem mihi videtur existere probabilis si retineatur simul Ioann. et Voss. 1 *Nam* pro *iam*, et omittatur *et* inter *sunt ex*, cum Regio, Obrechto, et quibusdam aliis: *Nam contra Scip. Laen. Ser. sunt ex variis causis*, quum adhuc fuerint recensitae unius generis causae. Quae in Goth. neglexit Gesn. haec sunt: Pro *secret.*, *ut Sullae* Goth. *secret. Syllae. Burrhi*: *Bruti. Planci*: *Plauti. Hinc*: *Hic. Et ex iis*: *et iis. Post nat.*: *post hos nat. Cottae*: *Cocta.* Quod autem *et Cordus* omittere ait Burmannum, is error est typographicus in fronte operis emendatus. Nunc demum moneor a Celeb. Schneidero, *Cottam* esse antiquum *capitis* nomen, auctoribus Hesychio in v. προκόττα et Pollice II, 29. Nam a κότω, *ira*, repetere nequaquam placet.

*Dativi*) Auctoribus Guelf. Alm. Goth. et 1 edition. Locat. et Ruse. omisi aliarum edd. importunissima Graeca, τῷ ὀόρι, quae si essent a Quinti-

*Marcipores*) Huiusmodi nomina ob luxum Romanorum, servorum legiones alentium, obsolevisse significat Plinius l. XXXIII, 6. Olim enim quum singulis servis essent contenti, satis a praenomine domini designabatur uniuscuiusque servus. Est autem *Marcipor* pro Marci puer h. e. servus. Corripitur penultima in *Marciporcs*, auctore Prisciano p. 700.

*Nam quum dico — dativi*) Ablativum, quem appellant, instrumenti eundem casum esse negat, quam qui cum praepositione struatur, assentiente Diomede p. Putsch. 277, refragante Prisciano p. 673, 74. Ablativum autem ab omnibus agnitum Graecis non tribuunt, cuius vim per genitivum explicari tradit Diomedes l. c. per genitivum et dativum Pri-

que quis est adeo imperitus, ut ignoret genera, et qualitates, et personas, et numeros? Literarii paene ista sunt ludi et trivialis scientiae. Iam quosdam illa turbabunt, quae declinationibus non tenentur. Nam et quaedam, *participia*, an *verbi appellationes* sint, dubitari potest, quia aliud alio loco valent, ut *lectus* et
28 *sapiens*. Quaedam verba appellationibus similia, ut *fraudator*, *nutritor*. Iam, *Itur in antiquam silvam*, nonne propriae cuiusdam rationis est? nam quod ini-

liano, verbum *percussi* saltem etiam Graece esset redditum. Quod caeteri Codd. ea verba omittere non narrantur, eam conferentiam puto, ex parte saltem, negligentiam. Voss. 2, cum Goth., Berneus. autem et Voss 1, 3, cum Guelf. nimis solent conspirare.

*Tenentur*) Guelf. *teruntur*, cum Voss. 1, 2, 3, Bern. Alm. Ioann. *terentur* in uno Palatino, qui sane fons erroris.

*Quaedam verba app.*) Guelf. cum omnibus, puto, Codd. *verba* inse-

scianus l. c. Cf. nostr. I, 5, 59.

*Genera et qualitates*) *Genera* verborum, quae et *significationes* appellant Diomedes et Priscianus, etiam nostri aevi Grammaticis audiunt *activum*, *passivum*, *neutrum*, *deponens*; *qualitates* autem vario sensu dicuntur, quum Charisius apud Putsch. p. 138 videatur *modos* quodammodo intelligere, dum *qualitatem* dispescit in *finitam* «quae notat certum numerum, certum tempus, certam » personam, ut *ego scribo*. *Infinita* » est, quae nihil certum habet, ut » *legere* et *scribere*.» Ipse tamen mox (p. 142) agnoscit praeterea modos, interque hos *perpetuum*, qui idem est atque *infinitivus* (Diomed. p. 331), ipsosque adeo *modos* vocari etiam *qualitates* ait p. 143. Cum eo igitur facit Qu. cf. I, 5, 41. Ceterum constantior usus Grammaticorum veterum est, *qualitates* verborum appellantium quatenus sunt Inchoativa, Frequentativa etc. Eae hodie, Prisciano auctore, sunt *species*, quae tamen et *formae* dicuntur Servio p. 1789, et Maximo Victorino p. 1948.

*Quae — non tenentur*) h. e. quae flexione ipsa non sunt manifesta, quo pertineant. Sic Cic. pro Cluentio c. 44: *nullo argumento — crimen tenebitur*. *Tenere* est pro *deprehendere*. Quae autem mox affert, exempli loco, ea cuius sint partis orationis, flexione, h. e. terminatione non apparet.

*Ut fraudator, nutritor*) Quum dubitari vix possit, quin Qu. in voce *nutritor* respexerit locum Georg. II, 425 *nutritor olivam*; *fraudator* itidem imperativo modo a Virgilio, aliove poëta, dictum suspiceris, quod tamen adhuc frustra quaerebam. An *frundator* ab antiquo *frondor* vel *frundor*?

*Itur in ant.*) Aeneid. VI, 179. *Fletur* Terent. Andr. I, 1, 102.

*Quod inutium*, i. e. quod thema? Eor enim nemo dicit.

tium eius invenias? cui simile *Fletur*: accipimus aliter, ut

Panditur interea domus omnipotentis Olympi:

aliter, ut

— Totis Vsque adeo turbatur agris —

Est etiam quidam tertius modus, ut *urbs habitatur*: unde et *campus curritur*, *mare navigatur*. *Pransus* quoque atque *potus* diversum valent, quam indicant. 29 Quid? quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? quaedam etiam mutantur, ut *fero* in praeterito: quaedam tertiae demum personae figura dicuntur, ut *licet*, *piget*: quaedam simile quiddam patiuntur *vocabulis in adverbium transeuntibus*: nam ut *noctu* et *diu*, ita *dictu* et *factu*. Sunt enim haec quoque verba participialia quidem, non tamen qualia *dicto*, *factoque*.

V. Iam quum omnis oratio tres habeat virtutes, ut

rit τοῖς *quaed.* et *app.* quod recte recepit Gesn., contra omnes, quantum video, edd.

*Aliter — agris*) Prior locus est Aeneid. X, 1: posterior Ecl. I, 11, 12. Ceterum bina ista *ut* habent aliquam difficultatem. Si abessent, accusativus pendens ab *accipimus* recte esset quaerendus in ipsis locis Virgilianis, ubi graeco more articulum addideris: τὸ *Panditur* etc. Nunc intelligendus est accusativus alius, v. c. *huiusmodi passivum*, vel tale quid; duriuscule profecto. Neque tamen in istis *ut* variatur quidquam a Codd. neque ab edd.

*Tertius modus*) Hoc modo neutra vel intransitiva, quae passivo proprie carent, speciem induunt transitivorum, dum in passivo sibi iungunt personam; magis tamen materia, quam forma, remotus est hic modus ab illo: *panditur domus*.

*Participialia*) « Participialis modus verborum est, cuius quod sint » verba participiis similia, participialis dicitur, nec tamen participia » sunt, ut legendi, legendo, legendum, lectum, lectu. — Haec eadem sunt, quae Probus *supina* appellat. » Diomed. p. 333. « Gerundia — vel *participialia* — legendi, legendo, legendum, lectum, lectu. » Priscian. p. 809.

*emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* sit (quia dicere apte, quod est praecipuum, plerique ornatui subiiciunt): totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria: emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars
2 est, examinet. Haec exigitur *verbis*, aut *singulis*, aut *pluribus*. *Verba* nunc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus est; alter, qui omnia, per quae sermo nectitur, significat, ut apud Horatium:

Verbaque provisam rem non invita sequentur;

alter, in quo est una pars orationis, *lego*, *scribo*: quam vitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt,
3 *voces*, *dictiones*, *locutiones*. *Singula* sunt aut *nostra*, aut *peregrina*; aut *simplicia*, aut *composita*; aut *propria*, aut *translata*; aut *usitata*, aut *ficta*. Vni verbo vitium saepius, quam virtus, inest. Licet enim dicamus aliquid proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum, nisi in complexu loquendi serieque, contingit: laudamus enim verba bene rebus accommodata. Sola est
4 quae notari possit velut *vocalitas*, quae *εὐφωνία* dicitur:

*Loquendi regulam*) Sic dedi e Guelf. Bern. et Alm. Andr. Viart Venet. Ald. pro *regula*. Neque enim necesse erat nominativum habere in *regula*, ut putat Regius. Praepostera periodi ratio est in recepta: *Quum tres habeat oratio virtutes, examinet regula totidem vitia.* Recte autem sic procedit: Quum tres virtt. et totidem vitia habeat oratio, examinet (Grammaticus) regulam. Mecum facit Lochmannus l. c. p. 11, 12.

*Examinet*) sc. Grammaticus, vel praeceptor. Hunc nominativum subiecti ἀπὸ κοινοῦ intelligi, minus miraberis, si reputes, capitum diremtionem, qualis hic est, ab ipso Qu. non esse profectam. Sic paulo ante c. 4, 26, *Quaerat* eodem debebat referri, etsi interponebatur *reperias inter nominum causas*, ut posset videri omissa mentio *praeceptoris acris atque subtilis* c §. 25. Item mox §. 5, *acriter se intendat*, sed addito *grammatici*, quia perspicuitatis intererat, aliquando repeti subiecti nomen. Vid. not. Crit.

*Exigitur*) h. e. perficitur, praestatur talis, qualis debet, ut infra I, 9, 2, *stilo exigere*. Inde *exacti* commentarii X, 7, 31: *exactissimum* iudicium X, 2, 14, et «*exactis* minimum distantia» Horat. Epist. II, 1, 72, significatione, qua etiamnum Francogallicum *exact*.

*Apud Horatium*) Art. Poët. 311.

cuius in eo delectus est, ut inter duo, quae idem significant ac tantundem valent, quod melius sonet, malis. Prima *barbarismi* ac *soloecismi* foeditas absit. Sed quia 4 interim excusantur haec vitia aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate, aut denique vicinitate virtutum (nam saepe a figuris ea separare difficile est): ne quem tam lubrica observatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim vitium, quod fit in singulis verbis, 5 sit *barbarismus*. Occurrat mihi forsan aliquis, quid hic promisso tanti operis dignum? aut quis hoc nescit, alios barbarismos *scribendo* fieri, alios *loquendo*? (quia, quod male scribitur, male etiam dici necesse est; qui vitiose dixerit, non utique et scripto peccat) illud prius *adiectione*, *detractione*, *immutatione*, *transmutatione*;

*Latius ibi loquemur*) Guelf. omittit *ibi*.

*Quid hic promisso*) Guelf. *promissor*, et plurimi Codd. ut et vetus Florentinus, teste Regio, qui primus suasit *promisso*, confirmatum deinde Codd. Voss. 2 Goth. Bern. (miro Bernensis, a fido suo Achate, Guelferbytano, dissensu). Manifestior quidem est loci Horatiani significatio, quem Quintiliano obversatum nemo facile negaverit, in scriptura *promissor*. Sed haec serunt, quod putabant *tanti operis dignum* latine non nisi a poëtis dici. Ea quidem disputatio lubrica est et paucis, ut videtur, exemplis nititur. Attamen ne poëtae quidem hac structura usuri fuissent, nisi antiquitus saltem licuisset et genitivo et ablativo iungere τὸ *dignus*. Fortasse metri vinculis debemus, quod in poëtis rarius obliterata est illa structura genitivi. Boni tamen Codd. etiam in scriptoribus prosa orientibus vindicant, ut in Livio IV, 37, 1, *memoriae digna*, ubi vide Drakenborchium. Et ne necesse quidem est h. l. genitivum referre ad *dignum*, Pendere enim puto, cum Budio, a voce *promissor*, ut *dignum* sit separatim positum, ut facile ex adiunctis intelligatur. Sic noster XI, 3, 148: *Comas componi — sicuti dignum erat, graviter — vexuit*. Etiam id in scriptura *promissor* placet, quod *hic* pronomen est in ea, non adverbium loci, ut in recepta. Hunc tamen, a Gesnero e vett. edd. revocatam, reliqui, ut tironibus faciliorem. — *Adiectione*. Non dat pro hoc Goth. *additione*, ut refert Gesn., neque ullus Cod., etsi plurimae edd.

*De figuris orationis*) Lib. IX, c. 1, 2 et 3.

*Quid hic — dignum*) Ob oculos erat Horat. Art. Poët. 138: vid. not. Crit.

hoc secundum, *divisione*, *complexione*, *aspiratione*,
7 *sono* contineri? Sed, ut parva sint haec, pueri docentur adhuc, et grammaticos officii sui commonemus. Ex quibus si quis erit plane impolitus, et vestibulum modo artis huius ingressus, intra haec, quae profitentium commentariolis vulgata sunt, consistet: doctiores multa adiicient: vel hoc primum, quod
8 *barbarismum* pluribus modis accipimus. Vnum, in *gente*, quale sit, si quis *Afrum* vel *Hispanum* latinae orationi nomen inserat: ut ferrum, quo rotae vinciuntur, dici solet *canthus*; quanquam eo, tanquam recepto, utitur Persius: sicut Catullus *ploxenum* circa Padum invenit: et in oratione Labieni (sive illa Corne-

*Persius*) Sat. 5, vs. 71: *Vertentem sese frustra sectabere canthum.* Afrum an Hispanum hoc crediderit vocabulum Qu. vix dicas. Nobis apparet, oram corporum extremam in Germanicis linguis appellari ita, quae appellatio etiam in Italicam recepta est, sensu latiore.

*Catullus*) 89, 5, 6: — *dentes sesquipedales, Gingivas vero ploxeni habet veteris.* Apud Catullum plerumque per *m* scribitur *ploxemum*, apud Festum *ploximum*. Quod de voce Germanica *pflug* cogitant VV. DD. ad Catullum, id quidem alienum est ab interpretatione *Festi*, quam vide in Lexicis.

*Labieni — Galli est*) Iam tum igitur de huius in Pollionem orationis auctore dubitabatur. Equidem nullam eius praeterea apud scriptores mentionem invenio. Et Labienus (filius sane eius, qui Iul. Caesaris partes deseruit anno V. C. 703) et Cornelius Gallus, M. Antonii adversarius uterque, potuit maledicam in Pollionem, Antonii amicum, orationem componere. Coruelius quidem Gallus, celeber Elegiarum scriptor, (de quo eius opere noster X, 1, 93) in quem est Virgilii Ecloga decima, frequenter memoratus veteribus, Propertio in primis ad cuius lib. I, Eleg. 21, vs. 7, fuse de eo et cognominibus, qui saepe confunduntur, exponit Vulpius; Antonium ad Paraetonium, oppidum et portum Libyae, destruenda eius classe, afflixit. Dio Cass. LI, 9. Labienus, post Bruti, cuius partium fuerat, mortem, Parthis ducem se exhibens perque aliquod tempus negotium facessens provinciis transmarinis, virtute Ventidii extinctus est. Vellei. II, 78. Inimicitiae inter eum et Pollionem intercessisse videntur, ex civilibus dissidiis ortae fortasse; cf. noster IV, 1, 11; IX, 3, 13. Fontaninius in Histor. Literar. Aquileiensi p. 32, Labienum auctorem, dicit, praetulisse hanc orationem, ut putaverit Quintilianus alium scripsisse eam, alium nomen ei dedisse. Hoc vero e verbis Qu. non utique efficitur, etsi potest eorum talis esse sensus. Quo argumento Vossius de Historr. Latt. lib. I, c. 33,

lii Galli est ) in Pollionem *casnar*, assectator, e Gallia ductum est: nam *mastrucam*, quod Sardum est, illu-

*Casnar*, *assectator*) Posteriorem vocem plurimae quidem edd. et Codd. ita exhibent, quum aliquot dent *affectator*. Ita enim habent Voss. 2 Goth. ( tac. Gesp. ) ex edd. autem (non quidem Locat., ut ait Burm. ea enim *assectator* manifeste ) Rusc. Venet. 1494. Contra Voss. 1, 3, Guelf. dant: *assectatore Galli adductum*, praepostera vocum diremtione, in quâ tamen re vera est recepta. Quod autem attinet ad vocem *casnar*, ea quidem in nullo, ni fallor, Codice comparet. Silentium enim Gibsoni de suis Britannicis tanti mihi non videtur, ut in ceterorum omnium constanti diversitate, eos receptam tueri putem. Voss. 1, 3, Bern. Guelf. dant *casamo*. Alm. *casena*. Voss. 2 *cassam*. Goth. *Casamum*. Turic. *Casami*. Edd. quidem pleraeque *casnar*, praeter Andreanam, quae *Casmo*, et Venetam 1494, quae *casami* (non *Casmi*, ut refert Gibs.) exhibet. Videtur igitur ex mera docti cuiusdam hominis coniectura occupasse edd. istud *casnar*. Quamquam Florentinus Codex, quem in *assectator* diserte memorat Regius, in *casnar* non item, et Britannici possunt videri receptam defendere. Accedit ad hanc Codd. in vitando *casnar* constantiam, dissensus manifestus Varronis et Festi in vocis et origine et significatione, quos auctores antequam laboremus cum Quintiliano conciliare, aut de origine vocabuli Celtica, quae varie tentatur a VV. DD., anquiramus, scripturae veritas diligentius indagari debet. Nihil equidem habeo quod

*Pollionem* hic intelligendum esse C. Asinium Gallum, Pollionis filium, decernat, equidem non video. Si *Asinium* appellasset Qu., ferrem equidem hoc, quamquam vel tum poterat de patre cogitari. Fortasse movit Vossium, quod huius orationis auctorem credebat Labienum Historiae scriptorem, a Suetonio et Seneca patre ( Controv. lib. V, vel X, prooem. ) memoratum, qui ob temporum rationes cum Asinio patre non videretur potuisse inimicitias gerere; sed quomodo Cornelius Gallus cum filio? Equidem autem *Parthicum* illum, qualem se ipse appellabat, (Dio Cass. XLVIII, 25) potius intelligam, qui sane Pollionis erat aequalis, quemque ab historico diversum recte ostendit Vossius l. c. Quamquam Seneca pater Excerpt. Contr. l. IV, prooem. Labieni, historici sane, dicterium in Pollionem memorat.

*Casnar* ) Valde mirum videtur, Quintilianum in hoc vocabulo e Gallia repetendo non solum, recedere a Varronis auctoritate, qui ait de L. L. l. VI, p. Bip. 86, Oscis id tribuit, sed ne mentionem quidem facere summi in hoc genere scriptoris. Ceterum Varroni de hac voce assentitur etiam Festus, cuius *Oscorum* cum Regio mutare in *Gallorum*, intemperantius fuerit. De sensu vocabuli itidem alia docent Varro et Festus, qui *senem* eo significari tradunt, quum noster *assectatorem* an *affectatorem* ( fluctuat enim scriptura ) intelligat. Varro quidem alio quoque loco in Fragmentis Menippearum, a Nonio allato, ex emendatione felicissima Scaligeri *casnares* de senibus deputatis usurpat p. Bip. 308. Si igitur lectio, qualem recepimus, vera est, dixeris *casnarem* sive Pollionem, sive alium quempiam, in illa oratione esse appella-

dens Cicero ex industria dixit. Alterum *genus barbarismi* accipimus, quod sit animi natura, ut is, a quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum sit, barbare loquutus existimetur. Tertium est illud vitium *barbarismi*, cuius exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo, cui libebit, adiiciat literam syllabamve; vel detrahat; aut aliam pro alia, aut eandem alio, quam rectum est, loco ponat. Sed quidam fere in iactationem eruditionis sumere illa ex poëtis solent, et auctores, quos praelegunt, criminantur. Scire autem debet puer, haec apud scriptores carminum aut venia digna, aut etiam laude duci: potiusque illa docendi erunt minus vulgata. Nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus

de vocis alicuius, *casamum*, vel *casamo*, aut significatione, aut origine docuam; attamen, donec de Codd. auctoritate constiterit, tale quid potius, etsi nobis ignotum plane, a Labieno, sive Gallo, scriptum putem, quam *casnar*, quod VV. DD., alieno loco memores eorum, quae apud Varronem et Festum legerant, videntur obtrusisse Quintiliano. Pendet autem ex huius peregrinae vocis vera scriptura et significatione etiam τοῦ *assectator*, an *affectator*, diiudicatio, ut nunc vel de hoc satius sit ἐπέχειν.

*Existimetur*) Guelf. *existimatur*, cum Goth. et Voss. tribus. Placet fere, neque obstat coniunctivus in *sit*, qui optativi sensu potest accipi pro *fuerit*. *Existimatur* dant etiam Locat. Venet. 1494, Rusc. Viart, Ald. Obr.

tuto, quia gravis iam annis puellas *assectaretur*. Eum enim propriam *assectandi* ut et *sectandi* esse significationem cum multis veterum locis apparet, tum hoc maxime Plauti, Casina Act. II, Sc. 8, vs. 26: *Solet hic barbatos sane sectari senex*. Donatus ad Terent. Phorm. Act. I, Sc. 2, vs. 36: *Sectari proprie est ut taurus bucidam, ut aries ovem*. Regius τὸ *assectator* additum putat non a Quintiliano, ut versionem, sed ab ipso orationis illius auctore, ut definitionem istius *casuarii* h. e. *senis*. Ne hoc quidem contemnendum. Vid. not. Crit.

*Cicero*) In oratione pro Scauro, cuius nonnisi fragmenta supersunt, apud Ernest. Vol. IV, Part. 2, pag. 1057: *Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastrucca mutavit?* (*tentavit*, nescio unde Ern.) Item de Provinciis Consularibus c. 7: *Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis — gesta, et bellum cum maximis Syriae gentibus — confectum*. Apparet irrisio in utroque loco.

*Tinca Placentinus*) Eius meminit Cicero Brut. c. 46.

(si reprehendenti Hortensio credimus) *preculam* pro *pergula* dicens, et immutatione, quum *c* pro *g* uteretur; et transmutatione, quum *r* praeponeret *e* antecedenti. At in eadem vitii geminatione *Metieo Fufetieo* dicens Ennius, poëtico iure defenditur. Sed in prosa quoque 13
est quaedam iam recepta immutatio. Nam Cicero *Canopitarum* exercitum dicit, ipsi *Canobon* vocant: et *Tharsomenum* pro *Thrasumeno* multi auctores, etiamsi

*Pergula*) Ablativum ex edd. ante Stoer. (praeter Bad.) recepi, pro accus. qui est in recenti. et ipsis, ut videtur, Codd.

*Fufetieo*) Guelf. *fufetio eo*. Caeteri ad unum omnes nomen scribunt per *S* literam, ut et edd. adhuc omnes. Auctorem tamen nactus unum Codicem, neque spernendum eum, malui recipere nominis orthographiam bonis rationibus probatam, ex Dionysio potissimum Halicarnassensi et Plutarcho. Vid. Drakenb. ad Livium I, 23, 4.

*Tharsomenum — Thrasumeno*) Satius duxi receptam relinquere, quam quidquam novare in tam lubrica et fluctuante scriptura. Nullus tamen haec dat Codex, puto. Regius in Florentino hanc ait esse scripturam: *Thrasumenum — Tharsumeno*, quae etiam est Ioannensis, levi differentia: *Trasumennum — Tarsumennum*. Hanc equidem veram puto, ut

*In eadem — Fufetieo*) Geminatio ista vitii non quidem plane eadem est, qualis in *precula*, sed id ipsum, quod et in his nominibus duae res praeter morem fiunt, *idem* dicitur. Alterum enim vitium est, quod pro *Metii* scribitur *Metie*, alterum quod adiicitur vocalis *o*. Quo autem versus loco posuerit haec nomina Ennius, id quidem ignoramus. Sunt ea in extrema parte collocanda, si interposuit literam I τοῖς E et O, qualis est Obrechti et unius, in posteriore tamen solum nomine, Codicis scriptura, et ita ordinavit Merula in suis Ennii fragmentis; contra frontem hexametri debent obtinere, si brevis putatur litera E in penultima, et tum prima in *Metieo*, secunda autem in *Fufetieo*, debet produci: haec est Columnae ratio, verisimilior ea, quia iuserenda vocali I, *Metieio, Fufetieio*, tertium aliquod vitium videretur commissum. Etiam exemplum Virgilii dicentis *Androgeo* (Aen. VI, 20), itidem genitivo casu, huiusmodi quantitatem penultimae probabilem facit. Virgilius tamen ipse *Metii* primam syllabam corripit, Aen. VIII, 642. Caeterum quod VV. DD. ad hanc formam genitivi *Metieo* illustrandam ad partes vocant Ionismum ex genitivis primae declinationis ου facientem εω, id quidem non procedit; *Metiam* enim *Fufetiam*, prima declinatione, qui diceret nemo inventus est. Ne ipsa quidem analogia Atticismi, qualis est in *Androgeo*, satis manifesta est, ut videatur sibi nimium fere indulsisse bonus pater Ennius, quem equidem rudi sua aetate et istis poëseos Latinae initiis libentius defenderim, quam *poëtico iure*. Vid. not. Crit.

*Cicero*) Locum nondum inveni nec puto esse in scriptis Ciceronis

est in eo transmutatio, vindicaverunt: similiter alia: nam, sive est *assentior*; Sisenna dixit *assentio*, multique et hunc, et analogiam sequuti: sive illud verum est; haec quoque pars consensu defenditur. At ille pexus

Quintiliani sententia fuerit, veram et germanam nominis formam esse eam, ubi R ponitur post A; invaluisse autem propter multitudinem ita transmutantium. *Trasumenum*. Guelf. male: *trasimenum* — *trasomeano*. *u*

Goth. (non enim plane eius scripturam expressit Gesn.) *Transumenum* (*u* superscriptum a manu valde recenti, ut et punctum subiectum τῷ I) — *Transomenno*. Vid. Drakenb. ad Liv. XXII, 4, 1. Salmasius ad Flor. II 6, 13 legi vult *Tarsumenium* pro *Trasumenio*, vel *Tarsumenum* pro *Trasumeno*, quod mihi secus videtur. Quum hodie vulgo in scriptoribus (etiam ap. Silium) inveniamus *Tra.* non *Tar.* illud pro hoc obtinuisse putandum est, non vicissim.

*Sive est assentior*) *Falsum*, quod inter *est* et *assentior* inserunt omnes, quantum video, edd. praeter Andreanam et, longo temporis intervallo, Gesnerianam; abest a Guelf. pariter atque ab omnibus Codd. Regius, qui magnopere aestuat in loco, de Florentini scriptura nihil prodit.

hodie extantibus. Mutatio ista literae B in P, in hac voce, ab omnibus fere scriptoribus Latinis adoptata fuit. Debebant autem verba ista Ciceroniana inter fragmenta recipi.

*Transmutatio*) Hanc esse *transpositionem* modo didicimus §. 12, *et immutatione — et transmutatione*. Cf. etiam infr. §. 39: *qua ordo turbatur*.

*Sive est assentior — consensu defenditur*) Docet hoc exemplo, multa, et usu et ratione primum adversante, ita tamen invaluisse, ut iam illa solicitare serum et ineptum sit. Sic et *assentior*, et *assentio*, usu alterum, alterum analogia et bonis auctoribus, defenditur. Utrumcunque igitur malis, cogeris semper vel contrarium ferre. *Est* illud inter *sive* et *assentior* dicitur pro: *verum est*, vel *est in lingua*, *est latinum*. Sic plane I, 6, 21: *avere est enim* pro: *avere* enim est in lingua, non *havēre*. Germanice: Denn freylich, es heisst *avere*. *Illud* autem refertur ad *assentio*, etsi propius; *haec pars* ad *assentior*, etsi remotius, sicuti et deinceps §. 14, *illic — hic*. Ita saepe cum omnes scriptores, tum noster; cf. V, 13, 12, *haec* ad remotius. VI, 1, 9, 21; VIII, 6, 8; XI, 3, 30; XI, 3, 41. Sisenna clarus adeo Historiae scriptor, ut nomen eius Varro suo de Historia libro indiderit, saepe veteribus memoratur, ut Ciceroni Brut. c. 64, c. 74. Enim in senatu dixisse *assentio*, analogia duce contra usum, narrat apud Gellium (II, 25) Varro. Consule de Sisenna Schneiderum in Ep. ad Langerum, praemissa editioni Bruti Wetzelianae p. 41.

*At ille pexus — adiectionem putabit*) Consilium sententiae apparet. Irridet Qu. grammaticum, qui, mera artis suae vocabula et decreta edoctus, ex duabus loquendi formis alterutram utique damnat, sicuti in proposito exemplo, prout alterutrum praetulerit, detractionem aut adiectionem exprobrabit aliter pronun-

pinquisque doctor, aut illic detractionem, aut hic adiectionem putabit. Quid? quod quaedam, quae singula procul dubio vitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur? Nam *dua* et *tre* et *pondo* diversorum 15
generum sunt barbarismi: at *duapondo* et *trepondo*

*Nam dua — barbarismi*) Inter *Nam* et *dua* Guelf. inserit *et*, cum multis Codd. et edd. Adhuc, qui omitteret, unum vidi Cod. Gothanum, sed puto multorum in hac re varietatem neglectam esse a conferentibus. Edd. quidem plurimae omittunt: Locat. Rusc. Venet. Ald. Viart. Bad. Gryph. Contra *et*, quod est inter *tre* et *pondo*, ad unum omnes tuentur Codd. ut et edd. Gesnerus utrumque abiiciendum censet; posterius quidem ob hanc rationem, quia, si retineatur, barbarismus dicatur esse in *pondo*, qui nullus sit. Equidem in nota exegetica conatus sum amoliri hanc difficultatem, quam magnam esse sentio. Hic promam, quare *et* necessario retinendum ducam. Codd. quidem et edd. consensum non magnopere urgebo. Si autem expunxeris *et*, quomodo impedies, quo minus legendo aliquis continuet *tre pondo*, in vetere praesertim scriptura intervallis carente? Quod si fit, falso dicitur *trepondo* esse barbarismus. Quid praeterea, si nullum est in ipso *ponio* vitium, attinebat, post *dua* et *tre*, de quibus solis tum agitur, ponere etiam *pondo*? Sane, si abiicitur *et*, ne *pondo* quidem est ex hac iectura eximendum. Durior illa medicina, quam pro Gesneri, aut ullius sanioris Critici, ingenio. Denique, quod ostensurum se promittebat Qu., id non effecit, nisi vel

ciantibus, quum deberet utrumque ferre. Quomodo autem talis possit appellari *pexus pinguisque doctor*, id non aeque manifestum est. *Pinguis* saepe a veteribus dicitur pro stolido, et hoc magistro tali conveniat, quum praesertim eiusdemmodi grammaticus supra (§. 7) his verbis fuerit designatus: *plane impolitus et vestibulum modo artis huius ingressus*. Hoc secutus Grdoynus loco nostro haec dat: *un grammairien ignorant*. Quem tamen imitari vetat, quod adiungitur *pexus*. Sic iubemur cogitare de nimia et affectata accuratione, cuiusmodi homines mox appellat *pervicaces* (§. 17). Putidam item scientiam notat I, 6, 21, quum dicit *multum literatum*. Nam de mollitie doctoris tali, quae eum a subtili artis suae peritia avertat, interpretari, quales hodie novimus delicatulos philologos, prae nimio pulcri scilicet sensu et philosophandi acumine atque hominum, potentium etiam, usu, ipsam grammaticam ignorantes an oblitos; id quidem nimis videtur esse ex nostris moribus neque iis, quae adhuc dixit, consentaneum. — *Pexus* igitur videtur esse κομψός, de cuius sensu ironico vide Ruhnken. ad Timaeum p. 161. In huius autem vicinia, *pinguis* erit significatione, quae frequens est apud Horatium, *nitidi*, *elegantis*, sed in arte sua, non in victu et vestitu.

*Nam dua — barbarismi*) Potest mirum videri, quod *pondo*, separatim positum, dicitur barbarismus, quum saepissime legatur in scriptoribus. Puto tamen, quum in inoctis istis, *duapondo*, *trepondo*, videatur *pondo* obtinere locum nominativi plu-

usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est, et *pondo*, separatim, barbarismum dixit. Quid enim est, *singula vitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur*, nisi hoc: ea ipsa, quorum utrumque seorsim vitiose dicitur, inter se iuncta sunt sine vitio? Non autem iunguntur *dua* et *tre* in unam rectam formam, sed *dua* et *pondo*, *tre* et *pondo*. Sin Qu. *iuncta* intelligebat *aliis iuncta*, non autem *inter se iuncta*, addere debebat τὸ *aliis* vel simile quid ad istud *iuncta*. Neque tum dicturus fuisset *singula* sed *sola* vel *separata*. Et vix erat operae pretium id observare, quod existit, si barbarismum in altera parte iunctorum talium noluit intelligi. Tralatitium enim hoc. Sed e coniunctione duorum vitiorum bonam formam oriri, id demum observatu dignum. Prius autem *et* post *Nam* abiicio, quia *et* ter positum mirifice displicet. E Gothano non retulit Gesn., post primum *pondo* continuo ibi sequi *usque*, omissis, solenni librariorum errore, omnibus hisce: *d. g. s. b. a. d. p. e. t. p.* Vetat tamen ipse hic error cogitare de abiiciendo τὸ *pondo*, quod in Gesneriana ratione non supervacaneum solum sed et alienum ostendisse mihi videor. Etiam hoc colligo ex isto errore *dua pondo, tre pondo*, in antiquioribus Codd. fuisse seorsim exarata. Gronovius, vir summus, tractans hunc locum p. 35 de Pecunia Vetere, *et*, de quo agimus, non sollicitat, prius autem, post *nam*, omittit. Vellem diligentius investigasset locum, et ostendisset, quo sensu barbarismum in *pondo* agnosceret Qu.

ralis, barbarismum visum esse Quintiliano *pondo* ablativum. Paritev fortasse ille, ubicunque *pondo* sequeretur numerum, in unum id cum illo vocem conflabat, cuiusmodi tamen exempla afferre nolnit, quoniam in iis prior certe compositi vocabuli pars sine barbarismo posset separatim dici, quale fuerit VI, 3, 79, *centumpondo*. Neque omnino ex Quintiliani et veterum mente, in hisce *duapondo*, *trepondo*, necesse est, unam plane et conflatam vocem agnoscere. *Iuncta* potest esse pro *constructa*, *simul posita*: vid. not. Crit. Similiter I, 5, 27, *verba coniungimus* dicit de verbis nequaquam conflatis in unum. Potuit igitur Qu. barbarismum putare in *pondo*, ubicunque in alia quam, cum *numeri* aut *librarum* vocabulo, expresso aut intellecto, structura compareret. Etiam hoc facile adducor ut credam I. Fr. Gronovium, in libro de Pecunia vetere vocis *pondo* rationem subtilius exposuisse, quam ab ipso Quintiliano intellecta fuerit. Non est insolens, peregrinos in linguae alicuius proprietate explicanda oculatiores experiri, quam indigenas ipsos, veteres praesertim, qui multa artificialis grammaticae praesidia ignorabant. Gronovius quidem, postquam mira sagacitate rationem usurpandi in hisce formis accusativi, *libras* et *libram* aperuit, c. 6, p. 27 seqq., rectissime docet c. 7, p. 35 locutionem *dua pondo*, *tre pondo* sic explendam: *duas libras pondo*, *tres libras pondo*, cuiusmodi sunt haec Varronis de L. L. lib. IV, p. Bip. 47, *As erat libram pondo*, etsi ibi scriptura nondum est ad Gronovii normam correcta. Item ibid. p. 49: *asses libras pondo erant*, eodem in Bipontino remanente vitio. Excidit ergo et litera *S* et accusativus *libras*. Accusativus autem pendet ex intellecto participio *habens*, qualis fortuna

recte dici Messala confirmat. Absurdum forsan videatur dicere, barbarismum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros, aut genera, sicut soloecismum: *scala* tamen et *scopa*, contraque *hordea* et *mulsa*, licet literarum mutationem, detractionem, adiectionem non habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia

*Mulsa*) Ita etiam Guelf. et omnes, puto, Codd., quum edd. non paucae dent *musta*, quod probat Burm. et invexerunt sane VV. DD. quod locus ubi *mulsa* extaret non succurrebat, contra memineramt eorum, quae de *musta* dicit Servius ad Georg. II, 7. Sed iam Camerarius recte observavit locum nostri II, 4, 9, ubi *musta*. Pro *hordea* Guelf. et Goth. dant *ordea*.

integra est apud Herodotum, indicante Gronovio Κρητῆρες — στα&δμὸν ἔχοντες τριήκοντα τάλαντα, I. 14. Omissionem, qualis est in *tre pondo*, habent saepe scriptores, ut Liv. XXVII, 4, 8: *patera ex quinque pondo auri facta* h. e. *ex quinque libris, pondo, auri facta.*

*Messala*) M. Valerius Corvinus Messala, vir egregius, Brutianarum partium, dum aliqua reipublicae spes superfuit, postmodum ab ipso Caesare Augusto cultus, et generis non minus quam ingenii splendore clarus. Eius frequens mentio apud nostrum et Tibullum, Senecas, Plinios, Velleium, Tacitum, scriptorem Dialogi de causis corruptae eloquentiae et all. Admodum iuvenem eximie laudat Cicero Ep. ad Brut. XV, nisi forte eam recte Ciceroni abiudicat Tunstallius in Epistola ad Middletonum pag. 204 sqq. Cantabr. 1741, 8. Si hariolari liceat, putem hoc de *duo pondo* eum dixisse in libro de litera *S*; vid. I, 7, 23; quoniam *S* obliterata facit difficultatem in hisce vocibus. Orationibus maxime inclaruit, quae cum caeteris eius operibus intercidérant, liber autem *de Augusti gente* eius nomini suppositus est.

*Scala*) Legitur tamen singularis, ut apud Aquilam Romanum p. Ruhnkenii in ed. Lupi 181: *Malo — ascensum, quam scalam.* Praeceptum hoc de utroque horum vocabulorum *scalae*, *scopae*, frequens est apud Grammaticos Putschianos, item Varro dat de L. L. pag. Bip. 165, it. 179. Charisius tamen pag. Putsch. 20: *dicimus*, inquit, *tamen et scopa*; cf. Vossius de Anal. lib. I, pag. 623. Quare *scalae* sint plurali numero, causam exponit Varro pag. 141.

*Hordea et mulsa*) Prius tamen non uno loco usurpavit Virgilius, in cuius irrisionem factus est hic versus a Bavio et Maevio. (An unus tam scito carmini procudendo non sufficiebat?) *Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat*, referente Servio ad Georg. I, 210. Confer et I. H. Vossii, poëtae nostri, notam ad versionem suam. De *mulsa* locus veterum nullus in promtu est, nisi quod, singularem solum recte dici, decernit Charisius pag. Putsch. 22, modestius quidem Priscianus pag. 663, vid. not. crit. Hexametrum istum in Virgilii *hordea* Cledonius tribuit Cornificio (an *Cornelio*? sed poëtae et amici

17 singulariter, et singularia pluraliter efferuntur: et *gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti, culpa quorundam pervicacium perplexae, videas et ipse quaestionem addidisse. Plus exigunt subtilitatis quae accidunt *in dicendo* vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi quum in versus inciderunt, ut divisio *Europai*: et ei

*Divisio*) Sic Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Voss. 1, 3, Bern. et quaedam edd. vett. quarum aliquot tamen Graecum subiiciunt τῷ *divisio*. Recentiores solum posuerunt Graecum διαίρεσις, nullo, puto, Codice auctore, etsi de multorum diversitate siletur. Hic Qu. non usurpasse Graecum vocem, apparet iis, quae sequuntur *quod — Graeci vocant*. Non enim tam operose Graecorum mentionem iniecisset, si eorum iam antea posuisset vocabulum. — *Europai*) Guelf. *europe asiae*. Sic praeter Goth. etiam Bern., quum Voss. 1 nonnisi in margine habeat *Asiae*. Puncta diaereseos imponi rectissime vetat Gesnerus, et dubitat adeo, an vera sit ista scriptura *Europae Asiae*. Quintiliani autem tempore *Europai* iunctis in diphthongum ultimis vocalibus fuisse pronunciatum, vix crediderim, quod tamen significat ipse, si sana est lectio. Neque verisimile, eum reprehendere voluisse Virgilium, post Ennium, Lucretium etc., dicentem *pictai vestis et auri*, *Aulai in medio*, quae ipsa memorat sine reprehensione I, 7, 19. Talo igitur hic vitium notari ptes, quod vilior quidam poëta in trita forma commiserit, non vetustatis studio, sed metri necessitate coactus. Etiam *Phaeton* melius opponitur, si, ut in eo vocales *ae* male coaluerunt, ita hic eaedem (*ae* non *ai*) fuerint diremtae. Grammatici tamen, ubi de diaeresi agunt, fere exemplis istis Virgilianis utuntur, ubi *a* et *i* dirimuntur, non *a* et *e*, quare non sum ausus scripturam refingere ad Codd. Gesnerus docet et in *Eu* tale vitium potuisse notari. Et fortasse in hoc exemplo de mero sermone quotidiano vix fuerit talis irrisio) Gallo pag. Putsch. 1898.

*Gladia*) Varro de L. L. lib. VIII, pag. 148: *dicitur a multeis — hoc gladium*, et *hic gladius*. Neque tamen diserte hoc probat Varro. Lucilii autem et Plauti exemplis impugnare Quintilianum, quod facit Dousa ad Lucil. pag. 103, non attinet, quum adeo vetustos scriptores imitari sit affectationis. Ne ullum quidem hic barbarismi exemplum allatum esse puto, quod non fuerit in aliquo scriptore, qui tacite notaretur.

*Hoc quoque notare*) *Quoque* retro spectat ad I, 4, 17, ubi eadem fere sunt verba in fine loci de literis. Vt ibi autem *signare*, ita hic *notare* est breviter tangere. Sic IX, 4, 15: *illud notasse satis habeo*. XI, 1, 4: *satis habet partem hanc velut notare inter agnoscentes*, ubi mox est συνεννύμως *brevius dicere*. Iungit utrumque II, 2, 15, *notanda breviter*.

*Quaestionem*) Hanc videlicet de barbarismo in numero.

*Europai*) Vid. not. crit.

contrarium vitium, quod συναίρεσιν et συναλοιφὴν Graeci vocant, nos *complexionem* dicimus: qualis est apud P. 18
Varronem:

Cum te flagranti deiectum fulmine Phaëton.

Nam si esset prosa oratio, easdem literas enunciare veris syllabis licebat. Praeterea quae fiunt spatio, sive quum syllaba correpta producitur, ut:

Italiam fato profugus;

seu longa corripitur, ut *Vnius ob noxam et furias*; extra carmen non deprehendas: sed nec in carmine vitia ducenda sunt. Illa vero non nisi aure exiguntur, quae fiunt per sonos: quamquam per aspirationem, 19

cogitavit Qu., nullo ad poëtas respectu, ut Romani indoctiores pronuntiaverint; *Europaë*, *Asiaë*. Tum facilius locum tueretur istud *Asiae*. — *Divisio Europai*) Turic. *Europae et Asiae*. Si divisio est in prima syllaba, dicas verum esse *Europae*, sine additamento, pro more Quintiliani iustam structuram, quoad eius fieri potest, plerumque servantis. Pendebit genitivus a voce *divisio*; et nihilominus in ipsa quoque syllaba *ae* fuerit demonstrata divisio. Etiam Turicensis vocem graecam διαίρεσις omittit. Spald. in praef. p. 74.

*Phaëton*) Guelf. *pheton* cum multis; male, quum significetur diphthongus. *H* post *t* omisi cum plerisque. Gesnerum improbat Heusingerus ad Cic. de Off. III, 25, 2, reponentem *th*, quod in praecedenti syllaba (post synaloephen) sit aspiratio; vereor ne argutius quam verius, quum in Latino scriptore versemur.

*Vitia ducenda*) Guelf. ut et Goth. (tac. Gesn.) *dicenda*, cum tribus

*Apud P. Varronem*) Hic est P. Terentius Varro, Atacinus a patria, urbe Galliae Narbonensis, appellatur, qui eodem, quo M. Terentius Varro, celeberrimus polyhistor, vixit tempore. Memoratur ille multis scriptoribus, quum ipsius opera interciderint omnia. Vide in primis Senecam patrem Controv. lib. III, 16, pag. Bip. 215. Libros de Sequanico bello versibus hexametris scripsit, sed maxime inclaruit libris 4 Argonauticorum, ex Appollonio Rhodio expressis cf. nostr. X, 1, 87.

*Italiam*) Aeneid. I, 6. Vbi per metrum licet, idem Virgilius plerumque corripit primam in *Italis*, et debuit, si recte repetitur nomen a *vitulo*. Vid. Festum in *Italia* et notas apud Dacerium p. 194. Attamen in adiectivo *Itala* primam produxit Virg. Aen. III, 185, neque ab Ἰταλοῖς, bubus repetiit originem nominis ib. v. 166.

*Vnius ob noxam*) Aen. I, 45.

sive adiicitur vitiose, sive detrahitur, apud nos potest quaeri, an in scripto sit vitium? si H litera est, non

all. Codd. et Viarto. — *Litera est, non nota*) Ita Guelf. Turic. et omnes Codd. atque edd. praeter Voss. 2, et Goth. qui pro *nota* dant *notata*. Goth. praeter eam in voce *notata* varietatem, sibi cum Voss. 2 communem, hoc quoque mutat, quod pro *est non*, dat *non est*; quo apparet non esse merum scribentis errorem in *notata*, qualem in Voss. 2, agnoscere mihi videor, sed consulto esse recessum a vulgata scriptura. Gothani rationem Gesn. est sequutus. Falso, ut opinor. Gesn. negat, *si litera sit H, non nota;* quaeri posse, an omittenda hac litera, vitium fiat in scripto? nempe manifestum tunc esse vitium, de quo nulla sit quaestio h. e. dubitatio: contra posse quaeri apud Romanos, an vitium aliquis commiserit in scripto, qui aspirationem non notaverit, apponenda litera H. In hac argumentatione videtur mihi Gesnerus accepisse *τὸ quaeri an sit* pro his, *credi non esse*, ita ut *dubitationem* istam putaret vergere in *negationem*. Equidem contra vergere eam puto in *affirmationem*. Eo videor deduci serie orationis. Sonos, quibus annumerat aspirationem, exigi h. e. examinari, deprehendi, in scripto negat Quint. Tali sententiae quum subiicit *quanquam*, exceptionem inducit, ut iam aliquis tamen sonus, scilicet aspiratio, vitium possit facere etiam in scripto. *An* ergo hic valet *an non*, ut fere post dubitandi, nesciendi, verba, de qua forma uberius agendi erit occasio. Sensus hic est: Apud Romanos etiam per aspirationem *videri potest esse* (sic reddo: *potest quaeri an sit*) vitium in scripto; si *H* literam putamus, non notam. At certissime *est*, inquit Gesnerus, non *videtur* solum, simulac literam agnoveris *τὴν H*. In eo autem si est difficultas, remanet eadem in Gesneri lectione, ubi itidem *H* diserte appellatur litera. Sed tota ea locutio *quaeri potest an sit* nihil aliud nisi modeste affirmat, et potest ei commode subiungi argumentum pro ea ipsa, quam affirmat, re; *si* autem hoc loco est pro *si quidem*, *si modo*. De *H* nota, non litera vide supra ad I, 4, 9, qui locus ipse receptam hic ante Gesn. scripturam defendit. Quare etiam, quum duplex possit fieri per aspirationem vitium, solum tangitur illud, quod est in *detracta* aspiratione? Sequendum igitur duxi, quod magno consensu probant Codd. Gesnerianam rationem sensum habere probabilem non nego, si tamen *potest quaeri an* affirmative intelligatur; id enim necessarium plane credo. Eum sensum etiam Gedoynus expressit: « on peut demander, si — ces fautes — ne passent point jusqu'à l'écriture, supposé que l'*h* soit une lettre et non pas seulement une marque. » Id quoque alienum puto a Quintiliani mente, quod in scriptura Gothana, *H* litera appellatur ab ipso auctore, non ex alterius opinione. — *Si H litera est non nota*) Buttmannus verba haec glossam putat, quae si absint *cuius* facilius ad aspirationem referatur (Vid. tamen III, 9, 1); in qua ratione novam sententiam a *cuius* vult inchoari.

*Potest quaeri — nota*) Vid. not. Crit.

nota; cuius quidem ratio mutata cum temporibus est saepius. Parcissime ea veteres usi etiam in vocalibus, cum *oedos*, *ircosque* dicebant. Diu deinde servatum, [20] ne consonantibus aspiraretur, ut in *Graccis* et *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronae*, *chenturiones*, *praechones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant: qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usque *vehementer*, et *comprehendere*, et *mihi*: et *mehe* quoque pro *me* apud antiquos [21] tragoediarum praecipue scriptores, in veteribus libris invenimus. Adhuc difficilior observatio est per *tenores*, (quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut [22] videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt) vel accentus, quas Graeci προσῳδίας vocant, quum acuta

*Servatum*) Sic Guelf., si recte vidi, quum omnes praeterea Codd. dent *reservatum*. — *Mehe — me*) Guelf. *meae — mi*. Male utrumque, quum recepta sola argumentationi satisfaciat. Quamquam Salmasius ad Flor. I, 1, 18, malit *mehae — meae*, quod sic nullus dat liber; *mee* priore loco Alm. Voss. 2, Goth. Iens. Tarv. *meae* Venet. *eae* Bern. ceteri receptam. — *Vt videlicet*) An forte abiiciemus *ut*, tanquam natum ex male repetita sequentis prima syllaba *ui*?

*Cuius*) Cave referas ad literam H; spectat ad *aspirationem*, quod apparet mox, (§. 20) ubi est *veteres — dicebant*. De pronunciatione itaque agitur, non de scriptura, cuius tractationem iam omittit. Cf. de parca veterum aspiratione Cic. Orat. c. 48.

*Qua de re — epigramma est*) Non quidem de istis inscriptionibus, quarum similes exhibet Gruterus, ut *hornamentis* etc. Cf. Ind. Gramm. in H; sed de pronunciatione, quae se in ipsis adeo inscriptionibus exeruit. Epigramma autem est Catulli 78 (quamquam variant editiones in numero). De *Arrio*, sive *Hirrio*, sic incipiens: *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet* etc.

*Tragoediarum — scriptores*) Livium Andronicum, Naevium, Ennium, Pacuvium, Accium.

*Adhuc difficilior — per tenores*) Observent hic tirones *adhuc* comparativo iunctum ad recentiorum fere linguarum modum, quod tamen et aliis argenteae aetatis auctoribus frequentatum discent e Tursellino de Particulis p. (Edit. Lipsiensis 1751) 47, item e Lexicis. Ita Qu. II, 4, 13, *adhuc melius*. II, 15, 28, *adhuc concitatior*. Per *tenores* autem, sicut *per sonos*, *per aspirationem* (§. 19), est pro eo: quod attinet ad tenores. graece: παρὰ τὰς προσῳδίας.

23 et gravis, alia pro alia, ponitur, ut in hoc *Camillus*, si acuitur prima: aut gravis pro flexa, ut *Cethegus*, et hic prima acuta; nam sic media mutatur: aut flexa pro gravi, ut apice circumducta sequente, quam ex

*Vt apice circumducta*) Guelf. *aut*, et ita plerique Codd. etsi sunt valde negligenter a Burmanno excerpti in h. l. Vnum, qui det *ut*, videor agnoscere Ioannensem, quem, duos reliquos ex suis *aut* praeferre memorans, tacet Gibsonus. Verissimum equidem puto *ut*. Post eam vocem vero nonne exspectes vocabulum aliquod, exempli causa propositum? qualia erant modo post utrumque *ut*: *ut in hoc Camillus, ut Cethegus* et mox *ut Atreus*. Destituitur ea spes, oblato τῷ *apice*, quo carere poteras. In ea voce haec est varietas: *Apici* Gibsonus habet, e Lugdunensi. Hoc tuetur Balioleusis Codex, si Gibs. recte eum tacuit, quum diceret Bodleianum dare *apice*, Ioannensem omittere vocem. *Apice* dant praeterea Voss. 2, Goth. Guelf. Omittunt vocem, praeter Ioannensem, etiam Voss. 1, 3, Bern. Iam falsum esse τὸ *apice*, intelligere mihi videor ex argumento quodam praeter illud de voce, exempli causa afferenda post *ut*. Nunquam Quint. *apice circumducta* dicturus erat pro *circumflexa*. Vt enim taceam anubages istas, ubi pancioribus poterat defungi, etiam cum incremento perspicuitatis; *apicem* diversum esse a *circumflexu* ipse Quint. docet I, 4, 10: *geminatione vocalium, velut apice utebantur*. I, 7, 3: *longis syll.bis omnibus apponere apicem inaptissimum*. Nimirum apex erat *nota a sinistra in dextram partem aequaliter ducta*. Prisc. p. 1287, quam ibidem Priscianus vocat *longam lineam*. Alii Grammatici Putschiani frequenter appellant *apicem*. In Seauro pag. Putsch. 2264 male legitur: *vēnit, āret, lēgit*, ubi *apices* poni iubet, quum oporteat sic signari ea, *vēnit, āret, lēgit*. Vide, si libet, de hac *apicis* et *circumflexus* differentia Fosterum p. 86, 117, 118. *Circumducta* autem, remoto *apice*, aptissime poterat dici pro *circumflexa* syllaba, variandi causa; conf. XII, 10, 33, *flexa circumducitur*. Ita plane appareat in isto *apici*, *apice*, latere id ipsum, quo nobis opus est, exemplum syllabae gravis per vitium circumflexae, vel *circumductae*, vel *flexae*; omnia enim haec idem significant. Iam quod illud fuerit vo-

*Et hic prima acuta*) Cave nominativum intelligas, sunt ablativi consequentiae, *hic* autem est adverbium. Ceterum tirones in hisce Quintilianum docentem tum demum assequentur, si accentuum et Latinorum et Graecorum rationem probe perdidicerint, quorum prius ipse noster praestabit brevissimis iisdemque certissimis regulis propositis, quae mox legentur §. 30, 31.

*Nam sic media mutatur*) Hoc ad utrumque exemplum refer *Camillus* et *Cethegus*.

*Vt apice circumducta sequente*) *Sequentem* syllabam intellige *secundam*, ut saepe noster I, 7, 3: «aliud *priore* — aliud *sequente*. IV, 5, 13. *prius* — *sequens*, et multis praeterea locis. Reliqua de hoc loco, certissime corrupto, vide in not. Crit.

duabus syllabis in unam cogentes, et deinde flectentes, dupliciter peccant. Sed id saepius in Graecis nominibus 24
accidit: ut *Atreus*, quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secun-

cabulum exempli causa allatum, equidem non dixerim, diu meditatus. Nam *Appii* (ut male pronuntiarint *Appi*) parum placet. Latinam eam fuisse vocem (aptissime quidem nomen proprium, propter reliqua exempla) vel inde intelligas, quod subiicitur (§. 24): *Sed id saepius in graecis nominibus accidit.* Proponunt (illustrandi causa, nam de corruptela non cogitarunt), Pseudo-Turnebus et Gesnerus haec, *baltens*, *pileus*. Ea tamen minimum diversis literis scribuntur, quam ut in locum τοῦ *apici* vel *apice* subeant. *Ne alveus* quidem satis convenit. An autem unquam Romani illiterati produxerint secundam in *alveus*, *balteus*, *pileus*, *clypeus* etc., ut inde fieret *flexa*, vel *circumflexa* syllaba, velim locis veterum doceri. Vox ea, quae pro *apice* debet inveniri, ultimam brevem habeat necesse est, ut cum productione simul flectatur; id, quod non sit, si ultima sit longa. Debet praeterea talis vox in penultima habere vocalem ante vocalem, ut possit cum ultima coire in diphthongum; subiicit enim, *aliquos secundam syllabam ex duabus in unam cogere*, h. e. cum tertia pronuntiando iungere. Hi utrum sint iidem, qui *circumduxerant sequentem*, an alii, vitium novum priorum errori addentes, ambigo. Magis tamen posterior ratio placet. Ex structura ipsa participii *cogentes* probabilior fit prior loci interpretatio. Si enim alios trisyllabum hoc nomen fecisse, circumducentes penultimam, voluisset significare, alios disyllabum, flectentes ultimam, videtur ita potius fuisse scripturus: *quam qui — in unam cogunt et deinde flectunt*, *dupl. pecc.* Fortasse igitur ipsum illud, quod reieci, *Appi*, verum est, modo constaret Quintiliani tempore usum illum genitivorum in *i*, non autem in *ii*, de quo ago ad III, 5, 17, plane fuisse abolitum, ut, miro sane casu, Horatium moris Quintilianus imperitior Bentleio reperiretur, et improbaret id, quod hic ab optimis quibusque ante Ovidium scriptoribus unice frequentatum ostendit. Apparet autem, male circumflexu signari hodie a quibusdam ablativos primae decl. Nunquam enim ultima flexa est a Romanis. Apicem inscribere debent, quicumque signum requirunt. Vid. I, 7, 3, et Fosterum eo ipso loco, quem citavi in nota priorem. Reliquam edd. in hoc loco varietatem exponere non attinet. *Si* pro *sic* in illis *nam sic media mutatur*, quod est in veteribus plerisque edd., a nullo cod. defenditur. Quod autem ascito illo *si* pro *sic* Aldus dat, ex coniectura, ut opinor, cum eoque Viartus et Sic hardus: *ant gravis pro apice circumducta sequetur*, pro his: *ut apice circumducta sequente*, id sensum etiam magis perturbat, etsi specie non caret.

*Doctissimi senes — Nereique*) Inter illos senes erat sane Domitius Afer; cf. V, 7, 7. Pronuntiatio autem qualis eorum fuerit in hisce nominibus, hactenus apparet, quod acuerunt primam; post eam duasne pronuntiaverint syllabas an unam, non item,

da gravis esset; item *Terei Nereique*. Haec de accentibus tradita. Ceterum iam scio, quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos, sic docere ac loqui, ut propter quaedam vocum discrimina verbum interim acuto sono finiant: ut in illis,

Quae circum litora, circum Piscosos scopulos —

Trisyllabum fecisse τὸ *Atreus* possunt videri, si quis id, quod modo dicebatur de duabus syllabis in unam vitiose coactis, huc etiam referat. Is autem nimis fortasse presserit pronomen *id*, quod facilius spectet ad vitium illud proprie hic tractatum *flexae* pro *gravi*. Et videtur Quintilianus, si *secunda*, quam necessario gravem factam narrat, non fuisset ultima in hac voce, aliquid fuisse adiecturus de ultima. Puto igitur senum illorum pronunciationem nominis *Atreus* fuisse plane eandem ac nostram. Vicissim mirum fit, si *Nerei*, *Terei*, genitivo casu, disyllaba fecerunt, et diserte repugnat Priscianus p. 735: «In — *eus* desinentia semper una syllaba vincunt in genitivo — Oileus, Oilei, nisi productio» (alienum vocabulum, malis *complexio*, significatu, quo Qu. I, 5, 18, sed literae nimis discrepant) *poëtica fiat in Graecis, ut Tydei*. Ex poëtis in hac quaestione non multum proficias, qui synaeresi et diaeresi promiscue utuntur, ut Virgil. Culic. vs. 116: .. *non Orpheus Hebrum*. Vs. 268: .. *manet Orpheus in te*. Hor. Carm. I, 6, 7: *Nec cursus duplicis per mare Vlyssei*. Contra Epist. I, 7, 63: .. *Ithacensis Vlyssei*. Vide, sis, Vossium de Analogia lib. II, c. 9, p. 705, unde haec exempla depromsi. Vsus tamen satis constans poëtarum disyllabum facit horum nominativum; de genitivo nihil decernam. Quos culpat Qu. pronunciabant igitur: *Atreüs*, *Nerei*. Regius, quem excripsit Pseudo-Turnebus, vitium illud duplex in solis obliquis casibus graecorum nominum putat notari, quum in *Atreus* non nisi semel sit peccatum, *Terei* autem et *Nerei*, primum sint disyllaba perperam facta, deinde ultima syllaba sit flexa, item perperam. Hoc quidem, etsi consentaneum praecedentibus, ex ipsis nostris verbis non plane procedit. — *Item Terei Nereique*. Non magna fuerit audacia, si quis hanc appendiculam pro spuria reiiciat SPALD. *in praef. p.* 75.

*Tradita*) H. e. haec adhuc solita sunt a magistris tradi. Protinus, quid novatum sit, est prodituri.

*Eruditos*) Vix mihi tempero, quin levem irrisionis hic colorem agnoscam, pro quo pinguius dixisset: *qui volunt eruditi videri*. *Eruditi* autem multum abest, ut sint, quos nunc vulgo intelligimus, memoria multarum rerum onusti, multiscii; sed elegantes potius, ab horrida illiteratorum barbarie alieni. Distinguuntur etiam a Grammaticis (sicut *literatum* distinxit ab *erudito* Cornelius Nepos. Vid. Suet. Illustr. Gramm. c. 4), quorum magis est doctrina et peritia, quam eruditio. Vid. Auson. Popmam de Differentia Verborum ed. Richteri. Lips. 1741, p. 214, 15. Sic *eruditionem* noster non semel: in primis I, 6, 31, et de Lucilio I, 6, 9.

*Quae circum litora*) Virg. Aen.

ne si gravem posuerint secundam, *circus* dici videatur, non *circuitus*. Item *quantum*, *quale*, interrogantes, gravi; comparantes, acuto tenore concludunt: quod tamen in adverbiis fere solis ac pronominibus vindicant, in ceteris veterem legem sequuntur. Mihi videtur con- [27]
ditionem mutare, quod his locis verba coniungimus. Nam quum dico *circum litora*, tanquam unum enuncio, dissimulata distinctione: itaque tanquam in una voce una est acuta: quod idem accidit in illo,

Troiae qui primus ab oris.

Evenit, ut metri quoque conditio mutet accentum: ut [28]

Pecudes pictaeque volucres:

*Veterem legem*) Ita Guelf. et Goth. pro *veterum*, quod dat Gesnerus, sed per merum sphalma, quod repetierunt Bipontini; conf. §. 29 *vetus lex*.

IV, 254, 55. *Troiae qui*, I, 5. *Pecudes pictaeque*, Georgic. III, 243.

*Conditionem—coniungimus*) *Condit. mutat*, h. e. facit, ut a communi regula acuendae, vel flectendae, penultimae longae recedant huiusmodi vocabula, quod in hisce et similibus locis *verba*, h. e. vocabula (I, 5, 2) *coniungimus*, h. e. iunctim efferimus. Negat ergo Qu. acui ultimam in τῷ *circum*, neque tamen vult acui penultimam, sed vocem tanquam partem factam sequentis *litora* et *piscosos* accentu omnino carere, et sic satis discerni a significatione *circi*. Accentus autem est solum in antepenultima τοῦ *litora*, et penult. τοῦ *pisc*. Pariter *qui* (sive ad praepositionem *ab* post *primus* respicit, quod putat Camerarius; fortasse utrumque verum, quamquam praepositionem diserte non memoravit) in illis *qui primus*, accentum suum amittit cum sequente vocabulo coalescens paene, ut ex tribus hisce syllabis *qui primus* sola *pri*. habeat accentum. Sic in vernacula lingua vocabulorum, quae plane coaluerunt, prius solet amittere accentum, quum alia sit ratio eorum, quae, etsi composita, minus tamen arto vinculo continentur. Exempla sunt: *übersetzen*, traiicere trans fluvium, *übersetzen*, vertere in aliam linguam. Posterius vere coaluit, et praepositio accentu caret; prius non item, etsi vicissim accentus verbi *setzen* fere est obliteratus. Simili quoque modo in Hebraicis vocabulis, per lineolam makkeph coniunctis, prius abiicit accentum. Plane igitur, quamquam modeste, damnat Qu. morem acuendae ultimae in *circum*, quem paulo secus intellexit Vossius in Aristarcho, De arte Gramm. lib. II, c. 9, p. 187. Etiam Bentleius (in Schediasmate de metris Terentianis p. 95 editionis Reizianae, Rudenti, Plautinae, subiunctae) accentu spoliat τὸ *qui*, et *ab*, dum versum hunc Virgilianum notis instruit, secundum quas pronunciari debeat.

*Evenit — versus herous*) Totam

nam *volucres* media acuta legam: quia, etsi brevis natura, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus herous. Separata vero haec a
29 praecepto non recedent: aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur; cuius difficilior apud Graecos observatio est, (quia plura illis loquendi genera, quas Διαλέκτους vocant: et quod alias vitiosum, interim alias rectum est), apud nos vero brevissima ratio.

*Herous*) Ita Guelf. cum Bern. (fido fere socio) ut et Ald. et Viart., quod recte praefert Burmannus. Sic Cicero de Oratore III, 47, et de Legg. II, 27, ceteri *heroicus*. — *A praecepto non recedent*) Sic Goth. (tac. Gesn.) cum Bodl. Bal. Voss. 2, Obr. Ceteri inter *praec.* et *non* inserunt *nostro*. Alienum id; non est Quintiliani praeceptum, sed *vetus lex sermonis*.

*Abolebitur*) Hoc paene etiam in Goth., quem *abolebit* dare narrat Gesn. Nimirum cauda literae *t* appicta, quae passivum facit, abiit fere in speciem signi interrogationis. Voss. 2, tamen (gemellus Goth.) *abolebit* etiam, eadem fortasse ratione.

*Quia — alias rectum est*) Docta est et valde probabilis Gesneri χρῖσις, hanc paragraphum accipi oportet pro parenthesi, illustrandi causa inserta; ad ipsam eam, in qua versamur, disputationem non pertinente. Si metri *conditio*, h. e. ratio, mutare potest accentum, quod fieri in talibus, ut *volucres*, unusquisque agnoscit; tanto minus est mirandum, sententiae conditionem, qualis est in *circum litora*, ubi vocabula coniungimus, itidem mutare accentum.

*Separata*) Retro spectat hoc ad §. 27: «verba *coniungimus*,» ne quis forte referat ad proximum, et cogitet etiamnum de voce *volucres*. Negat igitur *circum*, *qui*, *quale*, *quantum*, et eiusmodi vocabula, nisi arte iungantur cum aliis, *a praecepto* aeuendae in disyllabis penultimae, et ultimae utique gravandae, *recedere*. *Circum* autem, ubicunque praepositio fit, sane iungitur cum alio vocabulo, sed in tali structura semper versatur ellipsis, ut in *prope* etc. Proprie autem talia sunt adverbia, ut etiam hic agnoscit Quintilianus, qui de meris adverbiis et pronominibus agi profitetur (§. 26.) Sic et *ne* dicit adverbium I, 5, 49, quae nobis vocatur coniunctio. *Vetus lex sermonis*, quam modo (§. 26) item appellaverat, idem est illud *praeceptum*. Sic omnia clara, spero, in loco, quem se non intelligere ingenue fatetur Gesnerus, qui tamen ad hanc ipsam de loco sententiam rediit secundis curis. Vid. Addenda eius. *Gallaeus* praeter omnem rationem suspectam putavit vocem *separata*, in qua nulla est Codd. varietas, nisi forte Gothani *seperata* (tac. Gesn.) varietatem appellas. Ceteri tacent omnes, et omittunt etiam Regii interpretationem, quam equidem repetii, quamque sequutus Gedoynus locum satis bene expressit.

*Quia — alias rectum est*) Vid. not. Crit. Ex alia profecto causa, quam

Namque in omni voce, *acuta* intra numerum trium 30
syllabarum continetur, sive eae sunt in verbo solae, sive ultimae: et in his aut proxima extremae, aut ab ea tertia. Trium porro, de quibus loquor, media longa,

qua totam hanc parenthesin de dialectis spuriam esse suspicatur, et ex interpretamento marginis in contextum invectam. Sane si quid adiecturus erat Quint., quare esset *difficilior apud Graecos observatio veteris sermonis legis*, aliunde huius rei causam repetiisset, quam a dialectis, quum Graeci, praeter duas accentus sedes sibi cum Romanis communes, habeant etiam in ultima accentum, possintque brevem penultimam acuere eandemque longam gravare, quorum neutrum Romanis licet. Hinc enim est omnis Graeci accentus difficultas. Videtur itaque, quum ipse Quint. de re, quae sui non esset instituti, nihil dixisset, ignarus aliquis verae rationis, qui Codicem scriptoris nostri antiquissimum tractaret, hanc causam rei, a se parum perspectae, margini allevisse, quam sequentes librarii deinde pro ipsius rhetoris verbis reciperent. Est quidem haec ῥῆσις in omnibus, quantum video, codd. varietate levi. *Interim* inter *vitiosum* et *alias*, quod recte displicet Gesnero, quum sit idem atque *alias*, videntur tueri omnes. Explices h. l. *nihilo secius*, sed dure. Goth. (tac. Gesn.) inter *vitios.* et *int.* inserit *est.* Guelf. sic dirimit: *vitiosum interim: alios.* Bern. pro *alias — alias* dat *alia — alia*, non male, referendo *alia* ad *dialectos.* Sapit glossema ipsa haec fluctuatio. — *Apud nos vero brevissima ratio*) Sic cum plurimis Codd. Guelf. Gibsonus taceudo significat, Bodlei. habere pancarum edd. scripturam: *apud nos vero rectissima ratio ac etiam brevissima*, corruptissimam illam, quod vel *ac*, ante vocalem, ostendit. — *Namque*) Guelf. *Nam quod. Namque*, ut coniecit Regius, Goth. et plurimi puto codd., qui silentur. Id certe solum est verum. *Nam quod* multae edd. — *Eae sunt*) Sic scripsi, prius e Goth. (tac. Gesn.) posterius e Guelf. Vulgo *hae sint.* Clarius h. l. *eae* quam *hae*, neque coniunctivus necessarius. Sat multae edd. *eae.*

dialectorum diversitate, oritur difficultas, qua impediuntur accentus Graeci. Si tamen sanus est hic locus, debemus cogitare v. c. de lege Aeolicae dialecti, ultimam semper gravantis, etiam ubi in ceteris Dialectis aut acuitur aut flectitur. Sunt praeterea quaedam, quae aliter legas accentuata in vetere Ionismo, vel Atticismo, aliter apud recentiores velut τροπαῖον, τρόπαιον. ὁμοῖος, ὅμοιος, ἶσος, ἴσος, quamquam in posteriore voce quantitatis magis est diversitas, quam accentus. Sed leviora sunt haec, quam quae in censum veniant. Etiam Metarius in Opere de Dialectis accentuum varietatem omittit; neque multis rem tractat Reizius *De accentus inclinatione* ed. Wolf. p. 107 sqq. it. p. 121 in σκληροτήρ.

*Namque — acuta*) Similia docet Cic. Orat. c. 18, ubi Ernesti mutatio, quam sine ullo auctore in textum recepit, *ultra* pro *citra*, necessaria non videtur.

aut acuta, aut flexa erit: eodem loco brevis utique
31 gravem habebit sonum, ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet. Est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una; nec ultima unquam; ideoque in disyllabis prior. Praeterea nunquam in eadem flexa et acuta, quoniam eadem flexa et acuta; itaque neutra claudet vocem latinam. Ea vero, quae

*Disyllabis*) Goth. (tac. Gesn.) ut et Voss. 2, *bisyllabis*, et quaedam edd., facili errore, sed in quo lateat bona scriptura. Nullus enim duplici *s* locus in hac voce, etiamsi fere scribitur *dissyllabum*, quum nemo tamen *trissyllabum*, et Graeci semper δισύλλαβον, τρισύλλαβον; vid. Noltenium parte Orthogr. p. 52, it. Heusingeri emendatt. p. 332. — *Flexa et acuta*) Sic Guelf. Regius pro *et* coniecit *ex*, quod ipsum tamen ex aliquot codd. afferunt, qui contulerunt; quam vere quidem et diligenter, nescio. Gibs. tacendo significat Ioann. ita dare, Burm. Voss. 1, 2, diserte narrat, quum tamen Goth., Vossiano 2, plerumque accinens, praeferat *et*. Gesnerus τὸ *et* reduxit et defendit. Neque tamen plane me conciliavit receptae. Vix enim agnosco simplicitatem et sanitatem Quintiliani, si vere ab eo profecta sunt, quae hic leguntur, in quibus est ὀξύμωρον prorsus puerile: *nunquam in eadem flexa et acuta, quoniam eadem flexa et acuta.* Qui omiserunt ultima *quon.* — *acuta*, sicut codd. aliquot et edd. quarum est Obr. gladio se expedierunt, non manu, neque ferri potest eiusmodi κρίσις. Equidem maxime gravor illud *eadem* praepostere repetitum, et profectum sane ab oculo librarii ad superiora aberrante. Maxime quidem ita legi optem: *quoniam flexa est acuta*; aut *quon. in flexa est acuta.* Bern. enim sic: *qui in eadem flexa et acuta.* Goth. (tac. Gesn.) ut et Voss. 2, et aliquot edd. *quia* pro *quoniam*, sed posterius longe aptius. Collocatio τοῦ *eadem*, qualis nunc est, ne satis quidem latina mihi videtur. — *Itaque*) Ita Guelf. Goth. et omnes, puto, codd. Gesnerus auctores sequutus cod. Turic. a m. sec. Iens. Locat. Venet. Rusc. Bad. Colinaeum et Obrechtum dedit *utique*, nequaquam necessario. Bene enim procedit argumentatio, si *propterea*, quod, quae *flexa* est syllaba, eadem et *acuta* est, neque *flexa* neque *acuta* ullam latinam vocem dicitur claudere. *Acutam* enim modo (*nec ultima unquam*) claudere vocem negabat, in *flexa* itidem *acutam* esse quum maxime ostendit. Contra, si legis *utique*, de *acuta*, quod modo dixerat, repetit inelegantер. Etiam nimis geminatur istud *utique*, si hic tertio comparet. *Cludet* cum Guelf. et quibusdam codd. et edd. legas, an *claudet*, parvi refert. Frequens sane Quintiliano forma *cludere*. Goth. (tac. Gesn.) *claudit*, cum Voss. 2.

*Quoniam — flexa et acuta*) Flexa syllaba quum fit ea, quae longae vocalis priorem extollit, sive acuit, moram, secundam gravat, apparet unamquamque syllabam flexam etiam habere acutum accentum, etsi vicissim non item. Vid. not. Crit.

sunt syllabae unius, erunt acuta, aut flexa, ne sit aliqua vox sine acuta. Et illa per sonos accidunt, quae 32
demonstrari scripto non possunt, vitia oris et linguae : ἰωτακισμοὺς et λαμβδακισμοὺς, ἰσχνότητας et πλατειασμοὺς, feliciores fingendis nominibus Graeci vocant: sicut κοιλοστομίαν, quum vox quasi in recessu oris auditur.

Λαμβδακισμούς) Quamquam codd. vett. edd. et omnes fere, qui de re aut litera egerunt scriptores, ut Varro et Isidorus Hispal. all. praeferunt *labdacismum* sine *m*, malui tamen cum recentioribus inserere illud. Goth. (tac. Gesn.) *labdacismus* (litt. latt.) Guelf. *labelacismus*, per errorem. Vide enim de Aristophanis λάδδα Toup. ad Suid. p. ed. Lips. 421, qui recte negat a litera repetendum. — *Auditur*) Guelf. *dividitur*, cum quibusdam, mero errore corrumpendi *a* in *d*. — *Inenarrabiles*) Guelf. *inerrabiles*, quod ipsum si pluribus codd. defenderetur, nequaquam spernerem, quum Apuleius *De dogmate Platonis*, itemque *de mundo* hoc vocabulo in orbibus coelestibus usus inveniatur. Forent autem soni *inerrabiles*, certi, qui nunquam varient. Contra e Lactantio, sed loco non designato, memorantur a Lexicographis *errabiles soni*. Nunc, quum bonam sententiam praebeat non pancorum codd. scriptura *inenarrabiles* (conf. XI, 3, 177, *ratio — inenarrabilis*), ea acquievi, exemplum sequutus etiam aliquot edd. Quod dant Burm. et Gesn. non sine sociis, *inevitabiles*, neque in ullo codice invenio, neque per se blanditur. Mecum facit Lochm. l. c. p. 12.

Ιωτακισμούς — κοιλοστομίαν) Isidorus Origg. lib. I, c. 31, p. Gothofredi 842: « *Iotacismus* est quoties in *iota* litera duplicatur sonus, ut *Troiia*, *Maiia*. » Diomed. p. Putsch. 448: « *Iotacismi* sunt, quum *i* litera supra iustum decorem in dictionibus extenditur. » Isid. l. c. « *Labdacismus* est, si pro uno I duo pronuntientur. » Diomed. l. c. « *Lambdacismi*, si *Lucem* prima syllaba, vel *Alma*, nimium plene pronuntiemus. » Exempla huius vitii etiam clariora ponit Erasmus in Dialogo de Pronuntiatione, apud Havercampum Sylloge altera p. 72: « pro *lucet*, *ellucet*; pro *salva*, *sallava*. » Pulchre idem demonstrat in Hannibale Gronovius ad Liv. XXII, 13, 5. Aristoteles Problemm. pag. Sylburgii 103, tmema 11: οἱ ἰσχνόφωνοι φωνοῦσι μὲν, λόγον δὲ οὐ δύνανται συνείρειν. Erasm. l. c. p. 73: *ἰσχνότης — dum*, *arctatis arteriae circa imas fauces musculis*, *vox semiclusis labiis promitur*. *Cui contrarium est* πλατειασμός, *quum nimium diductis faucibus et ore plus satis patulo sermo promitur*. Idem p. 74: *Per* κοιλοστομίαν *vox funditur in latera faucium*, *atque hinc repercussa resonat*, *qualis umbrarum vox esse fertur*, *eoque qui simulant huiusmodi spectra ex olla fictili verba promunt*. Paulo superius idem: *Germani superiores paene ab umbilico voces ducunt*. Et sane κοιλοστομία videtur esse abundantia sonorum gutturalium, vel potius pulmonalium, qualem notamus in Hebraica lingua, ut et Germanica, pronuntiantibus maxime Helvetiis.

33 Sunt etiam proprii quidam et inenarrabiles soni, quibus nonnunquam nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus, quae supra diximus, vitiis, erit illa, quae vocatur, ὀρθοέπεια, id est, emendata cum suavita-
34 te vocum explanatio: nam sic accipi potest *recta*. Cetera vitia omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est *soloecismus*: quamquam circa hoc quoque disputatum est; nam etiam qui complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione verbi corrigi possit, in verbo esse vitium, non in sermone con-
35 tendunt: quum, sive *amarae corticis* seu *medio cortice* per genus facit soloecismum (quorum neutrum quidem reprehendo, quum sit utriusque Virgilius auctor; sed fingamus utrumlibet non recte dictum), mutatio vocis alterius, in qua vitium erat, rectam loquendi rationem sic reddit, ut *amari corticis* fiat vel *media cortice;*

*Quae supra*) Guelf. *de quibus supra* et sic plerique codd. et edd. Videntur tamen Bal. et Ioann. dare receptam, quae sane est elegantior.

*Qui complexu*) Goth. (tac. Gesn.) *qui contextu aut complexu*, quam foedam, ut vocat, glossam Gebhardus, ducibus duobus suis Palatinis codd., iam proscripsit. Ceteri quidem codd. a conferentibus non memorantur. Mirum, in Voss. 2, facit cum Gothano. Guelf. recte omittit *contextu aut*, ut et Alm. Edd. ante Gibsonum plerasque obsidet.

*Soni quibus*) Coniicit Heindorfius, *in quibus*, ut praepositio exciderit post *soni*. (Spald. in praef. p. 76.)

*Nationes reprehendimus*) «Solemus quibusdam nationibus exprobrare certos sonos, quibus pronuntiationem suam deforment potissimum.» Attamen difficultate non caret structura ob ablativum istum *quibus*, pro quo malis *ob quos*. Bene autem procederent omnia, si legeretur, quae est Burmanni coniectura, *deprehendimus*, pro *repr.* Se produnt nationes certis quibusdam et propriis sonis. Sic Anglos *deprehendimus* sibilo in *th*, Francogallos thonco in *n*, Germanos anhelitu in *ch*.

*Num sic — recta*) H. e. nam puritas, suavitas et accuratio (*explanatio*) in pronuntiandis vocibus possunt comprehendi ista *rectae pronuntiationis* appellatione, quae inest graeco vocabulo, ὀρθοέπεια.

*Amarae — cortice*) Alter locus Virg. Eclog. VI, 62, 63, alter Georgic. II, 74.

*Quum — sic reddit*) Longior hic orationis ambitus habet aliquam difficultatem intelligendi. *Quum* refertur ad *reddit*, quod multis vocabulis inde distinetur. Neque apparet, quomodo *quum*, hac potestate, possit

quod manifestae calumniae est: neutrum enim vitiosum separatum est, sed compositione peccatur, quae iam sermonis est. Illud eruditius quaeritur, an in singulis 36
quoque verbis possit fieri soloecismus: ut si unum quis ad se vocans, dicat *venite:* aut si plures a se dimittens, ita loquatur, *Abi,* aut *Discede.* Nec non quum responsum ab interrogatione dissentit, ut si dicenti, *Quem video?* ita occurras, *Ego.* In gestu etiam nonnulli putant idem vitium inesse, quum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur. Huic opinioni neque 37
omnino accedo, neque plane dissentio; nam id fateor posse accidere voce una, non tamen aliter, quam si sit aliquid, quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur: ut *soloecismus* ex complexu fiat eorum, quibus res significantur, et voluntas ostenditur. Atque ut omnem effugiam cavillationem, fit aliquando 38
in uno verbo, nunquam in solo verbo. Per quot autem

*Separatum est* ) Guelf. omittit *est.* Non male: neque enim necessarium est, et loco hic alieno legitur, quum debuisset certe ante *separatum* poni, non post. Et sic solus, quantum video, Gryphius an. 1544. Elegantius tamen omittitur *est*, quum recurrat in fine huius sensus. — *Fateor posse accidere* ) Guelf. omittit *posse*, cum Bodl. Bal. Alm. Non male. — *Res significantur* ) Guelf. *significatur.* Placet, si opposita *res* et *voluntas* sunt eodem numero.

sibi iungere indicativum, nam tempus saue non significat, nisi forte positum a Qu. putes *dum. Reddat* in nullo quidem libro legitur, neque conveniat magnopere, praecedente in parenthesi, eadem structura: *quum sit*, et protinus sequente tertio coniunctivo *fiat*, cuiusmodi similitudinem clausularum solent vitare scriptores. Si *quoniam* esset pro *quum*, oratio foret expedita. *Quoniam* enim proprie est concedentis, sed simul argumentum ex concessa re peti posse negantis; et id ipsum agit h. l. Quintilianus. *Quoniam* et *Quum* in Codd. saepe confunduntur. Vide Drakenb. ad Liv. I, 6, 4, it. IV, 29, 6.

*In gestu — idem vitium* ) Quum tragicus actor, ὦ Ζεῦ exclamans, manu terram ostenderet, et ὦ γᾶ, vultu in caelum erecto, diceret, Polemo Smyrnae praesidens Olympicis ludis: οὗτος, inquit, τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε. Philostr. p. Ol. 542. Item Lucianus de Saltatione vol. V, Bip. p. 168, πολλοὶ — σολοικίας δεινὰς ἐν τῇ ὀρχήσει ἐπιδείκνυνται. Lucillius in Epigr. apud Brunck. Anal. vol. II, p. 335: καὶ τῇ χειρὶ — σολοικίζει διανεύων.

et quas accidat species, non satis convenit. Qui plenissime, quadripertitam volunt esse rationem, nec aliam, quam barbarismi, ut fiat adiectione, ut, *Veni de Susis in Alexandriam*: detractione, *Ambulo viam, Aegypto venio, Ne hoc fecit*: transmutatione, qua ordo turbatur, *Quoque ego, Enim hoc voluit, Autem non*
39 *habuit*: ex quo genere an sit *igitur*, in initio sermonis

*Ne hoc fecit*) Detractionem facile hic agnoscere sibi quisque videbitur, ut excederit *quidem* post *hoc*. Sed illam structuram omittendi *quidem* certatim defendunt VV. DD. quorum unum nominasse Ruhnkenium sufficerit. Vid. eum ad Rutil. Lup. p. 129. Posset credi Quintilianus etiam immerito locutionem bonis scriptoribus usurpatam (raro tamen, ut omnes confitebuntur), reprehendisse. Sed afferuntur loci, ubi ipse Qu. ita fuerit loquutus. I, 12, 14: «Nam *ne* ego consumi studentem — volo.» Ibi in omnibus fere edd. et Codd. legitur *nec*, sed in suo libro (fortasse Florentino vetustissimo) Regium invenisse *ne*, ipsius nota apparet; habentque illud *ne* Cod. Goth. et ed. Veneta 1494. Item VI, 1, 47: «*ne* illum probaverim.» E nullo Codice a quoquam *ne* affertur, sed iterum Regius, corrigendo *nec* aut inserendo *quidem*, prodit, libri sui scripturam esse *ne*. Invenitur ea, non quidem, ut significat Burm. in vett. plerisque edd. quum Gibsonus suarum quidem octo nullam memoret, inter quas Andreanae auctoritas foret magna. Poterat tamen designare Venet. 1494. Ea enim *ne*, ut et Locat. sed eius repetitio, Rusc. *quidem* inserit post *illum*. Ad ipsum eum locum Badius in Vallensi suo Codice *neque* esse narrat, idque est in Guelf. et Goth, Addam ipse locos I, 2, 7: *ne Alexandrinis*, pro *ne Al. quidem*. Guelf. solus, quantum video; et II, 7, 26: «*ne* vitium» sol. Voss. 1. Non magnopere igitur est verisimile, Quintilianum iis locis scripsisse *ne* pro *ne — quidem*; et recte mihi videor tueri in iis receptam. Vt sint itaque multa veterum loca, quibus recte vindicetur ea structura, quae ipsa disputatio lubrica quam maxime videtur, quum *c* e *nec* tam facile exciderit; Quintilianum tamen hoc loco non de alia ulla locutione cogitasse, quam de *ne* pro *ne — quidem*, adhuc mihi persuadeo, sive perperam ipse hunc soloecismum pronuntiavit, sive summis scriptoribus abiudicanda est ea forma. Saltem quaecumque, ut alium hic inveniant soloecismum, comminiscuntur VV. DD. maxime sunt contorta, v. c. ut legatur *me* (pro *ne*) pro *de me*, quae tamen ipsa est Ciceroni satis frequens locutio: *aliquo aliquid facere* pro *alicui* etc. aut, ut *ne* sit pro *anne* et ibi detractio. Dukerus ipse, structurae solius *ne* sine *quidem* defensor, locorum, quae afferantur, scripturam saepe fluctuare fatetur. Ita obliterata est Cic. Philipp. II, 16, ubi in vett. edd. *ne unquam salutaverat*, hodie *nunquam*, sed Ernestius recte videtur totam istam *salutationem* spuriam putare. Manifestius pro *ne* exemplum videtur Cic. de Fin. V, 7 extr. *ne — posset*. nisi glossa est ea.

*Igitur in initio*) Vid. dicta ad III, 8, 24. item I, 1, 1. Apud Sallus-

positum, dubitari potest, quia maximos auctores in diversa fuisse opinione video, quum apud alios sit etiam frequens, apud alios nunquam reperiatur. Haec tria genera quidam diducunt a soloecismo, et *adiectionis* vi- 40
tium, *πλεονασμόν· detractionis*, *ἔλλειψιν· inversionis*, *ἀναστροφὴν* vocant, quae si in speciem soloecismi cadant, *ὑπερβατὸν* quoque appellari eodem modo posse. *Immutatio* sine controversia est, quum aliud pro alio ponitur. 41
Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequentissime in verbo, quia plurima huic accidunt, ideoque in eo fiunt *soloecismi* per *genera*, *tempora*, *personas*, *modos*, sive cui *status* eos dici seu *qualitates* placet, vel sex, vel, ut alii volunt, octo (nam totidem vitiorum erunt formae, in quot species eorum quidque, de

*In spec. — cadant*) Guelf. Goth. (tac. Gesn.) et Voss. 1, 2, 3, *cadat*, ut ad novissimam solum referatur, videlicet *τὴν ἀναστροφήν*.

*Eorum quidque*) Goth. (tac. Gesn.) *quodque*, ut et Voss. 2. In Guelf.

tium frequens est *igitur* in initio sermonis positum. Vide accuratissimum eius scriptoris indicem Tellerianum, unde discas, vicies in Catilinario, bis quinquagies in Iugurthino ita usurpasse Sallustium. Etiam Livius ponit eo ordine vid. Drakenb. ad II, 48, 1, et ipse noster II, 14, 5. Priscianus pag. 1210, et Servius pag. Putsch. 1797, promiscuam huius coniunctionis sedem esse decernunt. Aliquanto difficilius est scriptores memorare, *apud quos* haec structura *nunquam reperiatur*. Ciceronem modo praemittere, modo postponere *igitur*, narrat Pseudo-Turnebus. Locum quidem, ubi praemitteretur, nullum attulit: neque ego memini.

*Ὑπερβατὸν — posse*) Segregant eo sane consilio tria haec a soloecismo, ne cogantur semper et ubique ea appellare *vitia*, quae interdum, pariter atque *ὑπερβατὸν*, sunt figurae orationis probabiles. Cf. supra I, 5, 5. Attendant autem tirones coniunctivum in *cadant*, qui significat, loqui Qu. ex mente aliorum, non sua (cf. ad I, 2, 2, *videtur*); quare etiam in fine posuit, *posse*, non *posset*, quod perperam pro illo invehendum suadet Obrechtus.

*Quum aliud — ponitur*) Cave credas, controversiam in *definitione* esse negari. Negat Qu. de eo, utrum ad *soloecismum* pertineat *immutatio*, necne, ullam esse controversiam. Definitionem addidit, ne quis ignoraret, quid eo *immutationis* vocabulo h. l. significaretur.

*Genera — modos — status — qualitates*) Cf. de his notam exeg. ad I, 4, 27. *Id* autem, pro quo expectes *Eam*, respiciendo ad *immutatio*, refertur ad omnem illam, de qua nunc agit, rem in genere, aut ad verba ista *quum — ponitur*.

*Eorum — dictum*) *De quibus supra dictum est* sunt modo recensitae

quibus supra dictum est, diviseris): praeterea *numeros*,
42 in quibus nos *singularem* ac *pluralem* habemus, Graeci et δυϊκόν. Quamquam fuerunt, qui nobis quoque adiicerent dualem, *scripsere*, *legere*: quod evitandae asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres, pro *male mereris*, *male merere*: ideoque quod vocant *duale*, in illo solo genere consistit: quum apud Graecos et in verbi tota fere ratione, et in nominibus depre-
43 hendatur, et sic quoque rarissimus eius sit usus; apud nostrorum vero neminem haec observatio reperiatur, quin e contrario, *Devenere locos*, et *Conticuere omnes*, et *Consedere duces*, aperte nos doceant, nihil horum

compendium evanidum scripturae dubium relinquit, utrum dare volnerit librarius. Ceteri codd. silentur. Vett. quidem edd. pleraeque *quoque*.

*Et sic — usus*) Contorta videtur argumentationis ratio, qualem reddidi in not. ex. An *etsi sic quoque*, pro *et sic quoque*? Tueatur se dualis latini defensor ipsa ea dualis apud Graecos infrequentia. Quid mirum, si apud Latinos etiam rarior? Apparet saltem Graecorum exemplo, dualem, quia rarus sit eius usus, non protinus tolli e lingua. Si usum huiusmodi formarum significatione dualis dissuaderet Quint., bene procederet recepta. Ad negandum, esse dualem in latina lingua, non videtur facere. Neque tamen post *etsi* tam bene procedit coniunctivus *sit*, quam si pendet a *quum*.

verbi partes, *genera*, *tempora* etc. ubi insolentius paulo, quod *supra* dixit in tam exiguo intervallo. Cf. autem II, 1, 10. Fortasse tamen de industria vitabat *modo*, quod proprium hic erat adverbium, ne quid turbaretur lector, quoniam de *modo verbi* agitur. Alius autem ab aliis constituitur numerus *modorum*, quales Diomedes p. Putsch. 328, *quinque* agnosci a Grammaticis plerumque, narrat, sed tamen quosdam usque ad decem modos progredi. Varro de L. L. lib. IX, p. Bip. 167 seq. *sex* facit declinatuum species, sed ii non sunt modi meri, verum omnes in genere verbi partes. Quintiliani tempore videntur eae maxime obtinuisse rationes, ut alii *sex*, alii *octo* modos facerent, quod apud Grammaticos diserte memoratum non invenio.

*Apud veteres*) Ergo Quintiliani tempore vix in usu hoc.

*Et — usus*) Quo minus est verisimile, quod, Graeci, qui habent, raro usurpant, a nobis, non nisi in uno genere frequentatum, tanquam proprium quid debere a ceteris numeris distingui. Vid. tamen not. Crit.

*Devenere — Consedere*) Virg. Aen. I, 369, 2, 1; Ovid. Met. XIII, 1. In omnibus hisce locis plures duobus intelliguntur.

ad duos pertinere; *Dixere* quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis praeco pronunciet. Quid? non Livius circa initia 44
statim primi libri, *Tenuere*, inquit, *arcem Sabini*? et mox, *In adversum Romani subiere*? Sed quem potius ego, quam M. Tullium, sequar? qui in Oratore, *Non reprehendo*, inquit, *scripsere*: *scripserunt esse verius sentio.* Similiter in vocabulis et nominibus fit *soloecis-* 45
*mus genere*, *numero*, proprie autem *casibus.* Quidquid eorum alteri succedet, huic parti subiungatur licet per *comparationes et superlationes*; itemque in quibus

*Antonius Rufus — pronunciet*) *Antonii Rufi* nulla mentio apud scriptores, nisi quod Scholiastae Horatii referunt, eum vertendo Homero et Pindaro, itemque comoediis scribendis innotuisse. Memorat eum et Velius Longus de Orthogr. p. Putsch. 2237.

*Praeco* in iudiciis, post habitas a patronis utriusque litigantis orationes solebat pronunciare *dixere*, sed hoc, etsi plerumque post duorum patronorum, tamen etiam post plurium fiebat orationes.

*Livius — Sabini*) Liv. I, 12, 1, *Romani subiere.* Ibid.

*In Oratore* c. 47) Non ipsa quidem Ciceronis verba expressit Qu. sed mentem eius. Apparet autem e sententia Ciceroniana, ipsum promiscue usurpandam duxisse utramque formam, non assignasse duali alteram. Quod apud Cic. *et* est ante *scripserunt*, id libenter ego mutaverim in *etsi*, quum *si* facile hauriretur a sequente *sc.*

*Proprie*) Hoc opponitur ei, quod antecedit, *similiter;* nam *casus* sunt *proprie* vocabulis et nominibus, quum *genus*, *numerum*, communia habeant cum verbo.

*Quidquid — succedet*) Sensus hic videtur: Quandocunque alterum vocabulum, aut nomen pro altero ponetur, poterit id vitium ad hanc soloecismorum partem referri, quae fit in vocabulis et nominibus. Scilicet patitur magis quam iubet Qu. huiusmodi vitia annumerari soloecismis, quum tamen improbet, quod faciunt quidam, ut *soloecismum* putent vitium per quantitatem.

*Per comparationes — dicitur*) Exempla haec sunt nominis vel vocabuli alteriús succedentis alteri, h. e. pro altero positi, quum comparativus pro positivo aut superlativo usurpatur, aut vicissim. Praepositio *per* significatu est, quem cognovimus ad I, 5, 22.

*Patrium*) Quale sit, potest dubitari. Quum tamen a Charisio, Diomede, Prisciano, Isidoro, Cledonio, certatim, iisdemque fere exemplis allatis, iungantur et inter se commutata ostendantur *patronymica* et *possessiva* (ubi apud Isid. p. Gothofr. 824, pro *Thetica* lege *Ctetica*), facile adducimur, ut credamus *patrium* ab ipso Quintiliano

46 *patrium* pro *possessivo* dicitur, vel contra. Nam vitium quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui *soloecismum* putent; quia pro nomine integro positum sit diminutum. Ego dubito, an id *improprium*
47 potius appellem; significatione enim deerrat: *soloecismi* porro vitium non est in sensu, sed in complexu. In *participio* per *genus*, et *casum*, ut in vocabulo; per *tempora*, ut in verbo; per *numerum*, ut in utroque, peccatur. *Pronomen* quoque *genus*, *numerum*, *casus*
48 habet, quae omnia recipiunt huiusmodi errorem. Fiunt *soloecismi* (et quidem plurimi) per partes orationis: sed id tradere satis non est, ne ita demum vitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia, ut *verbum*, ubi *nomen* esse debuerit, vel *adverbium*, ubi *pronomen*, et
49 similia. Nam sunt quaedam cognata, ut dicunt, id est eiusdem generis, in quibus qui alia specie, quam oportet, utetur, non minus, quam ipso genere permutato,
50 deliquerit. Nam et *an* et *aut* coniunctiones sunt; male tamen interroges, *hic*, *aut ille*, *sit?* et *ne* ac *non* adverbia:

dictum pro *patronymico*. Diomed. p. Putsch. 310, ita: *Patronymica sunt quae a patre sumuntur, ut Pelides, Priamides. — Possessiva interdum Poëtae quasi Patronymica proferunt, ut est Orestes Agamemnonius. Sed quod patronymicum est, poni quasi κτητικὸν non potest.* Hinc igitur soloecismi in illa commutatione, sed et in contraria, ex mente quidem Quintiliani; fortasse extra poësin.

*Dubito, an*) Affirmative dubitat, si ita dicere licet. Resp. I, 5, 19, et eadem de hac forma disputantem adi, sis, Perizonium ad Sanctii Minervam p. 118. Locus in primis manifestus apud Senec. patr. p. Bip. 272: «adeo non est dubium *an* beneficium non dederit, ut dubium sit *an* acceperit» Sed cf. ad II, 17, 3.

*Porro*) Introducit haec particula argumentum, quare non sit soloecismus talis locutio. Similiter II, 1, 7. Vid. Turnell. ed. Ern. p. 681, et infra ad II, 3, 5.

*Per partes orationis*) *Per*, intellectu, quo modo *per comparationes*, ne forte quis intelligat: *per singulas* h. e. *in omnibus partibus or.*, quod docere non attinebat, quum sponte manifestum esset, et iam monuisset noster I, 5, 41.

*Hic, aut ille*) Rectissime Gesnerus defendit Quintilianum contra eos, qui summum rhetorem eundemque grammaticum putant errasse in hoc praecepto, quo iubet in disiuncta quaestione usurpari *an*, vetat *aut*. Loca scriptorum quae in contrarium afferuntur, aut male intelliguntur

quitamen dicat pro illo, *Ne feceris*, *Non feceris*, in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi. Hoc amplius *intro* et *intus*, loci adverbia: *Eo* tamen *intus*, et *Intro sum*, soloecismi sunt. Eadem in diversi- 51
tate *pronominum*, *interiectionum*, *praepositionum*,

*Intus*, *loci adverbia*) Goth. (tac. Gesn.) cum tribus Vossianis ante *loci* inserit *unius*, quod facillime obliterabatur. Rectissime probat eam scripturam Burm. Quamquam in ceteris etiam generaliter posuit partium orationis nomina, ut *an et aut coni.*, *ne ac non adverb.* Guelf. et Bern. vocem *intus* omittunt, per errorem. — *Etiam soloecismus*) *Etiam* dant Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Alm. Bal. Ioann. Bern. et omnes, puto, codd. quod de suis, quoscunque viderit, testatur Regius. Neque magnum est momentum Gibsoni et Burmanni de Bodl. Voss. 1, 2, 3, tacentium. *Enim*, quod recentiores edd. de coniectura Regii receperunt, sententiae huic impertit naturam definitionis soloecismi, quae quidem huius loci, postquam verbosa de eo instituta fuit disputatio, nequaquam esse potest. Neque video, quare inde quod *soloec. est — positio* aliquis intelligat, vel coniiciat, eadem quae in adverbiis et coniunctionibus, accidere in *pronominum* quoque etc. *diversitate*. *Positionis* etiam vocabulum in sensu generalis definitionis non bene procedit, quod is videtur animadvertisse, qui coniecit *dispositio*, quod est in Sichardi margine, in codice quidem nullo; vid. not. exeg. *Etiam* pro *enim* mecum defendit Lochm. l. c. p. 13, de *positione* quidem aliter sentiens.

neque habent veram disiunctionem in quaestione, aut corrupta sunt a librariis ignaris. De horum in eo genere erroribus. Vid. Drakenborch. ad Liv. V, 3, 7. Quod autem ipsum dicunt Quintilianum tali locutione usum I, 6, 32: Sitne — a consulendo, *vel* a iudicando, » diu est quum eiecta fuit prava scriptura, etsi veram Gesnerus demum post duo secula reposuit. Aliquos tamen scriptores, Quintiliani tempore, peccasse in harum coniunctionum usu, recte suspicatur idem Gesnerus, quum alioqui non videatur fuisse moniturus quidquam de ea re Qu. Sunt eiusmodi Plinii minoris et Taciti loca. Consulant tirones Noltenium in Antibarbaro, parte syntact. p. 1299, cuius errores, admonti, facile emendabunt.

*Hoc amplius*) Repetita ex Curia formula, quum aliquid addunt Senatores ei, quod priores decreverunt, ut apparet loco L. Senecae de Vita beata c. 3. Deinde abiit in communem sermonem pro *praeterea*, ut hic et I, 5, 55, it. I, 1, 8. Vsurpat etiam Cicero ad Div. IX, 25: *hoc amplius*, *habere naviculas*. De Fin. V, 5: *hoc amplius Theophrastus*.

*Eo — intus — soloecism.*) Hoc de adverbio *intus* praeceptum fortasse hausit, unde plura in tota hac grammatices tractatione, e Lucilii Satyrarum nono, quem ille de industria orthographiae et quaestionibus grammaticis videtur destinasse, quare sequentes versus a Charisio grammatico servatos recte libro nono assignat Franc. Dousa: « Nam velut *intro* aliud longe esse atque *intu'* videmus:

accidunt. Est etiam *soloecismus*, in oratione comprehensionis unius sequentium ac priorum inter se incon-
52 veniens positio. Quaedam tamen et faciem *soloecismi* habent, et dici vitiosa non possunt, ut *tragoedia Thyestes*, et *ludi Floralia* ac *Megalesia*; quamquam haec sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter a veteribus dicta. *Schemata* igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poëtas, sed oratoribus quoque per-
53 missa. Verum *schema* fere habebit aliquam rationem,

*Megalesia*) Guelf. *magalensia.*

Sic et *apud te* longe aliud est, neque idem valet *ad te: Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.*» Neque tamen confecta res est de hoc decreto, quum etiam in movendi significatione *intus* usurpent non contemnendi scriptores, de quibus vide Gesneri thesaurum utrumque. Saepe, apud Plautum in primis respondet Francogallico *céans*, quod itidem antiquioribus eorum Comicis est in usu.

*Est etiam — positio*) Locus obscurior. De ἀναχολούθῳ orationis interpretantur. Exemplum ipse quidem non attulit, unde facilius intelligeres definitionem. Puto tamen exceptionem, quae statim subiicitur, exempli loco esse, ut, quod ibi σολοικοφανὲς est merum, in aliis sit verus soloecismus. Designatur ergo his verbis peculiaris aliquis soloecismus, non universa soloecismi natura finitur; vid. not Crit. Quali interpretationi id quoque obstat, quod memoratur *positio*. Huius autem vocabuli in grammaticis nulla fere alia significatio, quam *casus*. Sic aliquoties noster *prima positio* I, 5, 60, 65. Videtur tamen fere *primam* intelligere etiam quum solam dicit *positionem*, I, 6, 15, 25; I, 4, 24. Vsurpatur etiam de *verbis*, quum *casus* de solis nominibus, et sic respondet fere ei, unde conversum est, Graecorum *Πτωτὰ* I, 6, 10, 11. Quae quum ita sint, non adducor, ut credam, *positionem* h. l. generaliter accipiendam pro *collocatione*, *structura*, quam significationem vocabuli videntur tenuisse VV. DD. qui receperunt *enim* pro *etiam*. *Orationem comprehensionis unius* igitur intelligo verba iuncta, non separata et commasin ad hodiernum morem, dividenda; non autem periodum accipio. *Sequentia*, *priora* sunt vocabula deinceps posita.

*Tragoedia—dicta*) In veteribus Didascaliis, in fronte Terentii comoediarum positis, frequens est adiectivum vel participium feminini generis iunctum nomini masculino, ut *Eunuchus acta* etc. Eiusmodi fere istud est: *Tragoedia Thyestes*, quo obsoleto quomodo dictum fuerit, non apparet. An omisso tragoediae vocabulo, *Thyesten* solum nominabant? In ludis quidem obtinuit, *Florales*, *Megalenses* appellare. Vetere more utuntur Varro, Livius (apud quem XXIX, 14, 14, fortasse cum cod. Havercamp. scribendum *Megalesia appellati* pro *appellata*, conf. XXXVI, 36, 4. *Megalesia appellatos*, et confer de structura Duker. ad XXXIV,

ut docebimus eo, quem paulo ante promisimus, loco. Sed hoc quoque, quod *schema* vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, *soloecismi* vitio non carebit. In eadem specie sunt, sed schemate carent, 54
ut supra dixi, nomina feminina, quibus mares utuntur, et neutralia quibus feminae. Hactenus de *soloecismo*. Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed quum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus. Hoc amplius, ut institutum 55
ordinem sequar, verba aut latina, aut peregrina sunt. *Peregrina* porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. Ta- 56
ceo de *Tuscis* et *Sabinis*, et *Praenestinis* quoque; nam, ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio *Patavinitatem*, licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima gallica valuerunt, ut *rheda* ac *petorritum*, 57

54, 3) Ovidius. Adiectivum accommodant substantivo Tacitus, Gellius, Martialis. De Ciceronis usu non est confecta res, vid. de Har. resp. c. 12, ibique Graevium in primis, sed et Ernestium.

*Paulo ante prom.*) Cf. nos ad I, 5, 5.

*Per imprudent. — soloecism.*) «Grammaticus non erubescit, soloecismum si sciens facit; erubescit, si nesciens.» Seneca Epist. 95.

*In eadem specie*) Non quidem veri soloecismi, sed τοῦ σολοικοφανοῦς.

*Vt supra dixi*) Vid. I, 4, 24.

*Institutum ordinem*) Vid. I, 5, 3.

*Vectium Lucilius*) Dousa in Reliquiis locum eiusmodi nullum apud veteres invenit, haecce Quintiliani verba apposuisse contentus p. 20, n. 170. Quem memorat Cicero in Bruto c. 46, Q. Vettium Vettianum, Marsus erat, quo minus Praenestinis vocibus uteretur, neque tempora concordant, quum Marsum hunc Cicero iuvenis cognoverit.

*Pollio — Patavinitatem*) Cf. VIII, 1, 3. Satis docuit eruditissimo libello de hac Livii Patavinitate Morhosius, nulla quidem alia re potuisse contineri hoc vitium, nisi sermone urbanitatem γνησίως romanam parum redolente, frustra autem esse omnes eos, qui hodie labem hanc in summo historico subodorari sibi videantur, ὀψίγονοι ipsi et barbari. Etiam hoc pulchre persuadet legenti Morhosius, non utique caruisse invidia et maligniate istam Pollionis reprehensionem.

*Rheda — Horatius utitur*) *Rhedam* non uno loco dixit Cicero, de qua re consulendus Nizolius. Ipse noster V, 10, 50, memorat locum Milonianae

quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur. Et *mappam* quoque, usitatum circo nomen, Poeni sibi vindicant; et *Gurdos*, quos pro stolidis accipit vulgus,
58 ex Hispania duxisse originem audivi. Sed haec divisio mea ad graecum praecipue sermonem pertinet: nam et maxima ex parte Romanus inde conversus est, et confessis quoque Graecis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicut illi a nobis nonnunquam mutuantur. Inde illa quaestio exoritur, an eadem ratione per casus duci

*Quoque, usitatum circo*) Guelf. *quoque* post *circo* ponit, in quo habet socium Voss. 1, etsi corruptam · alioqui scripturam exhibentem. Mihi quidem ista collocatio placet prae recepta. Aliis rebus praeter ludos Circenses (ut mensis) inserviebat *mappa*, ubi *quoque* locum suum bene tuetur. In recepta dicas praecessisse iam voces aliquas, Poenis vindicandas.

(c. 10), ubi *rheda*. Vossius in Etymol. recte videtur referre *rhedam* ad Germanorum et Anglorum *reiten*, *ride*. Horatius *petorrita* bis, Sat. I, 6, 104; Epist. II, 1, 192. Hanc vocem etsi Gallis Varro quoque, Gellius (XV, 30) et Festus assignant, et habet Gallus Ausonius Epist. XIV, 15. tamen manifesta videtur origo ab Aeolico πέτορες pro τέσσαρες, ut per Massilienses in Gallorum linguam fuerit invectum. Duplex R metrica necessitate posuit fortasse Horatius. Et videntur aliquot Codd. nostro loco dare *petoritum* cum multis edd. Plerique tamen Codd. geminant R.

*Petorritum*) Admonuit me Butmannus in lexico Celtico Bulleti inveniri utrumque et *petoar* vel *pedwar* (quatuor) et *rit* (rota), ut iam et origo sua Gallica et geminata litera R constent vocabulo. Idem vero etymon ipse Bulletus tentat in v. *petorritum*. (SPALD. in praef. p. 76).

*Mappam*) Usum in Circo vid. apud Suet. Ner. c. 22. Quum in Megalesiorum ludis usurpata quoque fuerit *mappa*, vid. Iuvenal. XI, 191, una cum sacris peregrinis videtur advecta, quo minus fidem inveniat Cassiodorus seculi sexti scriptor, narrans avido ludorum spectandorum populo, quum longius protractis epulis moratus eos esset Nero, *mappam* eius fuisse proiectam, tanquam signum committendi ludi (lib. Varr. III, Ep. 51); hinc ortum signi talis morem. Originem Phoeniciam nondum eruerunt VV. DD. De *mappa* pro *mantili*, vid. Salmas. ad Vospici Aurel. XII, 447 seq.

*Gurdos*) Hispanorum etiamnum est *gordo*, pinguis, sensu physico, qui tamen in multis linguis soleat trahi ad mentem. Conferendi de hac voce Cangius in Glossario med. et inf. Lat. et Vossius de Vitiis serm. p. 224 seq. Eiusdem originis sunt verba Francogallica *dégourdir*, *engourdir*. Laberius, Iulii Caesaris aequalis, in mimo usurpavit vocem *gurdus* teste Gellio XVI, 7.

*Divisio mea*) Vid. §. 55: *aut latina aut peregrina*. Quae igitur peregrina, ea Graeca pleraque.

*Per casus duci*) H. e. flecti.

externa, qua nostra, conveniat. Ac si reperias gram- 59
maticum veterum amatorem, neget quidquam ex lati-
na ratione mutandum; quia, quum sit apud nos casus
ablativus, quem illi non habent, parum conveniat,
uno casu nostro, quinque Graecis uti: quin etiam 60
laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere lin-
guam latinam studebant, nec alienis egere institutis
fatebantur: inde *Castorem*, media syllaba producta,
pronunciarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus
accidebat, quorum prima positio in easdem, quas
*Castor*, literas exit; et ut *Palaemo* ac *Telamo* et *Plato*
(nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur,

*Conveniat, uno casu nostro*) Guelf. post *conv.* inserit *eum*, cum aliquot edd. non sine sensu quidem.

*Hoc omnibus nostris nominibus*) Omittit *omnibus* Goth., probante recte Gesnero. Consentit e codd. unus, indivisus fere comes. Voss. 2. Sed omittunt idem et edd. Iens. Loc. Venet. Rusc. Bad. Cerv., quas tacent qui contulerunt. — *Ut Pal. ac Tel. et Plato — dicerentur*) Guelf. inter *Pal.* et *Tel.* omittit *ac*, non male. Quod in reliquis huius loci vocabulis novant VV. DD. in eo a codd. non adiuvantur. Pro *ac* dant quaedam edd. *sic*; codex quidem nullus. Neque ullus codex *ut* praefert ante *Plato*, quod nimium confidenter in textu posuit Gesn., postquam simili ausu Capperonner. dederat *sicut*. Hoc tamen libentius recipiam, ut clarius; nam *ut* adverbium, tantillo intervallo post *ut* coniunctionem recurrens, non est pro cetera Quintiliani perspicuitate et elegantia. Videntur Capp. et Gesn. eam non admisisse sententiam, qua appareret, Quintiliani tempore vulgo scribi solitum esse *Platon*, non *Plato*, quae quidem sane inest receptae lectioni, et habet quod displiceat. Propterea malebant *ut Plato*, *sicut Plato*, quasi de eo nomine sine *n* scribendo nulla esset controversia. Porro nullus cod. omittit *ut* ante *Palaemo*, quod eiicere malit Gesnerus. Neque est quare dissidamus voci *dicerentur*, cum Galleo, suspicaci sane viro; conf. not. exeg. ad I, 5, 29, cum Goth., etiam consensu, Voss. 2, *differenter* dat, pro *dicerentur*. Illud Gesnerus in margine scriptum putat ab eo, qui duplici modo nomen *Platonis* notari in casu recto, voluerit indicare; inde, postquam haec παρένθεσις in textum fuerit invecta, factum esse *dicerentur*. Equi-

*Potentiorem facere linguam latinam*) Sic *ad retinendam populi romani maiestatem* magistratus prisci Graecis nunquam nisi latine responsa dabant, ipsosque per interpretem loqui cogebant, teste Valerio Maximo III, 2, 2. Nos quidem Germani faciliores nos solemus praestare Francogallis sub nostra ditione viventibus. *Potentiam* latinae, *gratiam* graecae linguae tribuit L. Seneca in Consolat. ad Polyb. c. 21.

retinuerunt, quia latinum, quod *o* et *n* literis finire-
61 tur, non reperiebant. Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Caelium legimus, *Pelia Cincinnatus*; et apud Messalam, *Bene fecit Euthia*; et apud Ciceronem, *Hermagora*: ne miremur, quod ab antiquorum plerisque *Aenea* et *Anchisa* sit di-

dem, ut reliqua taceam, alienum credo a Quintiliani ἀκριβείᾳ et elegantia, ut scripserit: *Palaemo* etc. — *retinuerunt*, quomodo, electo *dicerentur*, constituitur locus a Gallaeo et Gesnero; quamquam usus nominativi *Palaemo* potest defendi, materialiter, quod barbare dicimus, accepto vocabulo. Profecto aliquam structuram erat inventurus Quint., in qua, salvo tegimine, compareret nominativus. Et est inventa ea, si tuemur receptam. — Receptam exhibet Pierius quoque ad Aeneid. VIII, 506, qui hoc Quintiliani loco utitur, nisi quod *ac* deest ibi, et *dicerentur* pro *dicerentur*. Agit autem Pierius de hac ipsa quaestione grammatica, ut et Servius ad Aen. VIII, 603, qui graecam formam metri causa desertam ait. — *Latinum*) Pravam, quam in suis libris inveniebat Regius, scripturam *Latini* etiam Goth. cum lens. praefert (tac. Gesn.) ut et edd. Loc. Venet. Rusc. Guelf. contra dat *Latinum*, ut recte emendabat Regius. Ceteri codd. silentur.

*Caelium*) Guelf. *C. Elium*, mero, opinor, errore; conf. not. crit. ad I, 6, 42. Nam de Aelio Stilone, Varronis magistro, quem ille interdum *C. Aelium*, et *Aelium* appellat, vix cogitandum, quum nonnisi per errorem librariorum videatur ei a Varrone, etsi semper, dari *Caii* praenomen. Ceteri, qui memorant plurimi, *Lucium* vocant: ut et ipsius Varronis codd. de R. R. III, 12.

*Apud Caelium — Cincinnatus*) Caeliine, Ciceronis aequalis, haec sint verba, cuius infra non uno loco mentio fit (ut I, 6, 29; IV, 2, 123, 124) satis clari oratoris, an historici Caelii Antipatri, Gracchorum tempore viventis, nemo dixerit. Neque apparet, quare *Pelias*, qui quidem videtur Alcestidis ille esse pater ex Iasonis historia notus, vocetur *Cincinnatus*, quum de eius capillitio nihil memoretur apud poëtas, quantum quidem memini. Magnum illum L. Quintium, rure petitum Dictatorem, a cincinnis cognominatum constat. Dio Cass. p. Reim. 13.

*Euthia*) De quo hisce verbis egerit Messala, ignoramus, neque Euthiae mentio apud scriptores succurrit, nisi quod Phrynes accusatori, contra quem defendit eam Hyperides, hoc erat nomen.

*Cic. Hermagora*) Apparet hisce, quomodo in iis locis, ubi Cic. recto huius nominis casu utitur, sic scribendum. Quintiliani quidem auctoritati ferè non obtemperarunt editores Ciceronis, ut Ernestius Iuv. I, 6, 9, 11. Sed improbat Quintiliani observationem, eumque bono Ciceronis codice usum negat Bentleius ad Millium p. 518, 19, ed. Lips. (R. Ben-

ctus. Nam si ut *Maecenas*, *Suffenas*, *Asprenas* dice- 62
rentur, genitivo casu non *e* litera, sed *tis* syllaba ter-
minarentur. Inde *Olympo* et *tyranno* acutam mediam
syllabam dederunt, quia duabus longis sequentibus pri-
mam brevem acui noster sermo non patitur. Sic geni- 63
tivus *Achilli* et *Vlixi* fecit, sic alia plurima. Nunc re-
centiores instituerunt graecis nominibus graecas de-
clinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper
fieri potest. Mihi autem placet latinam rationem sequi
quousque patitur decor. Neque enim iam *Calypsonem*

*Sed tis syll.*) Guelf. et Goth. cum Iens. (male *ex* referente Gesn.) *es* pro *tis*, cum multis codd., facillima τῆς *t* omissione (nam Venet. dat *is*) propter antecedens *d* in *sed*. Quod emendabat Regius, videtur esse in aliquot codd. Certe hoc verum unum est.

*Nunc recentiores*) Mihi *recentiores* istud, quod tamen est in omnibus codd. et edd., magnopere glossam olere videtur. Sane *nunc* sufficiebat, sed poterat aliquis requirere subiectum, qui proinde margini allineret suum *recentiores*.

tleii Opuscula philologica 1781, 8).

*Maecenas — Aspr.*) Huiusmodi nomina esse a loco docet Varro de L. L. lib. VII, p. Bip. 125, ubi *Maecenas* itidem memoratur, et ex correctione ingeniosa Popmae etiam *Sufenas*.

*Olympo — non patitur*) Est hic error manifestus, sed non librariorum ille, ut quidem videtur, verum ipsius Quintiliani, memoria lapsi. Primum ob oculos sibi posuit deflexionem illam Romanorum a Graeca ratione, qua Ολύμπος et τυράννος dicunt pro Ολυμπος et τύραννος; deinde quum forte fortuna (ob antecedens *dederunt*) dativis esset usus, ad hunc casum accommodavit regulam suam, immemor iam non esse eam Romani solius sermonis legem, sed Graeci non minus. A Codicibus quidem nihil praesidii ostenditur, qui mire consentiunt in receptam. Neque proficiunt multum VV. DD. coniecturae qualem proponit Badius, ubi post multas, neque eas faciles, mutationes tamen remanet «primam *brevem*,» quae ipsa verba habent errorem; nihil enim refert, brevis an longa sit antepenultima, ad accentum constituendum, ubicunque longa est penultima. Rationem ipsam accentuum et Graecorum et Latinorum exponere non est huius loci. Cf. I, 5, 30, 31 et 33.

*Sic — fecit*) *Sic* pertinet ad originem diversitatis huius in flectendis nominibus graecis observatae ab iis, qui *latinam linguam potentiorem facere studebant*. Pari sensu supra bis §. 60 et 62 posuit *Inde*. *Fecit* autem intellectu dicitur prorsus grammatico, quem aliquoties usurpat noster I, 6, 13, 14, 15, 27. Iis quidem locis ipsa verba et nomina *facere* dicuntur, quum certo modo flectuntur,

dixerim, ut *Iunonem*: quamquam sequutus antiquos C.
64 Caesar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. In ceteris, quae poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui graecam figuram sequi malet, non latine quidem, sed citra reprehensio-
65 nem loquetur. Simplices voces, prima positione, id est natura sua, constant; compositae, aut praepositionibus subiunguntur, ut *innocens* ( dum ne pugnantibus inter se duabus, quale est *imperterritus*; alioqui possunt

*Malet*) Sic Guelf. Voss. 1, 3. Accedunt qui geminant *l* per errorem, Bodl. Alm. Loc. Ven. Ald. Viart. Nostrum dant etiam Bad. Colin. Obr. Ceteri *malit*. Etiam Lochmannus iubet restitui *malet* Progr. anni 1789. — *Prima positione, id est natura sua*) Conatus sum reddere rationem locutionis *prima positione constant*. Dura tamen ea mihi videtur, et levi mutatione aptior posse effici sententia. Si abiicimus *id est*, sensus erit hic: *Simplices voces natura sua*, h. e. se ipsis, solis, αὐταῖς, *constant*, *prima positione*, h. e. in casu nominativo. Iam, qui meminerit in codd. pariter et antiquis edd. *id est*, hac nota scribi .*i*., facile credet unam lineam potuisse per errorem nasci ex ipsa, quae sequitur, litera *n*. Blandiretur, necesse erat, talis error librariis de sententia ipsa fere securis. Nullus tamen cod. addicit huic coniecturae, neque ulla editio. Quantum forma ista *id est* abuti fuerint soliti librarii, vide Burm. ad Sueton. Aug. c. 88, p. 437, et Ruhnk. ad Velleium II, 23.

*Dum ne pugnantibus*) Sic Bern. qui tamen pro *pugn.* dat *repugn.* Ald. Viart. Contra Guelf. ( si recte contuli ) *interdum ne pugn.* Venet. ( quam male excerpsit Gibs.) *dum ne interdum repugn.* Ceteri *interdum repugn.* Videor mihi debuisse praeferre, quam expressi, scripturam. Quid enim est *alioqui — possunt*, si ne antecedens quidem improbavit Quint.? Quid est, quod tanquam speciem componendarum vocum recenset eum componendi modum, ubi coëant *repugnantia*, quasi is, qui hoc agnoscat, possit idem probare talem compositionem? De Virgilii

hic subiectum sententiae est casus ( *genitivus* scil. ) qui *fecerit*, h. e. qui coeperit aliquo modo declinari. Ita Donatus ad Andriae Act. I, Sc. 2, vs. 23: « *genitivus* Oedipi *faciet*. »

*C. Caesar utitur*) Rectissime hoc libris duobus de analogia, deperditis, assignatur a VV. DD. cf. I, 7, 34.

*Simplices — constant*) Transit ad aliam partem divisionis suae supra propositae I, 5, 3. Cf. et I, 5, 55. *Constant* dicitur respiciendo ad *compositas voces*, quae solae proprie *constant*, h. e. partes suas habent. *Prima positione constant*, h. e.: Si veram originem et naturam simplicium velis eruere, investiganda tibi est prima positio, h. e. nominativus, unde ipsa vox et ceteri casus pendent. Vid. tamen not. Crit.

*Imperterritus*) Quum *per* praepositio intendat sensum verbi *terrendi*,

aliquando continuari duae, ut *incompositus*, *reconditus*, et, quo Cicero utitur, *subabsurdum*); aut e duobus quasi corporibus coalescunt, ut *maleficus*. Nam ex 66
tribus nostrae utique linguae non concesserim, quamvis *capsis* Cicero dicat compositum esse ex *cape si vis*; et inveniantur, qui *Lupercalia* aeque tres partes orationis esse contendant, quasi *luere per caprum*; nam *Solitaurilia* iam persuasum est esse *Suovetaurilia*: et sane ita se habet sacrum, quale apud Ho- 67

contraria auctoritate dixi in not. exeg. Sed quidquid est, malo cum Virgilio pugnare Quintilianum, quam secum ipsum; conf. not. exeg. ad I, 6, 7.

*Solitaurilia — esse Suovetaurilia*) Ita plane Bern. Proxime accedunt Guelf. Turic. Voss. 1, 3, qui dant *solitaurilia — esse sue ve taurilia*. Ceteri codd. non memorati, profecto non ob consensum cum recepta, sed negligentia conferentium. Vnus, de quo praeterea mihi compertum, Gothanus haec: *Solitaurilia — esse sue ove tauro*. Qua in scriptura vides pariter deesse, quod, in nullo libro inventum, sufficere cogebatur Regius, *e*, pro quo post eum gregatim ediderunt *ex*, quasi omnes hoc darent codd. Ne Gesn. quidem monuit lectorem *ex*, et *et* inter *ov. taur.*, abesse Gothano. Iam sine *ex* vix procedere receptam ultimorum scri-

*in* autem tollat, improbat Qu. talem compositionem, qua in re Virgilii ipsius sibi obstantem habet auctoritatem, vid. Aen. X, 770. An oblitus est eius loci noster? An poëtis solis talia permittenda iudicavit, ut huc trahas I, 6, 2? Quamquam in singulorum verborum proprietate eorum et oratoris sui rationem parem solet putare. An excidit Virgilio illud vocabulum, lima deinceps erodendum? Servius quidem ad eum locum, neminem ante Virgilium hac compositione usum esse significat. Post Virgilium frequentatum etiam fuit vocabulum. Ad poëtarum et oratorum diversam in verbis usurpandis rationem; conf. X, 1, 28. Vid. not. Crit.

*Cicero utitur*) De Orat. lib. II, c. 67: «Sunt etiam illa *subabsurda*.» Inde mutuatur verbum noster VI, 3, 23, 99. Ad Att. XVI, 3: «tempus discessus *subabsurdum*».

*Capsis Cic.*) Orat. c. 45. Fortasse tamen, quod non semel ei accidit in etymologia, erravit vir magnus, ut neque Qu. eius rationem probat. *Capsis* enim videtur archaismus pro *ceperis*, ut *capsit* explicat Festus, sive Paulus, *prehenderit*, et apud Plaut. Poenul. IV, 3, 6. Codd. et vett. edd. *ceperit* dant pro *capsit*, ex glossemate. Sic et *capso* Bacchid. IV, 4, 61: *capsimus*, Rud. II, 1, 15.

*Tres partes orat.*) Ea neque Varronis est etymologia de L. L. V, p. Bip. 54, neque Ovidii Fast. II, 421, 23. Servius cum aliis refert eam ad Aen. VIII, 344.

*Solitaurilia — Suovetaurilia*) Iam vulgo persuasum est hominibus sa-

merum quoque est. Sed haec non tam ex tribus, quam ex particulis trium coëunt. Ceterum etiam ex praepositione et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius:

— Nerëi
Repandirostrum, incurvicervicum pecus.

68 Iunguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut

pturam, apparet. Vtra autem correctionem scioli magis oleat, Gothani an Bernensis et cett., ne quaerere quidem attinet. Praetuli igitur quatuor codd. scripturam, in qua non cogerer meram coniecturam recipere in τῷ *Suovetaurilia* pro *Solitaurilia*, priore loco. Mecum, ut nunc video, Sulzbergerus V. C. Gesn. enim sic: *Suovetaurilia — esse ex sue ove et tauro.* Ceteri idem, nisi quod *Solitaurilia* retinent. Multum disputatum fuit inter VV. DD. de nomine sacri huius: *Solitaur.* an *Suovetaur.*; vid. in primis Gesn. aliosque ad Cat. de R. R. 141, 1; it. Liv. Drakenb. ad VIII, 10, 14. Neque dubium, quin apud ipsos veteres defensores habuerit utraque scriptura, quod apparet ex Festo, Charisio p. Putsch. 84, et codd. varietate, quorum in Livio, Catone et Varrone non pauci manifeste praeferunt *suovetaur.* Ad eos accedunt, summae auctoritatis testes, marmora antiqua ap. Gruterum p. CXXI, 1; et Murator. p. CCCXL, 2, CCCXLI, 1. Sed quum haec monumenta ad seriora tempora sint referenda (Muratorii quidem ad Commodi); iam tum potest videri ille eruditior modus scribendi nominis adeo invaluisse, ut etiam in lapidibus usurparetur. Sic Tacitus Ann. VI, 37; Hist IV, 53, et fortasse Livius quoque videntur adoptasse etymologiam eam, scribendoque ex-

crum illud *Solitaurilium* nonnisi corrupte ita pronunciari et revera esse appellandum *Suovetaurilia*, utpote in quo sacrificetur *sue*, *ove*, *et tauro.* Neque tamen ipse Qu. probat hoc etymon, quoniam non concesserat latinae linguae ex tribus verbis componendi facultatem. *Nam* respicit ad *inveniantur*, *qui — contendant.* Ille de Lupercalibus error paucorum modo erat, hic de Solitaurilibus vulgo iam receptus, quem diserte arguere vix auderet. Vid. not. Crit.

*Et sane — apud Homerum*) *Sane* est fatentis, specie non carere argumentationem, neque tamen veram eam omnino agnoscentis. Cf. XII, 1, 23; Prooem. tot. op. 7, II, 4, 15. Rationem sacrificii talem esse plane fatetur, nomen inde accepisse non item. *Apud Homerum.* Vid. Odyss. XI, 130; it. XXIII, 277.

*Sed haec*) Pertinet *haec* tam ad *capsis* et *Lupercalia*, quam ad *Suovetaurilia*, quae si maxime ex tribus coëunt, non tamen ex tribus integris.

*Pacuvius*) Designari quidem videntur *phocae.* Vocabulum *incurvicervicum* cum aliis quibusdam etiam Varro ex eodem memorat de L. L. p. Bip. 5. Segregat Qu. hoc genus compositionis triplicis a praecedenti, ubi tertia compositi pars et ipsa vocabulum erat, non mera praepositio.

*superfui*, *subterfugi* (quamquam ex integris an composita sint, quaeritur); aut ex integro et corrupto, ut *malevolus*; aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus*; aut ex duobus corruptis, ut *pedisequus*; aut ex nostro et peregrino, ut *biclinium*; aut contra, ut *epilogium*, et *Anticato*; aut ex duobus peregrinis, ut *epirhedium*. Nam quum sit praepositio ἐπὶ Graeca, *rheda* Gallicum; nec Graecus tamen, nec Gallus utitur composito; Romani suum ex utroque alieno fecerunt. Frequenter 69
autem praepositiones quoque copulatio ista corrumpit: inde *abstulit*, *aufugit*, *amisit*; quum praepositio sit *ab* sola; *et coit*, quum sit praepositio *con*: sic *ignavi*, et

pressisse, omissa vetere ratione, *Solit.* Hanc contra tenent Valgius apud Charis. Festus, Asconius Pedianus in Divinat. c. 3, et, ut in not. exeg. ostendisse mihi videor, Quintilianus. Nullus certe cod. in nostro loco *Suovet.* dat pro *Solit.* Etiam *haec* profecto non ad sola *Suovet.*, sed pariter ad *Luperc.* immo ad *capsis* quoque spectat, unde apparet, nostrum non magis probasse etymon *Suovetaurilium* quam *Lupercalium*; subiecisse autem, si maxime haec ex tribus composita putarentur, saltem non ex integris tribus coaluisse. Rectissime vero mihi quidem videtur Vossius (in Etymologico et in Inst. Orat. II, p. 23) iudicare, qui veretur, ne tota ista *Suovetaurilium* scriptura profecta sit ab ignorantia antiquissimi vocabuli *Solitaurilia*, quod iam tum, quomodo explicarent, non habuerint veteres. Ea profecto etiam Quintiliani mens fuit, qui obtinentem iam suo tempore etymologiam argutiorem significat esse quam veriorem, ipse tamen, aliquod vocis antiquae etymon se invenisse, nequaquam sibi arrogat.

*Corrumpit*) Guelf. *corrupit*, fortasse ex errore, neque tamen prorsus displicet.

*Quaeritur*) Accentum quidem amiserunt, in compositis hisce praepositiones *super* et *subter*, qua de re egimus ad I, 5, 27. Sed si cui ideo non videntur ex integris compositae hae voces, is omnino ex integris ullam vocem componi neget necesse est, quum semper alterutra amittat accentum.

*Anticato*) Nomen fictum procul dubio primum a C. Iulio Caesare, cuius libris duobus, quibus *Anticatonum* titulum fecit, deinde effectum est, ut frequentaretur vocabulum compositum. Cf. III, 7, 28. *Epitogium* a quo scriptore usurpatum sit, non invenio.

*Epirhedium*) Graeca quidem ratio duplex *r*, flagitat, sed Iuvenalis simplici uti et ipse cogitur metri heroici necessitate VIII, 66, neque ullus Codex geminat R. De talibus *ex nostro et peregrino* vid. Salmas. ad Treb. Pollionis Claudium pag. 405,

70 *erepti*, et similia. Sed res tota magis Graecos decet, nobis minus succedit: nec id fieri natura puto, sed alienis favemus; ideoque quum *κυρταύχενα* mirati sumus, 71 *incurvicervicum* vix a risu defendimus. *Propria* sunt verba, quum id significant, in quod primum denominata sunt; *translata*, quum alium natura intellectum, alium loco praebent. *Vsitatis* tutius utimur: *nova* non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt orationi; repudiata, etiam in 72 iocos exeunt. Audendum tamen; namque, ut *Cicero* ait, etiam quae primo dura visa sunt, usu molliuntur.

*Erepti*) Reliqui receptam, etsi meram coniecturam (cuius nescio), ne viderer, in re incerta parum tribuisse Gesneri aliorumque praerogetivae. Guelf. *e re. p.* (i. e. e republica); et sic omnes codd., praeter Bodl. de quo mire tacet Gibs. An igitur ille *erepti?* Vix puto. Goth. (tac. Gesn.) *repu.* non praecedente *e*, in quo tamen latet aliorum codd. scriptura. Et fortasse erat secure retinenda ea. Obstat, quod *copulationem*, ex perpetuitate argumentationis et ex ceteris exemplis, recte hic accipere nobis videmur pro tali coniunctione, qua fiat ex pluribus una vox, quod secus est in exemplo isto, *e re publica*. Neque enim tres hasce voces in unam coniunxit Quint., quod propriae ipsius regulae, modo §. 66 expressae, repugnare recte observat Pseudo-Turnebus. Puto tamen commode sic posse excusari diversitatem exempli huius a reliquis, ut censeatur Quintilianus iam omisisse cogitationem de *copulatione*, praepositionum corrumpendarum causa, et egisse porro de sola ea corruptione, immemor qua occasione hoc diceret.

*Primo dura*) Goth. *principio*, quum Gesn. referat *principi*, quod ei placet; sed fortasse *o* vocalis addita est ab alia manu. Differt enim paulum scriptura eius. — Σἰχε) Sunt haec graeca, ut fit, corruptissima in codd. Id tamen vel ex sordibus istis Gothani (tac. Gesn.) συ τε appa-

aliisque locis ad Scriptores Hist. Aug.

*Erepti*) Quamquam vel citra copulationem *e* dicimus pro *ex*, Qu. non magis *e* pro *ex*, quam *a* pro *ab*, veram et integram videtur putasse praepositionem. Vid. not. Crit.

Κυρταύχενα) Fortasse novatum fuit hoc ab aliquo eius ipsius temporis Graeculo. Stephanus in Thesauro saltem nullum scriptoris locum, ubi legeretur, potuit afferre. Accentus autem erat in recti casus penultimam retrahendus, ad exemplum λασιαύχην, apud Aristophanem, μακραύχην ap. Euripidem, ἐριαύχην apud Homerum.

*Propria — nova*) Persequitur partitionem suam I, 5, 3. Cf. ad I, 5, 65.

*Cicero*) *Beatitas — beatitudo — utrumque durum, sed usu mollienda nobis verba sunt.* De nat. Deor. I. 34. Cf. nostr. VIII, 3, 32.

Sed minime nobis concessa est ὑνμαχοποιία: quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis, λίγξε βιός, et σίζε ὀφθαλμός, fingere audeamus? Iam ne *balare* quidem aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur.

6 Est etiam sua loquentibus observatio, sua scri- 1
bentibus. *Sermo* constat ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine. *Rationem* praestat praecipue *analogia*, nonnunquam et *etymologia*. *Vetera* maiestas quaedam, et, ut sic dixerim, religio commendat. *Auctoritas* ab 2
oratoribus vel historicis peti solet: nam poëtas metri necessitas excusat, nisi si quando, nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum malunt; qualia sunt, — *Imo de stirpe recisum;* et — *Aëriae quo*

ret, legendum esse cum Homero σίζε, vel σίζ', pro quo male editi omnes σίζει, praeter meorum quidem unum Gryphium (1544) qui dat σίζ' ὀφθαλμός: plane ex Homero. Guelf. σύζεοφθαλμὸς in quo et ipso latet vera scriptura.

*In utroque*) Sic etiam Goth. quem *utraque* dare ait Gesn. Errorem ed. Locat. dantis femininum emendat eius repetitio Rusc. cf. not. crit. ad Procem. tot. op. 4. Neque tamen error ille Locat. erat typographi, ut apparet ex nota Regii et edd. Ics. Tarv. Ven.

Λίγξε — σίζε) Iliad. IV, 125, Odyss. IX, 394. In posteriore tamen loco eliditur ε ob sequentem vocalem in ὀφθαλμός, quod observare Quintilianum, non attinebat.

*Iam ne balare*) Puto legendum *Nam n. b.* Frequens confusio. Conf. Drakenb. ad Sil. Ital. IX, 242; item nostr. I, 10, 37.

*Fortiter diceremus*) H. e. dicere auderemus; conf. V, 10, 78, *fortiter — iunxerim*, pro iungere ausim; item X, 1, 105, *fortiter opposuerim*. Horatius quoque *fortiter occupa Portum*; Carm. I, 14, 2, *pereas — fortiter*, Sat. II, 3, 42. Francogallice, *hardiment*. *Forte*, quod h. l. praeferunt quaedam edd. ne latinum quidem pro *fortasse*; Vid. Dukerum de Latinitate ICtorum vett. p. 377, quem usum hunc a Iureconsultorum non recte disiungere arbitror. Declam. Qu. pag. 41, *fortiter dixerim*; pag. 84, *fortiter sentite*; pag. 86, *Poteram fortiter dicere*.

*Iudicio*) H. e. testimonio.

*Imo — Aëriae — Silice*) Aen. XII, 208, (ad quem locum Servius observat, de *arboribus* masculine, de *hominibus* feminine dici *stirpem*, quod per omnia videtur sequutus Virgilius, observat autem Servius non uno loco, ut et Grammatici quidam apud Putschium. Etiam scriptores prosa utentes arboris *stirpem* habent masculinum, ut docent exempla ex Rei Ru-

*congessere palumbes;* et — *Silice in nuda*, et similia; quum summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, et vel error honestus est magnos duces sequen-
3 tibus. *Consuetudo* vero certissima loquendi magistra, utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Omnia tamen haec exigunt acre iudicium, *analogia* praecipue, quam proxime ex graeco trans-
4 ferentes in latinum, *proportionem* vocaverunt. Eius haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet, quod efficitur duplici via: *comparatione* similium in extremis maxime syllabis (propter quod ea, quae sunt e singulis, negantur debere rationem); et *dimi-*
5 *nutione. Comparatio* in nominibus aut genus deprehendit, aut declinationem. *Genus*, ut, si quaeratur, *funis* masculinum sit, an femininum, simile illi sit *panis*; *Declinationem*, ut, si veniat in dubium, *hac domu* dicendum sit, an *hac domo*, et *domuum*, an *domorum*,

*Acre iudic.*) Guelf. *grave*, cum Sichard. ed. male. — *Diminutione*) In hac voce aliquoties dormitavi, modo *di* scribens (Vid. I, 5, 46), modo *de*, ut mox. §. 6. Ex etymo quidem *de* locum tuetur, quod et hic et §. 6, Guelf. vindicat. Quamquam Priscianus p. Putsh. 557, agnoscit *di*, quum repetat e *dis*. Etiam supra, aliisque locis, vett. edd. et ipsi codd. fere *diminuo* exhibent. — *In nominibus*) Guelf. cum Goth. etiam hic *omnibus*, manifesto errore, qui tam frequens solet esse in codd., ut antecedente praesertim *n* litera tuto liceat contra omnes adeo codd. corrigere scripturam in hisce duabus vocibus, pro cuiusque loci

sticae scriptoribus et Plinio) Eclog. III, 69. Etiam Horatius Carm. III, 4, 9, *fabulosae palumbes*. Plaut. contra in Bacchid. Act. I, Sc. 1, vs. 17, *unum palumbem*. Vid. Nonium Marc. apud Gothofr. p. 607, et Plin. hist. nat. X, 35, *aliquos de palumbibus*. Ecl. I, 15; de *silice* vid. praeter Lexica, Non. Marc. p. 611, qui eodem utitur loco Virgiliano.

*Publica forma*) Apposite comparat Almelovenius Lucian. in Lexiphane Vol. V, pag. 197, Bip. τὸ κατθιστηκὸς νόμισμα τῆς φωνῆς. et Ovid. Arte Am. III, 480: *sermonis publica forma placet*. Vid. et Sext. Emp. advers. Math. lib. I, cap. 10, ubi multa ὀνόματος καὶ νομίσματος comparatio, et commode Fabricius affert locum Fortunatiani, rhetoris Pithoeani, p. 70: *Verbis utendum est ut nummis, publica moneta signatis*.

similia sint *domus*, *anus*, *manus*. *Deminutio* genus 6
modo detegit; et, ne ab eodem exemplo recedam, *fu-*
*nem* masculinum esse *funiculus* ostendit. Eadem in 7
verbis quoque ratio comparationis: ut si quis, antiquos
sequutus, *fervere* brevi media syllaba dicat, deprehen-
datur vitiose loqui, quod omnia, quae *e* et *o* literis,
fatendi modo, terminantur, eadem, si infinitis *e* lite-
ram media syllaba acceperunt, utique productam ha-
bent, *prandeo*, *pendeo*, *spondeo*, *prandere*, *pendere*,
*spondere*. At quae *o* solam habent, dummodo per ean- 8

sententia; conf. ad I, 1, 30, not. crit. — *Similia sint*) Guelf. *sunt*, cum quo faciunt edd. Iens. (tac. Gesn.) Tarv. Loc. Venet. Rusc. Bad. Ald. Viart. Neque est cur displiceat per se quidem indicativus, nisi quod praecessit, *simile illi sit*; conf. not. exeg.

*Domus*) Buttmannus pro hac voce coniicit *humus*; verisimillime; quum sic analogiae ipsius fluctuatio ostendatur.

*Deprehendatur*) Guelf. *deprehenditur*. — *Futendi*) Ita quidem omnes, quantum video, codd. Princeps tamen Romana Campani editio dat *finiendi*, quod sane longe est convenientius usui Grammaticorum, quos Putschius collegit. Apud eos enim *fatendi modum* vix invenias. — *Si infinitis*) Ita Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Voss. 2, et quos vidit Regius: is enim primus inseruit *in*, praeter necessitatem et contra concinnitatem, quum modo esset *fat. modo*, non *in fat. modo*. Edd. Loc. Venet. Rusc. Ald. Viart. ignorant *in*. Reliquae a Regio acceperunt. Codd. alii silentur.

*Vt — simile sit — ut — similia sint*) Non utique necesse est coniunctivos hosce *sit*, *sint*, pendere ab *ut* coniunctione. Potest intelligi adverbium, et coniunctivus accipi pro modo potentiali, optativo, εἴη ἄν. Attamen meliorem puto rationem referendi coniunctivos ad *ut*, ubi intelligetur ante illud *ita*. Displicet in hoc loco *domus* post *similia sint*, quum de eo ipso quaeratur, ut *similia* sola sint, *anus*, *manus*. Sed videtur esse in omnibus libris. *Anus* om. Voss. 2, male. *Funis masculinum*. Lucretius femininum fecit II, 1153: *Aurea de caelo — funis, quod auribus servien-*
*tem* dixisse refert Gellius XIII, 20.

*Vitiose loqui*) Fortasse de sermone quotidiano solum intelligi vult Quint. Nam praeter aliorum Virgilii exempla *fervere* tanquam dactylum usurpantis nimis sunt manifesta Georg. I, 456, 471, ut et Aen. IV, 409; VIII, 677, et vid. Servium ad utrumque posteriorum locorum.

*Fatendi modo*) H. e. indicativo. Similiter fere Varro de L. L. lib. IX, pag. 167, appellat *respondendi speciem*, etsi apud hunc minus exposita est modorum ratio, qui cum aliis verbi partibus ab eo confunduntur, cf. ad I, 5, 41. Sed vide et hic not. crit.

dem literam in infinito exeant, brevia fiunt, *lego*, *dico*, *curro*, *legere*, *dicere*, *currere:* etiamsi est apud Lucilium,

*Fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum.*

9 Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si *fervit* putat illi simile *currit* et *legit*, *fervo* dicetur, ut *curro* et *lego:* quod nobis inauditum est. Sed non est haec vera comparatio: nam *fervit* illi est simile *servit*, quam proportionem sequenti dicere necesse est *fervire*, ut 10 *servire*. Prima quoque aliquando positio ex obliquis

*Fervit — annum*) Eademne coniugatione diversisque temporibus, an eodem tempore et diversis coniugationibus acceperit Lucilius τὰ *fervit* et *fervet*, ex ipso fragmento non apparet. Video VV. DD. (ut Barthium in Advers. p. 2645) fere probasse posteriorem rationem, ut Luc. voluerit docere, utramque coniugationem, secundam et tertiam, posse ferri in hoc verbo, pro duplici significatione; de altera neminem cogitasse. Si tamen vera est recepta interpretatio, unde, quaeso, rescivit Qu., Lucilium retulisse *fervit* ad tertiam coniugationem, non ad quartam, quod ipse rectius censet? Contra, si *fervet* est apud Lucilium futurum praesentis illius *fervit*, eoque modo acceptus fuit locus a Quintiliano, apparet plane, ad quam coniugationem verbum *fervere* retulerit Lucilius. Crediderim igitur sic diremtam fuisse a Lucilio litem illam grammaticam, utrum recte diceretur, *fervit* an *fervet*, ut pronuntiaret utrumque pro diverso tempore recte dici. Neque mirum, tempora sic operose distingui, quum Varro ipse loco aliquoties citato p. 167, tempora una cum modis inter verbi partes recenseat, quae, ex nostra ratione, modis subiicere debebat. Et locutio *ad annum* nihil nisi futurum tempus designare hic mihi quidem videtur. Est ea, quod docet vetus Glossarium apud Dousam p. 124, expressa ex graeco εἰς ὥρας, quod legimus apud varios scriptores, ut Aristophanem, Theocritum, ipsum Homerum, cuique geminum videtur esse ἐς νέωτα (γ. c. Cyrop. VII, 2, 13, Lucian. Hermotim. vol. Bip. IV, pag. 5, in quibus locis, ut saepissime, in genere de futuro tempore dicitur). Simile est, *nec dulcia differ in annum*. Horat. Epist. I, 11, 23, ubi Schol. Crucquii: *in aliud tempus*. Saltem ista interpretatio de vario usu *fervendi*, prout res aliqua vel per exiguum vel per longum tempus *ferveat* (ut *ad annum* sit pro *diu*), magnopere ieiuna est, neque ullum veterem scriptorem video, qui pro tali loquendi usu testis et exemplum afferatur.

*Quod nobis inauditum*) Praesens indicativi sive, quod aiunt, thema verbi *fervere*, tanquam ex tertia coniugatione pronuntiatum, sibi auditum negat, neque ullus, puto, scriptor eo utitur; infinitivo multi.

*Non — vera comparatio*) *Vera* pro *recta*, *iusta*, ut sexcenties; et bona observatio Quintiliani; quando enim unquam terminatio ista *crvit* pertinuit ad tertiam coniugationem?

invenitur, ut memoria repeto convictos a me, qui reprehenderant, quod hoc verbo usus essem, *pepigi*; nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio *paciscor*, quum haberet naturam patiendi, faceret tempore praeterito *pactus sum*. Nos, praeter auctori- 11
tatem oratorum atque historicorum, analogia quoque dictum tuebamur; nam quum in XII tabulis legeremus, *Ni ita pagunt*, inveniebamus simile huic, *cadunt*; inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat *pago*, ut *cado*; unde non erat dubium sic *pepigi* nos

*Necesse est — ut servire*) Pro *est*, malit aliquis ex nostro more *esset*; innumeris enim veterum locis *esset* contractum fuit in *est*. Exempla habes Drakenb. ad Liv. XXII, 36, 4. Sed monet Ruhnkenius ad Vellei. II, 42, veteres in hisce *Longum est, infinitum est*, uti fere praesenti indicativi aut imperfecti eiusdem modi. Tale et hic videtur *necesse est*, quod, in genere dictum, tamen ad certam conditionem intelligitur, ubi *sequenti* explicabis: *si quis sequi voluerit*. Quod autem *ut* legitur ante *servire*, id vereor ut sit ex vetere libro. Regius *et* pro eo inveniebat, quod dant etiam Guelf. Voss. 1, 3, lens. (tac. Gesn.). Si fidem merentur, qui contulerunt codd., multos quidem haberemus testes receptae scripturae; multi enim codd. silentur. In Goth. olim erat *et*, sed subterpunctum *e* eique impositum *u*. Puto tamen rectissime emendasse vocalem Regium, quum nulla in codd. scriptura appareat idonea sententia; conf. ad I, 4, 9.

*Convictos*) Guelf. *coniunctos*, facillimo et paene necessario errore. Goth. correctum habet *convictos* ex *coniunctos*, quod non memorat Gesn. conf. Drakenb. ad Liv. II, 40, 13, et Epitome lib. LXVIII, p. 95.

*Legeremus*) Vett. edd. ante Gryphium *legerimus*, non levi latinitatis vitio. Codd., quantum video, recte. — *Pagunt* et mox *pago*) Guelf. *pacunt — paco*. Ita quoque codd. Bodl. Alm. Voss. 1, 3, et ed. Andr. Accedit propius ad Tabularum ipsarum scripturam, sed obscurior fit analogia, quare ipsum puto Quintilianum non vetustissima illa forma extulisse hoc loco vocabulum, sed alia paulum mollita. Scaurus de orthographia figuram ipsam antiquissimam literae *G*, similem illi *C*, in monumentis exaratam, credit fontem erroris, quo pronuntiarint *pacunt* male pro *pagunt*; vid. Putsch. p. 2253, ubi pro *Carrutio* lege *Carvilio*, qui primus invexit lit. *G*; vid. Plut. Qu. R. p. 277, et Villois. in Diatriba p. 167.

*Ni ita pagunt*) Vid. Bachium in Historia iurisprudentiae Romanae p. 26, qui ex Gothofredo ita exprimit hunc locum Tab. I, num. 3: NITA PAICVNT conf. p. 48; Tab. VII: NI CVM EO PAICIT; vid. not. crit.

dicere, ut *oecidi*. Sed meminerimus non per omnia duci *analogiae* posse rationem, quum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Quaedam sine dubio conantur eruditi defendere, ut, quum deprehensum est, *lepus* et *lupus* simili positione quantum casibus numerisque dissentiant; ita respondent, non esse paria, quia *lepus* epicoenum sit, *lupus* masculinum; quamquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, *lupum feminam* dicit, Ennium Pictoremque Fabium sequutus.

*Vrbis Romae*) Guelf. *Romanae urbis*, cum Goth. (tac. Gesn.) et aliis codd. et edd. quarum etiam est Venet. Bad. Viart.

*Lupum fem.*) Guelf. *lupam*, male. — *Nomen simpliciter positum*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt *simpliciter*, it. Turic. quod etiam edd. omnibus (ut lens., tac. Gesn., et Tarv.) abest, ante Obr., quo in genere miranda (an ridenda) est Capperonnerii diligentia observantis, desiderari *simpliciter* in Stephaniana, quasi in ulla alia legatur. Neque Obrectus in catalogum locorum, a se cum ingenii, tum cod. Argentoratensis ope correctorum, retulit hunc nostrum. Codd. Britannici duo igitur et Alm. ignorare τὸ *simpliciter* sunt putandi, quum ii qui

*Sine dubio*) Hae voces iunguntur saepe a nostro eiusque aequalibus eo significatu, quo est Francogallorum *sans doute*, quum introducitur exceptio, sed quae non esse magni momenti deinde ostendatur, ubi sequuntur particulae *sed*, *autem*, *tamen*, retro spectantes ad illud *sine dubio*; est ergo pro *quidem*. Ita hic sequenti §. *Illi autem*; et §. 14, *tamen*. Sic I, 6, 38, *sine dubio — sed*. II, 15, 6, *quos sine dubio ipse non probat*, quamquam ibi non sequitur corrigens particula, est igitur simpliciter pro *tamen*. V, 7, 28, *sine dubio — tamen*. V, 10, 53, *sine dubio — sed*. VIII, 3, 67, *sine dubio — sed*. Aliam prorsus vim habet I, 10, 12: *acceptam sine dubio antiquitus opinionem*; ubi simpliciter affirmat. Prioris generis locis Gedoynus plerumque recte expressit: *Il est vrai — sans doute — à la verité — après tout*. Interdum tamen neglexit, v. c. V, 7, 28, non nullo elegantiae detrimento. Alterum sensum recte tenuit I, 10, 12, *apparemment*. Prior an apud Ciceronem, eiusque aequales inveniatur, equidem non dixerim. Vix tamen ante. Idem usus in Declam. Quint. III, p. (ed. Bip.) 48, *Sine dubio — tamen*; p. 166, *sine dubio — sed*; p. 171, *sine dubio — tamen*, bis; p. 312, *sine dubio — tamen*.

*Varro — lupum feminam*) Qui fragmenta Varronis collegerunt, hunc eius librum separant ab aliis duobus, qui memorantur hisce titulis: *De vita populi Romani*; *De gente populi Romani*, an satis certa auctoritate, equidem non dixerim, quum nonnisi unus hic locus (sive unum hoc vocabulum a Quintiliano memoratum) a diligentibus illis antiquitatis indagatoribus ex eo libro adhuc sit inventus. Veteres quidem in appellandis

Illi autem iidem, quum interrogantur, cur *aper apri*, 13
et *pater patris* faciat? illud nomen simpliciter positum, hoc ad aliquid esse contendunt. Praeterea quoniam utrumque a Graeco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut πατρὸς *patris*, κάπρου *apri* faciat. Illa tamen 14
quomodo effugient, ut nomina, quamvis feminina, singulari nominativo *u*, *s*, literis finita, nunquam genitivo casu in *ris* syllaba terminentur; faciat tamen

contulerunt eos, ne in textu quidem ponant hoc adverbium. Voss. tres et Bern. poterant videri receptam defendere, modo eam adhuc in Burmanno cognovissemus accurationem, sciremusque, ad quod exemplum et ipse et Altmannus, Helvetius, qui Bernensem recensuit, contulerint suos codd. Nunc similitudo, quae est Guelferbytani cum Voss. 1, 3, et Bern., Gothani cum Voss. 2, vix relinquit spem inveniendi huius vocabuli in ullo horum codd. Vnde igitur insinuavit se illud? Equidem non dicam. Assunt tamen cod. Bodl. et ed. Veneta 1494 dantes *impositum* pro *positum*, in quo credas latere *simpliciter*. Et sane sententia longe melius procedit ascito isto adverbio, quae sine eo ne ulla quidem esse videtur; conf. III, 5, 8, *simplex ref. ad aliquid.* Cicero quoque *simpliciter* dicit eadem potestate, ut Top. c. 22, *simpl. — comparate.* De Orat. II, 38, *simpliciter — coniuncte*; it. III, 37. Pomponius in ed. Veneta ad *impositum* haec observat: *Aliter dicitur primigenium aut primitivum*; sed *primigenium* Varro de L. L. p. 61, longe aliter usurpat.

*Vt — terminentur*) Ita Bodl. Ceteri codd., quantum video, *terminantur*, et sic pleraeque edd. ut et Gesn. Nostrum receperunt Obr. Capper. et nuper Bipontini. Quomodo autem procedat indicativus, plane ignoro, non enim est ratio τοῦ *ut*, qualis modo §. 12, *ut, quum — est — respondent.* Neque satis ipsa hac nostra scriptura acquiesco; abrupta enim est structura, *ut — terminentur*; *faciat tamen* —. Recte Gallaeus

libris non adeo sunt constantes. Ennii locus est in Annal. I, p. Column. 16. Merula 191: *Endo tuetur ubei lupu' femina conspicit amneis.* Ceterum subit mirari, quare hic, ubi, *analogiam* non ubique sequendam esse, est praeceperus Quintilianus, mentionem nullam faciat libri Varronis, praesertim oblato forte eius nomine, de *Analogia* proprie disputantis, ubi multa contra eam afferuntur. Annumeratur autem, quidquid superest eius operis, libris de lat. ling., quorum fecit VII, VIII, IX. Sed ne Caesaris quidem de Analogia libros memorat h. l. Hausisse tamen inde videtur aliqua; conf. mox ad §. 15.

*Illud — contendunt*) *Aper* igitur nullo alius rei respectu dicitur, *pater* refertur ad filium, quod profecto invalidum est ad amoliendam anomaliam genitivorum argumentum. Neque scriptura est certa: vid. not. crit. *Ad aliquid* expressum est ex Aristotelis in Categoriis πρός τι. Et hic nomina distinguunt etiam inferioris aevi Grammatici v. c. Charis. p. Putsch. 129: *Sunt quaedam nomina* —

*Venus, Veneris?* Item quum *e, s*, literis finitā, per varios exeant genitivos, nunquam tamen eadem *ris* syllaba terminatos; *Ceres* cogat dici *Cereris?* Quid vero? quae tota positionis eiūsdem, in diversos flexus exeunt? quum *Alba* faciat *Albanos* et *Albenses*, *Volo volui* et

inseri malit *quum* post *ut* (quomodo mox, *quum — exeant — cogat*) · quod facile intercidebat inter *ut* et *n.* — *In ris syllaba — eadem ris syllaba*) Sic plane, utrobique, Guelf. et Goth. (tac. Gesn. qui ipse priore loco dat *syllabam* cum omnibus paene edd., posteriore inserit *in* ante *ris*) cum omnibus fere codd. Neque facile sit inventu exemplum structurae, *in aliquid terminari*. Quod autem altero loco *in* praepositionem ponit, omittit altero, eam levem puto inconstantiam, quae contra omnes codd. non sit tollenda, quum praesertim contorta sit structura *eadem in ris syll.* Obr. tamen etiam priore loco expunxit *in* et *syllaba* scripsit. — *Varios exeant*) Guelf. *exeunt*; male. Goth. (tac. Gesn.) *exeat*, omittendo lineolam in *a*.

*Cogat dici*) Guelf. *cogit* ut Alm. qui et *dicere*. Posterius solum expressit Obr. non ex Alm. quem ignorabat. Turic. *cogit diceres*, omittens τὸ *Cereris*.

*Quid vero*) Hoc quod pro *qui vero* coniecit Regius est in Goth. et multis sane codd. qui non diserte memorantur. Guelf. *qui*, male. —

τῶν πρός τι, *id est ad aliquid, quae non possunt intelligi sola, ut pater, mater*. Prisc. pag. 580: *Ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus*. Isidor. pag. Gothofr. 824: *Ad aliquid — ut dexter*.

*Illa — ut — terminentur*; *faciat*) *Ut* pendet ab *illa*, non ab *effugient*, et intelligendum *illa, quae sunt eiusmodi, ut —*. Sic modo §. 13: *eam rationem — ut faciat*; vid. not. crit. Quod autem negat ullum in *us* nomen femininum terminari syllaba *ris*, immemor erat *telluris*: quamquam alius hoc est generis. Gedoynus, Turnebum male sequutus, dedit *eris* pro *ris*, ne videlicet posset *telluris* exemplum opponi. Sed agit Quint. de una syllaba, non de duabus.

*Cogat dici*) Contorta locutio. Sed vidimus iam alibi ipsis rebus tribui, quod circa eas fit; conf. I, 2, 26, *elementa*; I, 6, 4, *debere*; et quodammodo I, 5, 62, *fecit genitivus*; et mox §. 15, *analogia confitetur*. Proprium, novum tamen et ipsum, erat *velit*; pro eo, quoniam fortiori opus erat, posuit *cogat*. Qui pro *dici* dant *dicere*, (vid. not. crit.) intelligunt *nos, homines*; in recepta intelligendum *se*, vel impersonaliter accipiendum *dici*, quod puto praestare. Neque quidquam puto solicitandum in scriptura, ne id quidem, ut legatur *cogatur*, quae foret lenissima mutatio.

*Quid vero? quae*) De hac structura vid. ad I, 4, 16, *Quid — stultes*. Perperam igitur Obrechtus dedit, *Quid vero quod*.

*Positionis*) H. e. thematis; cf. ad I, 5, 51, *inconveniens positio*.

*Alba — Albenses*) Vid. Varronem de L. L. lib. VII, pag. 112: *Quum duae sint Albae, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenses*; ad quem lo-

*volavi*. Nam praeterito quidem tempore varie formari verba, prima persona litera *o* terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidem facit *cado cecidi*, *spondeo spopondi*, *pingo pinxi*, *lego legi*, *pono posui*. *frango fregi*, *laudo laudavi*. Non enim, quum primum fingerentur [16] homines, *analogia* demissa caelo formam loquendi dedit: sed inventa est, postquam loquebantur, et notatum in sermone, quid quoque modo caderet: itaque non ratione nititur, sed exemplo; nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam *analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Inhaerent tamen quidam molestis- [17] sima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit*, non *emicuit*, et *conire*, non *coire*. His permittamus et *audivisse*, et *scivisse*, et *tribunale*, et *faciliter*, dicere: *frugalis* quoque sit apud illos, non *frugi*;

*Prima persona*) Malim *positione*. Sed codd. non addicunt. — *Quid quoque modo*) Sic Guelf. Regius *que* in *quoque* abrasit, quem plerique editores, et iuter hos Gesnerus, sunt sequuti. Nihil tamen opus a codd. paene omnium et edd. veterum scriptura recedere. *Quoque* dictum est pro *quocumque tandem*, *certo quodam*, unde fortasse non contemnendum, quod dat Voss. 1, *quoquo*, nisi forte est a mero errore. Etiam Obr. restituit *quoque* ut et Lochm. Progr. 1789. Attamen nescio quo modo facilior videretur oratio, si esset: *quo quidque modo*; conf. tamen Cort. ad Sallust. Cat. XXIII, 4, et Ing. LX, 7. *Quid quoque modo*. Sic et Turic. Monet quae huc faciunt, de *quoquo modo* in primis, I. H. Vossius ad Virg. Ecl. III, 109, p. 155.

*Faciliter dicere*) Guelf. posterius omittit, non proletaria profecto scriptura. — *Fiat*) Guelf. *fiet*.

cum lege notam Popmae. Loca Varronis gemina sunt pag. 117, ubi recte suspicantur VV. DD. deesse aliquid, et 163, ubi comparat *Romanus* et *Capuanus*.

*Quid quoque modo*) Vid. not. crit.

*Inhaerent*) nimirum *analogiae*, de qua cummaxime agit. Cf. mox §. 20.

*Audaciter — omnes oratores*) Vide de huius vocis scriptura VV. DD. ad Liv. XXII, 25, 10, in primis Dukerum, item ad XL, 55, 7, apud Drakenborchium.

*Audivisse* autem et *scivisse*, nisi libri nostri magnopere corrupti sunt, non paucis locis scriptores dixerunt. Fortasse igitur Quint. eos solummodo improbavit, qui unice ita loqui inberent. Nam Cic. Orat. c. 47 docet: *et plenum verbum recte dici et immimutum usitate*.

*Frugalis — frugalitas*) Tam su-

18 nam quo alio modo fiat *frugalitas?* Iidem *centum millia nummum*, et *fidem Deum*, ostendant duplices soloecismos esse, quando et casum mutant, et numerum: nesciebamus enim, ac non consuetudini et decori serviebamus, sicut in plurimis, quae Tullius in Oratore
19 divine, ut omnia, exequitur. Sed Augustus quoque in epistolis ad C. Caesarem scriptis emendat, quod is *calidum* dicere, quam *caldum* malit: non quia illud non sit latinum, sed quia sit odiosum, et, ut ipse graeco
20 verbo significavit, *περιέργον*. Atqui hanc quidam *ὀρθοέ-*

*Duplices soloecismos*) Goth. (tac. Gesn.) inserit inter haec *quoque* cum omnibus fere codd. et vett. edd. Guelf. ins. *quidem*.

perstitiosi analogiae defensores profecto magnopere aversabantur usum plane contrarium regulae, quo dicimus homines *frugi*, Pisonem *frugi*. Neque tamen omnino spernendum vocabulum *frugalis*, quo non semel usi sunt optimi scriptores, in comparativo saltem et superlativo gradu; nam, qui positivo uteretur, mihi quidem nondum est inventus, nisi forte Apuleius, sed significatu peculiari, et Isidorus Hispalensis. Apud Varronem de L. L. lib. VII, p. 123, mendum esse suspicor, ubi de eadem agit voce, et legendum quidem pro *frugalissimus*, *frugalissima* sic: *frugissimus*, *frugissima*, ut et paulo ante *pauperissimus*, *pauperissima* pro *pauperrimus pauperrima*, quod inspicienti locum fortasse persuadebo. Etiam apud Cic. Tuscul. III, 8, *frugalis* nulla mentio, dum operose *frugalitatis* ambitum exponit, repetitque vocem a *fruge*, et adiectivum eius *frugi* esse significat, cui Graecorum non quidem *χρήσιμος* respondeat, sed *σώφρων*. *Frugalissimus* tamen non semel dicit Cicero, ut Verr. III, 4, et ad Attic. I, 16, sensu quidem manifeste tali, qui sit summus a positivo illo *frugi*. Quod autem Quintilianus cum irrisione, tangit etymon *frugalitatis*, quasi aliud nullum esse possit, nisi *frugalis*, in eo miror graduum illorum, *frugalior*, *frugalissimus*, non meminisse, quos aeque usitatos debebat agnoscere ac substantivum, *frugalitatem*. Irridet Quint. eos, qui utique omnium verborum etymon inveniri debere sibi persuadent, et ipsi originem aliquam fingere malunt, quam consueto acquiescere; conf. mox §. 29.

*Nummum — Deum*) Cf. Varro p. 149: *In ipseis vocabuleis, ubi additur certus numerus, aliter atque in reliqueis dicitur — mille denarium* etc.; item Cic. Orat. c. 46 integrum.

*Nesciebamus*) *Elegans ironia, qua significat se haec optime nosse*; Regius, eleganter et ipse. Imminuitur autem haec elegantia si *non* post *ac* tollimus cum Gronovio de Pec. vet. p. 41, quem et Lochmannus reprehendit Progr. 1789.

*In epistolis ad C. Caesarem*) Is est Caius, Agrippae filius, Augusti nepos, ab ipso cum fratre Lucio adoptatus, ad quem scriptae Augusti epistolae interciderunt, nisi quod

πεταν solam putant, quam ego minime excludo. Quid enim tam necessarium, quam recta locutio? Immo inhaerendum ei iudico, quoad licet; diu etiam mutantibus repugnandum; sed abolita atque abrogata retinere, insolentiae cuiusdam est, et frivolae in parvis iactantiae. Multum enim literatus, qui sine aspiratione 21
et producta secunda syllaba salutavit (*avere* est enim), et *calefacere* dixerit potius, quam quod dicimus, et

*Recta locutio*) Guelf. et Turic. *certa elocutio*. Fortasse in exemplo inveniebat librarius *certa est locutio*. *Certa* plerique codd. et edd. vett. Goth. tamen *recta*, cum quo Voss. 2, facere puto. Confusioni autem obnoxia in MSS. haec *certa* et *recta*, vid. Drakenb. ad Liv. XL, 15, 2. — *Salutavit*) In hoc consentiunt omnes codd. praeter Voss. 1, dantem *salutant*. Obr. (an ex cod. Argentoratensi?) dedit *salutarit*, quod potest necessarium videri, ob sequens *dixerit*. Neque tamen contra codd. obsequar Obrechto. Vossiani scriptura, si abesset *n* (*salutat*) prae omnibus placeret. Nunc *salutavit* aut ἀορίστως accipiendum de re saepius facta (conf. VIII, 3, 30 *aptavit*), aut, quod malim, intelligitur certus homo, quem ita *salutasse* in ore multorum fuerit, quum scriberet Quint. *Dixerit* deinceps potentiali modo dicitur τίποτ ἄν.

*Avere est enim*) Ita Guelf. et Turic. Reposui codd. plerorumque, multarumque edd. vett. scripturam. Neque obstat contrariorum codd., *avete* (quod et Gesn. dedit) praeferentium auctoritas, in tam proclivi errore. Recepta, quae *est enim* parenthesin, et *avete* salutem illam ipsam, facit, eo maxime laborat, quod, praeter omnem exspectationem, plurali numero salutantem inducit istum *multum literatum*. Quum de salutandi verbo agitur, nemo sane Romanus aliud quidquam cogitat, nisi notum illud suum et tralatitium *have*, quod plane in synonymum ipsius *salutis* abiit. Neque est ex consuetudine veterum, ipsiusque adeo Quintiliani, exemplum, satis demonstratum verbis, diserte etiam adiicere, quo in genere non semel nostrum morem obtruserunt ei interpre-

elegans et affectus plenum earum specimen servavit Gellius XV, 7. *Odiosum* eodem, quo hic, significatu vide apud Ciceronem de Orat. III, 15 extr. et Verr. Act. I, c. 12, ubi *assiduum* fortasse delendum, tanquam *odiosi* glossa; etiam Gellius III, 19, *moleste atque odiose*.

*Quam — minime excludo*) *Quam* refer ad ὀρθοέπειαν in genere, non ad *hanc*. Eam enim certissime excludit.

*Salutavit*) H. e. Dixit occurrenti *avē*, non *havē*, quod erat in usu, etsi vitiosum; vid. not. crit.

*Avere est enim*) Explicationem pete ad I, 5, 13, *sive est assentior*. Eam verbi substantivi potestatem habes §. 22, *quia sit rob.* et 23, *quia esset cb.* conf. et I, 4, 11, *quod si est*.

*Quam quod dicimus*) Nimirum *calfacere*, extruso *e*.

22 *conservavisse:* his adiiciat *face*, et *dice*, et similia. Recta est haec via: quis negat? sed adiacet et mollior, et magis trita. Ego tamen non alio magis angor, quam quod obliquis casibus ducti etiam primas sibi positiones non invenire, sed mutare permittunt; ut quum *ebur* et *robur*, ita dicta ac scripta summis auctoribus, in *o* literam secundae syllabae transferunt; quia sit *roboris* et *eboris*, *sulfur* autem et *guttur*, *u* literam in genitivo servent; ideoque etiam *iecur* et *femur* controversiam

tes conf. v. c. I, 4, 26 τῷ δορί. I, 4, 9, signa aspirationis. *Secundam* syllabam autem recte potuit dicere, quamquam ea erat eadem ultima, ut mox in *robur* §. 22, et I, 7, 3, *palus*. Exemplum correptae ultimae in *ave*, sive *have* (quod non est durius quam *cave* Hor. Epist. I, 13, 19, et aliquoties in Satt.), habes Ovid. Amor. II, 6, 62, ubi I. H. Vossius poëta poëtam optime divinavit, ut et totam elegiam expressit. Vermischte Gedichte, Bd. II, p. 104 sqq. — *Calefucere*) Ita Guelf. et omnes codd. praeter Alm. qui cum vett. edd. dat *calefacе*, male sane, quum mox demum tangatur illud *face* pro *fac*.

*Magis trita*) Guelf. *magistra* cum Voss. 3, Bern. Ioann. quod probat, praeter Gebhard. in Crepundd., etiam Salmasius Exerc. Plin. p. 339, ut sit pro *regia*. Sed defendunt sat multi receptam.

*Scripta summis*) Guelf. inserit *in*, cum multis codd., male profecto, et sunt sane codd. rectae scripturae vindices.

*Controversiam*) Ita Guelf. et omnes, puto codd. Gesn. ex Iensoniana, cui accedit Loc., dedit *controversum*. Sic *iecur* et *femur* fiunt accusativi, subiectumque sententiae sunt homines, qui sane in eo, quod statim sequitur *subiicerent*, sunt intelligendi. Praeter obstantem codd. auctoritatem, in hac ratione displicet quod *controversum* singulari numero dicitur, non *controversa* plurali, ob duo vocabula, ad quae refertur. Burm. in ed. Locat. legi narrat, *controversum et fec.* Equidem in Locat. invenio *controversum fec.* Illud autem *controversum et fec.*

*His adiiciat face*) Sic solemus fere stolidis insigniorem et iustam quasi optare dementiam. Huiusmodi est Virgilianum illud: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Maevi.* Eclog. III, 90.

*Quum ebur — transferunt*) Etiam hic verba finguntur ea facere, quae patiuntur revera; conf. ad I, 6, 14, *cogat dici*. Quod mox subiicitur, *quia sit — servent*, id duriusculum est, quia coniunctivus, alienae argumentationis index (conf. ad I, 5, 40, *cadant*), facit, ut ipsa haec vocabula *ebur* et *robur*, tanquam deliberantia et causas agendi explorantia, sistantur legenti. Charisius p. 17 recenset *robor* inter *marmor* et *aequor*. Agroetius p. 2269, et Beda 2344 distinguunt *robur* virtutem, et *robor* arborem. Caper. p. 2248 *ebor* scribi vetat, quia *ebur* nomen sit.

**fecerunt, quod non minus est licentiosum, quam si** 23
*sulfuri* et *gutturi* subiicerent in genitivo literam *o* mediam, quia esset *eboris* et *roboris*; sicut Antonius Gnipho, qui *robur* quidem et *ebur*, atque etiam *marmur* fatetur esse: verum fieri vult ex his *robura*, *ebura*, *marmura*. Quod si animadverterent literarum affinita- 24
tem, scirent sic ab eo, quod est *robŭr*, *roboris* fieri, quomodo ab eo, quod est *miles*, *limes*, *militis*, *limitis*; *iudex*; *vindex*; *iudicis*, *vindicis*; et quae supra iam attigi. Quid? non similes quoque (ut dicebam) posi- 25
tiones, in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt? ut *virgo*, *Iuno*; *fusus*, *lusus*; *cuspis*, *puppis*, et mille alia? quum illud etiam accidat, ut quaedam pluraliter non dicantur; quaedam contra singulari numero, quaedam casibus careant; quaedam a primis

in Rusc., repetitione Locatellianae. Quum primum offenderem in hoc loco, succurrit paulo ante mutare *ita* in *sint*, quo modo in neutra sententia agunt vocabula ipsa, sed homines soli. Neque tamen ea mutatio necessaria, in more Quintiliani, exemplis sat confirmato, personas imponendi ipsis rebus et vocabulis, ob quem ipsum *controversiam* veriorem credo scripturam quam *controversum*. Ed. quidem nulla, praeter Gesnerianam et quas retuli duas, posterius dat.

*Non similes quoque*) Guelf. *vero similes quoti*, cum Voss. 1, et Bern. Placeret, si *quod* esset ante *similes*. — *Fero*, *tuli*) Guelf. transponit *tuli fero*. — *Nulla — an praedura*) Alienissima hoc loco et molestissima est Regii κρίσις, *nulla* de coniectura mutantis in *mollia*, quod legi in Veneta narrat Gibs. Equidem oculis meis credo, dare eam cum ceteris *nulla*. Non igitur, quod ait Ernestus Bibl. Fabric. lat. vol. II, p. 269, omnes correctiones Regii Veneta recepit, quod ne in aliis quidem locis animadverti. Quare tam inanem Regii notam repetierit Burm., qui sat multus eiusdem alias suppressit, plane non assequor.

*Subiicerent — literam o*) *Subiicere* hic est pro *substituere*, *sufficere*, ut VI, 3, 14, *subiicitur pro eo — aliud mordacius*. *Subiiceretur* nimirum in hac ratione *o* pro *u*.

*Antonius Gnipho*) Natione Gallus, clarus grammaticus et rhetor, cuius scholam magnos viros, in hisque ipsum Ciceronem iam praeterem, frequentasse aiunt. Reliquit duo de latino sermone volumina; vide de eo Suet. de Gramm. cap. 7, et Macrob. Saturn. III, 12.

*Literarum affinitatem — supra*) De erroribus ex ignorata literarum affinitate egit I, 4, 12, 13. Eo igitur respicit *supra*.

*Ut dicebam*) Modo §. 12 et 15.

26 statim positionibus tota mutentur, ut *Iuppiter*. Quod verbis etiam accidit, ut *fero*, *tuli*, cuius praeteritum perfectum, et ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, nulla haec, an praedura sint. Nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciet? Quomodo autem *quire* et *ruere*, vel in praeterita patiendi
27 modo, vel in participia transibunt? Quid de aliis dicam,

*Spes*) Ienson. Locat. et Rusc. *species*, quem Badius putat errorem typographi, sed ostendit nota Regii vere ita lectum esse, quoniam locum Cic. affert, de quo vid. not. exeg.

*Quire et ruere*) Ita Guelf. cum maiori codd. parte. Habet tamen etiam Voss. 2, et Goth. ut et plerarumque edd. vett. scriptura, *quire et ire*, quo se commendet. Ea enim solent etiam a Putschianis Grammaticis iungi verba, quum exponitur eorum anomalia. Et *iens* participium poterat designari a Quintiliano, quod inveniri negat Phocas pag. Putsch. 1719; sed afferuntur in contrarium exempla ipsius Ciceronis. Pendet tamen haec disputatio etiam inde, utrum praeferas, *patiendi* an *faciendi* modo. Nam et hoc est in quibusdam edd. (quarum est et Gryph. 1544) in cod. quidem, quod sciam, nullo; neque vera magnopere videtur haec scriptura, sed posset tum intelligi *quivi*, et *iens* quorum prius etiam a Grammaticis memoratur. Praeterea quaeri potest, utrum Quint. voluerit intelligi de iis flexionibus, quae *nullae* essent, an de iis, quae *praedurae*. Si enim posteriores modo designavit, non est quod miremur etiam has ipsas formas, quas improbet Quint., apud quosdam scriptores inveniri.

*Vt fero, tuli, — invenitur*) Videtur hoc exemplo duplicem anomaliam voluisse ostendere, qua et statim mutantur flexiones, ut a *fero* fit *tuli*, et carent verba quibusdam formis, ut *tuli*, cuius ultra praeteritum perfectum nullum tempus invenitur. *Cuius* igitur ad solum *tuli* spectat, ad *fero* non item. Fateor tamen inesse aliquam scabritiem extremis illis: *et ulterius non invenitur*. Quod huius sententiae est subiectum? Malim *nil* pro *non*. An *ulterius* est nomen adiectivum, non adverbium? Gedoynus vertendo mutilavit locum.

*Plurali spes*) De voce simili *species*, eadem fere dicit Cic. Topic c. 7. Neque tamen necesse est, ut eo respexerit, et ipse quoque de voce *species* egerit Qu. Charis. p. Putsch. 18, et Diomed. p. 281, observant, feminina quintae declinationis in genitivo plurali carere litera *r* et facere *specieum* etc., consuetudinem tamen efferre *specierum*. Illud apud scriptores vix invenias.

*Quire, et ruere*) Verisimillimum est, cogitasse Quintilianum de istis: *rutus sum* et *quiens*, quae vix possent dici. Etsi *quitum* etiam potuit tanquam insolens respuere et obsoletum. Legitur enim apud Comicos fere solos. Quod *ruta caesa* dicuntur, id quidem non tollit, quod de praeterito passivi docet Qu. Vid. tamen not. Crit.

quum *senatus senatus senatui*, an *senatus senati senato* faciat, incertum sit? Quare mihi non invenuste dici videtur, aliud esse *latine*, aliud *grammatice* loqui. Ac 28
de *analogia* vel nimium. *Etymologia*, quae verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est *notatio*, quia nomen eius apud Aristotelem invenitur *σύμβολον*, quod est *nota:* nam verbum ex verbo ductum, id est *veriloquium*, ipse Cicero, qui finxit, reformidat. Sunt, qui vim potius intuiti, *originationem* vocent. Haec habet 29
aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget; ut quum M. Coelius se

*Senatus — senato*) Bern. *senatus senatui an senatus.* Haec scriptura, levi mutatione, fiat commodissima hunc in modum: *Senatus senati an senatus*, extruso uno *U*. Prope accedit Guelf. *senatus senatu senati an senatui.* Facillima correctio pro *senatu*, *senatus*, pro *senatui*, itidem *senatus*; ubi tamen etiam *senatus* initio est delendum. Sic eam quoque vitamus difficultatem, quod *senatus*, nominativus, iterum comparet in altera sententia, quo turbatur structura. Quod enim agnoscas subiectum ad *faciat* si *senatus* nominativus bis legitur? Si semel priore loco, expedita est sententia. De dativo, qui in hac ratione nullus est, egi in not. exeg. Codd. Voss. 1, 3, dant scripturas facile ad nostram deducendas. Ceteri, ut Goth., videntur cum edd. omnibus conspirare, quare textum sollicitare non sum ausus.

*Ac — nimium*) Guelf. cum plerisque codd. *Haec* pro *ac*, et *vel* ante *nim.* omittit. Venet. non *ac* dat (ut narrat Gibs.) sed *haec. Vel* multi omittunt codd. Esse tamen videntur, qui servent et plane est necessarium. — *Verb. ex verb.*) Ita codd. et edd. vett., recentiores pro *ex* dant *e*, Gesnerus *a* typographi sane errore, quem propagarunt Bipontini. Apud Cic. ipsum *ex* legitur. * — *Finxit*) Guelf. *diffinit*, mire.

*Vocent*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *vocant*, cum Voss. omn.

*Senatus — senato*) Veteres Grammatici (p. Putsch. 10 et 712) quartae declinationis vocabula etiam ad secundam antiquitus accommodata narrant. Neque tamen memini qui scriberet *Senato*, dativo; quum *Senati*, genitivo, frequens sit apud Sallustium. vid. not. crit.

*A Cicerone — apud Aristot. — veriloquium*) Cic. Top. c. 8, ubi haec disputat citat ipse Aristctelem, cuius locus est in libro *περὶ ἑρμηνείας* c. 2, §. 3 (Buhl. p. 16, vol. II) *τὸ δὲ κατὰ συνθήκην* (*λέγω*), *ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅταν γένηται σύμβολον.* et alibi in eodem libro *verb. ex verbo* ipse Cicero dixit, h. e. *κατὰ πτῶσι μεταφρασθέν.*

*M. Coelius — ne mentiri quidem*) Qua occasione, et in qua oratione haec ita argutatus sit Coelius, proditum a scriptoribus non invenio. Moribus eum fuisse non magnopere sanctis ipse, qui defendit oratione, Cicero

esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat), sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta *frugalitas*. Ideoque in definitionibus assignatur etymologiae locus.
30 Nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut quum *Triquetram* dici Siciliam, an *Triquedram; meridiem*, an *medidiem* oporteat, quaeritur,
31 aliaque, quae consuetudini serviunt. Continet autem in se multam eruditionem, sive illa ex Graecis orta tractemus, quae sunt plurima, praecipueque *Aeolica* ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata, sive ex historiarum veterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde *Bruti*, *Publicolae*, *Pici?* cur *Latium*, *Italia*, *Beneventum?* quae

*Aliaque — serviunt*) Guelf. *alia quaeque* —. Goth. *aliquando consuetudini servit*; et sic vett. edd. Iens. (tac., Gesn.) Tarv. Loc. Venet. Rusc. Bad. it. Alm. Bodl. Turic., sed subiuncta etiam recepta; sensu non contemnendo, ubi opponuntur *nonnunquam conatur discernere* et *aliquando servit*, h. e. praegravatur, obruitur. Praestare tamen videtur recepta.

*Pici*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *pithici*. Neque ullus codex diserte affertur pro recepta. Ioann. (qui tamen h. l. potest esse mutilus) et Alm. silentur, ut possis sperare eos receptae cognitores et vindices. Turic. sic: *Brutii et Pythici. Publicolae. Pithici* dant omnes vett. edd. praeter Badium, cuius nota fit probabile, ipsum de coniectura dedisse *Pici*. Ea vera videtur scriptura. « *Pithici* unde dicantur non memini me legisse » aiunt totidem verbis et Pomponius Laetus et Regius. Neque ego.

significat. Legent cum fructu tirones brevem de hoc Coelio commentarium a Paulo Manutio praemissum interpretationi epistolarum Coelii, quae efficiunt octavum Epistolarum Ciceronis ad Diversos librum; in ed. Graev. vol. I, p. 367 seqq.

*Triquedram*) Ab ἕδρα sane. An a *quadra*?

*Meridiem*) Cf. Varr. de L. L. lib. V, p. 52, et Cic. Orat, c. 47; Prisc. p. 636, Velius Long. p. 2232.

*Aliaque — serviunt*) H. e. in quibus consuetudo obliteravit etymon. vid. not. crit.

*Aeolica — declinata*) I. e. deflexa et mutata a communi Graecorum forma. Ita mox iterum *declinata* §. 32. De hac Romanae linguae, cum Aeolica, cognatione docte agit Fosterus *on Accent*, p. 92 seqq. Ruhnkenio moderatore defendit Schardamus Leidae anno 1776 hanc thesin: *Latina lingua est dialectus linguae Graecae*; vid. dissertat. de Longino.

*Bruti — Argiletum*) Non est no-

*Capitolium*, collem *Quirinalem*, et *Argiletum* appellandi ratio? Iam illa minora, in quibus maxime stu- 32
diosi eius rei fatigantur, qui verba paulum declinata, varie et multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis aut porrectis, aut adiectis aut detractis, aut permutatis literis syllabisve. Inde pravis ingeniis ad foedissima usque ludibria dilabuntur. Sit enim *Consul* a

Nam de *pithecis* (τοῖς πιθήκοις) unde dictam narrat Ovidius insulam Pithecusas (Metam. XIV, 90; conf. VV. DD. ad Hesych. voce Αστμος) cogitare, alienum fortasse fuerit. — *Pici*. Suspicatur Buttmannus *ci* in scriptura codicum *Pithici* adhaesisse ex eo quod protinus infertur *cur*. Sic remanserit *Pithi*, quod possit videri corruptum ex *Paeti*. Sed non apparere, cur ex magna turba cognominum significantium hoc maxime seligeret Quint., in quo neque ex historia quidquam, ut in Bruto et Publicola, neque aliunde observandum esset. Reponi itaque velit idem *Quinti*, quod fuerit signatum *Quīti*. In hoc enim nomine docebit Grammaticus, hoc et similia, ex numeris repetita, simplicissimam olim praebuisse denominandi rationem iis, quibus plures essent liberi, postea vulgaria facta nomina. *Pici* ipsum, quod quidem a codice defendi videtur nullo, etiam hoc habere, quod displiceat, quia minime sit consentaneum, nomen antiquissimi herois Itali subiungi Romanis.

*Dilabuntur*) Guelf. *labuntur* cum quibusdam. Malim *delabuntur*. — *Sit enim*) Ita et Guelf. nisi quod *Sic* pro *Sit*, frequenti in codd. errore; conf. not. exeg. ad I, 5, 49, *hic aut ille*. Tuentur nostram scripturam praeter memoratos Gesnero codd. etiam Alm. Turic. et edd. IenS. (tac. Gesn.) Tarv. Loc. Venet. Rusc. Quod in prava lectione pro *vel* scripserunt *an* post Badium, id de mera, ut opinor, coniectura fecerunt.

strum horum nominum originem enarrare. Consulenda sunt Lexica, quae ad varios ablegabunt auctores, ut Varronem, Gellium, Festum, Servium, Virgilium, Ovidium, Livium. Varronis editio Bipontina magnam studiosae iuventuti utilitatem praestaret, si adiectus esset index. Nunc consulendus Gothofredi iudex in Auctoribus linguae latinae. In nomine *Argileti*, etsi Virgilii auctoritas repugnat (Aen. VIII, 345, 46, ubi vide Servium), *argillam* potius agnoscemus quam *letum Argi*, conferemusque Athenarum Ceramicos et Lutetiae vicum tegularum (*tuileries*, quo vocabulo Ceramicum reddere solet Bartholomaeus in Anacharside: vid. cap. 12).

*Ad veritatem*) Eodem vocabulo ἔτυμον designat Cicero Orat. c. 48, *consule* veritatem, *reprehendet*; *refer ad aures, probabunt*.

*Porrectis*) Sic exquisite dici pro *productis* observat Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 12, afferens nostrum locum; cf. I, 7, 14.

*Pravis ingeniis*) I. e. pravitate ingeniorum. Nihil enim opus mutatione qualem tentari video.

consulendo, vel a iudicando; nam et hoc *consulere* veteres appellaverunt; unde adhuc remanet illud, *Rogat,*
33 *boni consulas*, id est, bonum iudices; *Senatui* nomen dederit aetas; nam iidem *Patres* sunt; et *Rex*, *rector* et alia plurima indubitata: nec abnuerim *tegulae*, *regulae*que, et similium his, rationem: iam sit et *classis*
34 a calando, et *lepus levipes*, et *vulpes volipes*, etiamne a contrariis aliqua sinemus trahi? ut *lucus*, quia, umbra opacus, parum *luceat?* et *ludus*, quia sit longis-

*Etiamne a contrariis*) Guelf. post *etiamne* inserit haec: *interpretatione rectam sequendam improbandam contrariam*, quae verba, levi fluctuatione, plurimi exhibent codd. Edd. autem vett. fere omnes, nisi quod Badius omisit. Rectissime suspicatus erat Regius, notam eruditi cuiusdam marginalem ab imperitis contextui sensuum fuisse insertam. Absunt autem haec verba a codice Vallensi, ut refert Badius, item a Gothano. Silentium eorum, qui contulerunt, etiam Voss. omnes, Bernensem, Ioannensem iis carere significat. Illi tamen ego nonnisi de Voss. 2, et Ioannensi crediderim. Voss. 1, 3, et Beru. nimis cum Guelf. solent facere. Turic. omissis τοῖς *et — volipes* inserit spuria ista. Gryphius, quique eo sunt recentiores constanter videntur omisisse alienissimam sententiam, neque erat, cur Obrechtus quasi postliminio eam restitueret; si maxime in Argentoratensi suo inveniebat. Immutavit tamen ille magnopere, de coniectura, opinor. Libuit hoc paulo copiosius exponere, ut tirones haberent manifestum glossae longioris exemplum, discerentque etiam codicibus diffidere, quum nimis absurda praeferunt;

*Consulendo vel iudicando*) Aliam *consulis* originem tradit Varro p. 24 et 242. De *consule* pro *iudice* vid. Liv. III, 55, 12, ad eumque Drakenb. Antiquam *consulendi* vim vid. et apud Festum in *consulas*.

*Tegulae regulaeque*) Horum vocabulorum a *tegendo* et *regendo* originem dubiam facere poterat primae syllabae diversa quantitas.

*Lepus — vulpes*) De omnibus hisce etymis consulenda Lexica. Id tamen animadvertendum hic, errare eos, qui cum Vossio in Etymologico, voce *lepus*, putent displicuisse Quintiliano hasce *leporem et vulpem* repetendi rationes. Oriebatur autem ille error, ex falsa constitutione praecedentis sententiae, ubi legebant *Sitne — an* pro *Sit enim — vel*, ut apparet Etym. Voss. voce *Consul*; cf. not. crit. ad §. 32, *Sit enim*. Varro de L. L. p. 29 prius etymon recte reiicit, posterius male probat; cf. et Gell. I, 18.

*Lucus*) In proverbium abiit haec etymologiae ratio. Aeque mirabilem paene probat Varro de L. L. p. 8, ubi *caelum* a *celando*, *quod apertum est*. De ipso etymo vide Lexica.

*Ludus*) Intelligendus igitur h. l. aut gladiatorius aut literarius ludus. Qui hoc etymon, praeter Q., referret, adhuc neminem inveni.

sime ab lusu? et *Ditis*, quia minime *dives?* etiamne *hominem* appellari, quia sit *humo* natus? (quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terrae, quam sibi)

conf. not. crit. ad I, 5, 29, *quia — alias rectum est.* — *Ab lusu*) Guelf. et Turic. *a lusu.* Goth. (tac. Gesn.) *ab usu*, cum Voss. 1, 3. — *Ditis*) Ita Guelf. et Turic. cum plurimis codd. et edd. vett. Sic argumentatio a divitiis petita melius procedit, quam in vulgata, quae etiam apud Gesnerum, *Dis;* sicut et Valerii Flacci II, 296, *dite solam* facilius deducas a tali masculino. Docet autem formam insolentiorem veram Servius ad Aeneid. VI, 273. Et pauca sane loca apud optimos scriptores ubi nominativus legatur; Ausonius quidem aliquoties *Dis* in carmine, sed et *dis*, pro *dives* appellativo, apud Terent. Adelph. V, 1, 8. Conf. VV. DD. ad Petron. cap. 120, ubi *Ditis pater* recto casu in versu.

*Ditis — dives*) Vid. not. crit. Ab ipsis contra divitiis nomen repetit Cicero de Nat. Deor. II, 29, qui confert Graecorum Πλούτωνα. Et bonis sane argumentis Sphanhemius ad Arist. Plutum 727, ostendit, confudisse interdum veteres utrumque Pluti et Plutonis nomen; vid. et Platonem in Cratylo p. Steph. 403, A.

*Hominem — humo*) Hanc etymologiam Vossius in Etymologico, voce *homo*, Varroni tribuit, non indicato tamen libro, aut fragmento, ubi legatur. Alii quoque, qui de ea agunt, Varronianam solent dicere. Meorum vero amicorum, meaque ipsius industria frustra insumta fuit in loco Varronis inveniendo; et iam in eo legi prorsus despero. Accedit, quod Qu. mox (§. 37) Varronis mentionem faciens cum reprehensione, eidem non assignat hoc *hominis* etymon, neque priorum ullum est apud Varronem. Videtur ergo tempore Quintiliani in ore hominum versatum hoc etymon (legitur etiam apud Isidorum p. Gothofr. 1089), et recentiorum esse error, a Varrone repetentium. Iam qui reputaverit parem rationem in Hebraico *Adam*, *Adama*, conluleritque Hebraicum *dam*, sanguis, in quo itidem, sicuti in terra, *adama*, est ruboris significatio, pro quoque apud Graecos invenitur αἷμα, simili fortasse literarum *d* et *h* permutatione, quo accedit, quod a χαμαὶ est aliud χθαμαλὸς *humilis*, et ipsa χθὼν, quo minus otiosam putes literam Θ; qui haec, inquam, omnia secum reputaverit, contuleritque adiectivum *humanus*, is fortasse non tantopere abhorrebit ab hoc etymo. Fuit haec variarum gentium in una re appellanda similitudo mihi demonstrata a Buttmanno V. C. qui ubi sua de linguarum cognatione cogitata, largissima exemplorum copia innixa et superstitioso Hebraicae antiquitatis studio (quo olim VV. DD. solebant esse infecti et occaecati) vacua, cum eruditis communicaverit, gratiam fortasse inibit ab iis, qui opinionum novitatis et antiquitatis pariter securi, veritatem unam sectantur.

*Ante — terrae — quam sibi*) Quare ἐπιχθονίους Graeci dixerunt? Sed contra Quintilianum disputare, non attinet.

*Verba — verbera*) Quam frequens et usitata Grammaticis fuerit tam mira

35 et *verba* ab aëre verberato? Pergamus: sic perveniemus eousque, ut *stella*, luminis *stilla* credatur, cuius etymologiae auctorem, clarum sane in literis, nominare ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum
36 est. Qui vero talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt, ingenioseque sibi visus est Caius Granius *caelibes* dicere, veluti *caelites*, quod onere

*Inhumanum est*) Cogitanti de mutatione τοῦ *est* in *esset* obstat Ruhnkenius conf. not. crit. ad I, 6, 9. Fuerit tamen hic fortasse magis ferenda mutatio — *Sibi visus*) Guelf. omittit *sibi* cum plerisque codd. Possunt tamen credi vindices vocis, qui non memorantur Voss. 1, 3. Bern. (quamquam magnopere consentientes alioqui cum Guelf.) Bal. Ioann., modo siut integri his locis. Neque prorsus necessarium est *sibi*, sicut Regio, postque hunc Burmanno videbatur. Potuit Quint. notare aliorum dementiam tale commentum admirantium, ut I, 5, 67, *persuasum*, non erat ipsi persuasum Quintiliano: vid. ibi not. exeg. ad *Solitaurilia*. Similia fere de recepta sentit Lochmannus Progr. 1789. — *Caius Granius*) Guelf. *gravius*, satis accedens ad receptum, nisi quod deest praenomen. Recepta quidem scriptura in nullo videtur esse cod. neque mihi saltem quidquam compertum de Grammatico huius nominis.

etymologia, docebit Vossius in Etymologico. Et loca habes apud Gothofr. p. 806, ubi tamen cum hac nostra coniungitur *versandi* origo ab Isidoro, ap. Putsch. p. 783, 2052, 2307.

*Stella — stilla — inhumanum est*) Qui praeter eum, quem h. l. significat Qu., hoc etymon probaret, Vossius in Etymologico neminem invenit. De viro autem, quem intellexerit Qu., coniectura est incerta; Burmannus de Palaemone cogitat. Vid. I, 4, 20. *Est* vide in not. Crit.

*Libris complexi*) Segregat horum vanitatem ab eorum errore, quibus una et altera tam prava exciderit etymologia in sermone familiari, aut aliud disputando in libris.

*Granius*) Vide not. Crit.

*Caelibes — caelites*) Quantopere etiam hoc veteribus placuerit, ostendit item Vossius l. c. Loca Grammaticorum haec sunt: Fest. s. Paul. in h. voc. Donat. ad Adelph. I, 1, 18; Isid. p. Gothofr. 1070; Priscian. p. Putsch. 547; Beda 2333, (ubi, si me audias, pro priore *Caelebs* leges *Caeles*, quoniam *iter* inesse voci observatur, quod apparet quodammodo genitivo *Caelitis*; neque sine hac mutatione rationem habet probabilem bis facta eiusdem vocis mentio. Firmat emendationem Isidorus l. c. eadem tradens Bedae, ubi *Caeles* expressum est, item Augustinus apud Putsch. pag. 1983). O dura Scaligeri ilia, qui ab irrisione vindicare hoc etymon sustinuerit! Vid. de Causis L. L. lib. I, cap. 12. Bene tamen actum nobiscum, quod tam caelestem vitam non egit Scaliger. Alioqui nobis Achilles ex isto Pelco non esset natus.

gravissimo vacent, idque graeco argumento; ἠιθέους enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione: nam, quia *Caelo* Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant,

Pleraeque edd. vett. dant *Caius* sine nomine, aliae *Gabinius*, ut Venet. In hac tanta fluctuatione eleganter coniecit Burmannus, reponendum esse *Gavius* vel *Gabius* qualis Grammaticus memoratur Gellio non uno loco, allatis eius libris *de origine vocabulorum et verborum*, qui magnopere faciunt ad nostrum locum. Etiam id egregiam hanc coniecturam persuadet attendenti, quod Gell. III, 19 afferitur ex iis libris maxime contorta et plane huius *de caelibe* similis etymologia vocis *parcus*, qui sit *par arcae*, merito explosa Favorino; cuiusmodi praeterea alia eiusdem Gavii Bassi tanguntur commenta. Accedit suffragium cod. Bern. expressum dantis nomen *Gavius*, in quo mirari subit diversitatem a Guelf., etsi levem. Non paucis iisque docte expositis argumentis firmat hanc emendationem Burm., quae studiosis legenda sunt omnino. Illud tamen ab opere Gavii Bassi etymologico petitum ei reliquit inveniendum, qui esset inspecturus ipsum Gellium. Q. (non C.) Granius Praeco, Lucilii familiaris, cuius in fragmentis eius legitur nomen, memoratur a Cicerone in Bruto cap. 43 et 46, de Orat. II, 60 et 70, Epp. IX, 15. Pro Planc, XIV, homo dicacissimus. Sed eius persona hinc videtur aliena.

*Argumento*; ἠιθ.) Guelf. ins. *innuit*. Goth. (tac. Gesn.) *iuvit*, cum Voss. 1, et edd., (usque ad Gryph. qui primus omisit verbum), quantum video, omnibus. Codd. quidem cum a Gibs. tum a Burm. silentur, negligentia sane; quum ne edd. quidem ullae memorentur. Nam verissimum puto hoc explementum. Nolui tamen paucos sequi codd., quum tot viderentur obstare. Turic. inserit *itidi*, et *iuvit* etiam Iens. (tac. Gesn.).

*Careant*, *ait*) Sic Guelf. cum plerisque codd. et edd. usque ad Gryph. fere omnibus. Ille, itemque recentiores, ex coniectura Regii scribunt *at*, dirimuntque hunc in modum: *careant. At* etc. Regium nullo codice auctore sic legisse, apparet ex ipsius nota. Sequuti tamen eum iam tum

ἠίθέους) Cf. Timaei Sophistae Lexicon in hoc voc. ubi Ruhnkenius, praeter Lexicographos allatos, docet loco Platonico alteroque Dionysii Hal. *caelibes* sic appellari. Plutarchi locum memorat Budaeus in Comment. Gr. L. pag. (ed. Bas.) 874, sed quem, nequaquam designatum, quaerere non vacet. Stephanus in Thesauro dubitare videtur de hac significatione. Vsurpat ita et Demosth. contra Neaer. pag. Reisk. 1352: Φιλόστρατον — ἠίθεον ἔτι ὄντα.

*Modestus*) *Iulius Modestus, C. Iulii Hygini Augusti liberti libertus in studiis atque doctrina vestigia patroni sequutus*, Suet. Illustr. Gr. cap. 20. Saepe eum ad partes vocat in Grammaticis Charisius Sosipater; etiam Gellius eius *quaestionum confusarum* libros memorat III, 9 et Martialis X, 21, 1, inter claros Gramn.aticos nominat.

37 ait. L. Aelius *pituitam*, quia petat vitam. Sed cui non post Varronem sit venia? qui *agrum*, quod in eo *agatur* aliquid; et *graculos*, quia *gregatim volent*, dictos Ciceroni persuadere voluit (ad eum enim scribit); quum alterum ex graeco sit manifestum duci, alterum ex

Locat. Rusc. codd. qui silentur, sunt Ioann. Voss. 1, Alm. Ait Regius, referendum esse ad superius: *ingenioseque visus est sibi dicere.* Cuiusmodi hyperbaton vix poëtae permittatur. Neque *appellatos* sic habet unde pendeat, nisi forte eodem, quo *pituitam*, refers. At inseritur *cedit*, quod vetat huc usque pertingere vim verbi *dicere*. Etiam Badius in nota diserte reiicit mutationem Regii. — *L. Aelius*) Guelf. *Melius*. Ceteri plerique *Laelius* vel *Lelius*, et Badius *audaculi*, inquit, *inter L. et Ae posuerunt punctum.* Eorum tamen non magna, opinor, audacia fuit, quum praesertim non pauci codd. omittant *L.* quo minus dubites, quin *Aelium*, non *Laelium*, voluerint dare antiquissimi librarii. Sed, ut dicam quod sentio, magnopere mihi blanditur Guelferbytani scriptura *Melius*. Omnis alia ratio abruptior et confragosior est, quam pro Quintiliano. Si maxime Gesneri et aliorum scripturam praefers; *At L. Ael.*, praeter eam, quam modo tetigi, obscuritatem, nexus in isto *At* non est magnopere artus. Absque ulla autem coniunctione durior etiam, fateor, commissura. Fortasse post *ait* tamen recte scribas *At* quod facile intercidebat in hisce tam similibus clausulis, *careāt ait at.* Quamquam praepostera h. l. videtur oppositio significata τῷ *At*. Mollis autem videtur transitus, si etiamnum de *Modesto* agatur, dicaturque is *pituitam melius* putare appellatam *quia petat vitam*, quam *caelibes* a Caeli castratione.

*Ad — scribit*) Nolui diutius abesse verba, in recentioribus edd. (a Gryphio inde) omissa, quum vett. edd. omnes praeferant, ut et codd., puto, omnes. Iis, quos parenthesin hanc dare, adhuc monuerunt VV. DD. accedit Guelf., neque quidquam habent ea verba indignum Quintiliani oratione, quamquam, codd. auctoritate minus probata, poterant videri glossema. Vrget Gesnerus in huius parenthescos defensione, quum non omnes de L. L. libri a Varrone Ciceroni fuerint inscripti, necessarium fere videri tale additamentum. Priores quarto, qui primus est inter servatos, Septimio se misisse narrat ipse auctor, tres postremos VII, VIII, IX *de analogia* segregasse videtur a reliquo opere. Qui non memorantur codd. nostrae lectionis vindices, hi sunt Voss. 1, 2, 3,

*L. Aelius*) Cf. not. Crit. ad I, 5, 61, *Caelium*. Sed vide et hic not. Crit.

*Varronem Ager*) L. L. lib. IV, pag. Bip. 9; (sed graecum vocabulum indidem fere repetit) *Graculi, merula* pag. 23. De hisce etymis consule, si vacat, Vossium in etymologico, apud quem multa bonae frugis invenies cogitata.

*Ciceroni*) Ei inscripti sunt, quos integros nobis reliquit vetustas libros, de latina lingua.

*Ad — scribit*) Vid. not. crit.

vocibus avium. Sed huic tanti fuit vertere, ut *merula*, 38
quia sola volat, quasi *mera volans* nominaretur. Quidam non dubitaverunt etymologiae subiicere omnem

Bern. — *Huic — vertere*) Guelf. *hoc*, qua in scriptura mira et paene dolenda est codd. constantia, nam praeter Bern., qui nonnisi negligentia conferentis omitti videtur, unus est Bodl. qui speciem habeat receptam dantis, quoniam cum duobus Britannicis non memoratur a Gibs. Vett. edd. usque ad Gryphium omnes dant *hoc*, pro quo se malle, *huic* significat Badius, nihil tamen se mutare. Obrechtus reduxit veterem scripturam. Equidem istam scripturam quomodo interpreter, plane non habeo. Inest praeterea sua difficultas etiam τῷ *vertere*, pro quo coniecit Gallaeus *veritas*, significatu quem vidimus I, 6, 32, magnopere plaudente Gesnero; et habet sane, quo blandiatur, coniectura. Sensus tamen loci paene totus mutatur hac correctione adoptanda. Duplex enim est significatio formae notissimae *tanti est*. Aut id, quod hisce verbis iungitur tanquam subiectum, pretium est mercis emendae, aut merx ipsa, quae emitur. Quum Cic. Catil. II, 7: *Et mihi*, ait, *tanti huius invidiae tempestatem subire, dummodo* etc., apparet subiectum sententiae *τὸ subire* etc. non esse mercem, quae ematur, sed pretium, quo ematur, quod nimium videri in hac re negatur. Contra Caelius ad Cic. Ep. ad Div. VIII, 14: *Tanti non fuit Arsacen capere, ut caveres* etc., *τὸ capere* etc. mercem intellexit, quae carendo emeretur, eamque tanto pretio significavit indignam. Plurima in utramque sententiam exempla possunt inveniri apud poëtas, qui hac pretii et mercis imagine saepissime solent uti. Non equidem statuerim, utra harum significationum frequentior fuerit Romanis. Id tamen apparet pretii sensum a nostra recentiorum ratione esse alieniorem, quare diffidendum videtur iis correctionibus, quae mercis significationem pro pretii inducunt. Ita sine idonea causa sollicitarunt versum Martialis VIII, 69, 4: *tanti Non est ut placeam tibi, perire*, pro quo malint *ut peream, tibi placere*. Vides mercem factam de pretio. Sensus receptae: Nimium tibi placendi pretium est perire. Iam si, Gallaeo suadente, locum occupat *veritas*, merx sit ista veritas, quum *vertere* esset pretium, quod non nimium putasset Varro, ut *merulam* faceret *meram volantem*. Sensum *vertendi* h. l. conatus sum interpretari, ubi tamen suspicor paene, aut mendam subesse loco, aut propriam et legitimam apud Grammaticos fuisse *vertendi* si-

*Vertere*) H. e. significationem alicuius vocabuli alterius significatione mutare, ut *meri* et *solius*. Nisi forte intelligitur inversio et permutatio literarum. Nam *ordinem omnem invertere et perturbare*, quod fortasse probaverit aliquis, id equidem tam abrupte significari non crediderim; vid. not. crit. Varronianum autem *merulae* etymon recte videtur defendere Vossius in etym.

*Subiicere*) *Subiiciendi* significationem vide in not. crit. ad I, 4, 20, *species*. Omnes igitur appellandarum rerum causas credebant illi species etymologiae, ut nullum vocabulum mero casu usurparetur. Ea erat Stoicorum opinio. — *Etymologiae subil-*

nominis causam: ut ex habitu, quemadmodum dixi, *Longos* et *Rufos;* ex sono, *strepere*, *murmurare;* etiam derivata, ut a *velocitate* dicitur *velox;* et composita pleraque his similia, quae sine dubio aliunde originem ducunt, sed arte non egent, cuius in hoc opere non est
39 usus, nisi in dubiis. Verba a *vetustate* repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam, non sine delectatione; nam et auctoritatem antiquitatis habent, et, quia in-
40 termissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neque crebra sint haec, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione; nec utique ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus, qualia

gnificationem, quam equidem ignoro. Ceterum Gallaei coniectura non magnopere est lenis, inque ea ratione *nominaret* convenientius legi videtur, quam *nominaretur*, nisi obstaret nominativus in nomine, *merula — volans.*

*Composita pleraque*) Guelf. *pluraque*, ut seiungatur a τῷ *composita.* Ita et Goth. et Voss. 1. Ceteri codd. silentur. Edd. cum Guelf. faciunt: Locat. Rusc. In textu Bad. qui in margine ponit *pleraque.* Veneta 1494 haec dat, *composita et pleraque.* In recepta displicet, quod *composita* dicuntur *similia derivatis* (*hisce* an *omnibus* id enim diserte non apparet, quamquam prius unice verum puto), quae similitudo qualis sit, dubites. Puto tamen intelligi aeque facilem et manifestam *compositionem* atque erat *derivatio* in voce *velox.* Expeditior hoc nomine videtur codd. ratio, in qua tamen non apparet, eniusmodi vocabula possint intelligi, quae, neque *derivata* neque *composita*, tamen horum utrique sint similia. Malui igitur relinquere receptam, etsi diffidens ei.

*cere.* Perperam accepi sententiam Quintiliani. Eo enim tendit, ut significetur, quosdam latius definisse *etymologiae* vocem, ut ea vel apertissimas nominum et verborum declinationes comprehenderet, cuiusmodi exempla subiicit, quum verius *huius nominis honos* nonnisi difficilibus in hoc genere quaestionibus debeatur. Vid. I, 7, 1. SPALD. praef. pag. 77.

*Quemadm. dixi*) 1, 4, 25.

*Longos — Rufos*) Accusativos refer ad *subiicere*, neque opus erit mutatione, quam solus Obrechtus tentavit, haec dans, *Longus — Rufus*, nullo auctore.

*Composita pleraque*) Vid. not. crit.

*Magnos assertores*) Horum nobilissimi inter eos, quorum libri superstites, sunt Sallustius et (quem ipse Qu. I, 7, 19, *amantissimum vetustatis* dicit) Virgilius. Conf. nostr. VIII, 3, 24—30.

sunt *topper*, et *antigerio*, et *exanclare*, et *prosapia*, et Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio, et consecratis utendum 41
est; oratio vero, cuius summa virtus est perspicuitas, quam sit vitiosa, si egeat interprete? Ergo, ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova. Similis circa *auctoritatem* ratio. Nam etiamsi 42

*Exanclare*) Ita omnes h. l. codd. et edd. Quod enim Gesnerus narrat Goth. dare *exandlare*, id male aut vidit, aut scripsit. Est *exandare*, facili errore ponendi *d* pro *cl*. Vtrum vero sic ubique sit scribendum, an *exantlare* ubique, an duplex verbum sit agnoscendum et suo loco alterutrum ponendum, quaeritur inter VV. DD. Equidem in tanta fluctuatione codd., ubi *c* an *t* scribendum, magnopere dubitem, diversitatem ullam in hac scriptura agnoscere. Ducit eo fere Festi et Nonii auctoritas, alterius a graeco ἀντλεῖν repetentis, alterius *exhaurire* interpretantis, ut malis semper per *t* scribere. *Anculos* et *anculare*, quae memorat Festus in *Ancillae*, pertinere ad *exanclare*, nullo idoneo argumento efficitur. Conf. et *anclam*, hauriendi instrumentum, de qua agit Salmasius ad Vopiscum (Hist. Aug. Script. tom. II, p. 774). Wolfius Tuscul. I, 49 reposuit *exanclavisset*. Simplex aperte pro haurire, apud Priscianum est ex Andronici Odyssea p. 684 *anclabatur* per *c*; et (quum in codd. semper *exancl.* per *c*) sonum *tl* graecum, sibi ignotum, videntur mutasse suo *cl*. Idem iudicium est Mureti Varr. lectt. XIII, 17. — *Consecratis*) Guelf. *congregatis*, cum plerisque. Sed *consecratis* tuetur Goth., et alii sine dubio.

*Quam sit vitiosa*) Codd. ad unum omnes, ut et edd. dant *sit*, neque est ferenda Francii coniectura, *fit* pro eo optantis, quam etiam recepit

*Topper — antigerio — exanclare*) Vid. Lexica, quae Ciceroni ipsi haec usurpata docent. Cf. et not. crit.

*Saliorum carmina*) Non erant typis distinguenda haec duo vocabula (ut factum a plerisque editoribus), ne forte quis putaret ipsa ea esse ab ultimis temporibus repetita, sicuti modo recensita verba. Fateor tamen me haerere in iis. An verba intelliguntur talia, quae ex Saliorum carminibus ad sacra, ritusque certos denominanda mutuari coguntur oratores? Interpretationem Saliorum carminum scripsit C. (an L. resp. ad I, 5, 61 not. crit. *Caelium*) Aelius, teste Varrone de L. L. VI, pag. Bip. 80. Fragmenta horum carminum collegit et enarravit Gutberlethus in lib. de Saliis (Franeckerae 1704), qui quatuor haec vocabula, modo a Quintiliano posita Saliaribus carminibus assignat. An legebat is: *e — carmine — intellecto* pro hisce: *et — carmina — intellecta?* Nihil tamen monet, et pag. 118, receptam citat loci scripturam.

*Circa auctoritatem*) *Auctoritas* hic segregatur a *vetustate*; exempla vero, quae subiiciuntur, non tam ad ipsa verba spectant, quam ad verborum formas. Neque enim *tuburchinabun-*

potest videri nihil peccare, qui utitur iis verbis, quae summi auctores tradiderunt, multum tamen refert non solum, quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neque enim *tuburchinabundum* et *lurchinabundum* iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor; nec *hos*

Gesn. Mire! — *Lurchinabundum*) Ita Goth. et Guelf. (nisi quod omisso apice hic dat *lurchiab.*) cum plerisque codd. et edd. vett. quidem omnibus. Neque erat quod Regii coniecturam *lurchabundum*, tam cupide arriperent editores recentiores omnes. Est enim apud Apuleium Orat. de Magia S. Apolog. tom. Bip. II, p. 80 *collurcinatio* ex codd. defensum ab Elmenhorstio, in cuius scripturae auxilium venit *Claudiani Mamerti*, seculi quinti scriptoris *de statu animae* locus, expressus, secundum probabilem VV. DD. coniecturam, ex illo Apuleii loco ubi pro *collucernationibus* rectius leges *collurcinationibus*, vid. Gesn. in Thes. -In altero vocabulo *tuburch.* aliqua etiam est fluctuatio codd. Guelf. dat *tuburchiab.* Goth. (tac. Gesn.) *tiburchinab.* Edd. vett. fere dant *tiburch.* non *tuburch.* Hoc tamen, cum Plauto et Nonio, tuentur codd. Guelf. Bern. et Bodl. In Burmanni quidem excerptis plura a conferentibus, ipsoque etiam typographo, turbata suspicor. Illud miror, Gibsonum ad *lurchabundum* (sic enim dat et ipse) nullam memorare suorum codd. varietatem. Multum tamen abest, ut eos cum recepta conspirare putem. Ceterum quod in utraque voce codd. omnes aspirationem praeferunt, quum apud alios scriptores legatur *tuburcinari*, *lurcinari*, et leve est, et facilius intelligitur ex loco Valerii Probi pag. Putsch. 1455: *pulcher*, *Orchus*, *lurcho*, *sic in antiquis*; ubi tamen *antiquitatis* significatio finienda ex nostro I, 5, 20, Cic. Orat. cap. 48, et Charis. pag. Putsch.

*dum*, *lurchinabundum* (de quibus vide lexica) ob ipsorum verborum vetustatem attulit, sed ob insolentiam verbalium in *bundus* ab his verbis formatorum. Ita *lodices*, ob generis mutationem, *gladiola*, ob generis (de quo respice ad I, 5, 16) et fortasse etiam deminutivi infrequentiam (vid. de eo mox not. crit.). *Parricidatum*, tanquam insolens substantivum, *collos* itidem ob genus notavit. Inest tamen ipsi huic auctoritati, vetustatis quoque aliqua significatio, quoniam subiicit, *quae nec ipsi iam dicerent*. Nimirum Calvus, etiam Pollio et Messala poterant Quintiliano videri inter antiquos quodammodo referendi.

*Tuburcinari* et *lurcari* sive *lurcinari* (vid. not. Crit.) nobis quidem hodie videntur maxime obsoleta, quum raro legamus apud scriptores. Eius rei causa tamen est in ipsorum verborum natura, ex plebeio et quotidiano sermone petitorum, quae fere nonnisi apud comicos possint inveniri. Talia autem vocabula, diu intermissa ab eruditis aureae aetatis scriptoribus, solent esse sequioribus istis, Apuleiis et si quis recentior, etiam Ecclesiasticis, cum Luciliis, Enniis, Plautis, Lucretiis communia. Non fuerunt ea desita interim, sed, quotidiano usu trita, in libros non sunt admissa.

*lodices*, quamquam id Pollioni placeat; nec *gladiola*, atqui Messala dixit; nec *parricidatum*, quod in Caelio vix tolerabile videtur; nec *collos* mihi Calvus persuaserit: quae nec ipsi iam dicerent. Superest igitur *consuetudo:* nam fuerit paene ridiculum malle sermonem, quo loquuti sint homines, quam quo loquantur. Et sane quid est aliud *vetus sermo*, quam vetus loquendi consuetudo? Sed huic ipsi necessarium est iudicium, constituendumque in primis, id ipsum quid sit, quod *consuetudinem* vocemus. Quae si ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabit praeceptum, non orationi modo, sed (quod maius est) vitae. Vnde enim tantum boni, ut pluribus quae recta sunt placeant? Igitur ut *velli*, et *comam in gradus frangere*, 43 44

56. — *Placeat*) Guelf. *placet*. Non male; vide tamen ad Prooem. tot. op. 18, not. exeg. — *Gladiola*) Non est contemnenda scriptura, quam Regius in Commentario, tanquam a se inventam, interpretatur, *gladiolam* ut ad solum genus spectet. In nullo quidem codice legitur, sed dant eam edd. Venet. Viart. Ald. Badius, se *gladiola* non *gladiolam* legere, narrat. — *Caelio*) Guelf. *C. Elio*. Hic quidem de *Aelio Stilone* non cogitandum, ad quem Historiam suam scripsisse dicitur Caelius Antipater; vid. not. crit. ad I, 5, 61.

*Loquuti sint*) Ita Voss. 2, et vett. edd. ante Gryph. Rec. *sunt*.

*Caelio*) Hunc equidem historicum acceperim (vid. ad I, 5, 61). Nam rudius, quo scripserit, aevum significari videtur iis verbis, *in Caelio vix*, quae sic interpretor: ne in Caelio quidem, etsi rudiori seculo scribentem. *Sed hic omnino rudis*, de eo loquens ait Cicero Orat. cap. 69; cf. de legg. I, 2.

*Calvus*) C. Licinius Calvus, Ciceronis aequalis, orator. Memoratus et laudatus Ciceroni Brut. 82, ubi confer Wetzelium ad Div. XV, 21. Saepe Calvi meminit noster.

*Superest — consuetudo*) Hic postremus est sermonis fons. Recensiti sunt ante hunc quatuor: Analogia, Etymologia, Vetustas, Auctoritas. Et talem divisionem ipse indixerat, capitis initio §. 1—3.

*Vnde — boni ut*) Eadem structura in Declamm. Qu. pag. 132: *Vnde tantum boni ut*. Οἱ χαχοὶ πλείονες, Biantis sententia.

*Velli — comam — frangere — perpotare*) Pilis evellendis laevigabant cutem delicatuli, qualem Iuvenalis appellat *resinatam iuventutem* Sat. VIII, 114. Comam in *annulos* (cincinnos) eorum *gradus* (cf. nostr. XII, 10, 47) formabant. Pro *gradibus* dixit *ordines* Iuvenalis VI, 502. Neronis in hoc genere deliciae memorantur a Suetonio c. 51. Neque alienum

et *in balneis perpotare*, quamlibet haec invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione; at *lavamur*, et *tondemur*, et *convivimus* ex consuetudine: sic in loquendo, non si quid vitiose multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam, ut transeam, quemadmodum vulgo imperiti loquuntur; tota saepe theatra, et omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus. Ergo consuetudinem ser-

*Lavamur — tondemur*) Ita Guelf. Goth. Bodl. Bal. quod attinet ad posterius Voss. 2. Edd. quidem usque ad Gryph. omnes; et revocavit passivum in utroque Obr. Recentiores activum dant utrobique. *Lavo* sic dici intransitivo vel passivo significatu notum, de *tondendo* controversia est. Pseudo-Turnebus quos vetustos codd. viderit, in quibus essent activa, ignoro. Si codd. addicerent, equidem Burmanno tuenti ea facile obtemperarem, praesertim de *lavando*. Nunc dum codd. scripturam restituo, vitio eam certe carere, confido. Cf. Varr. de L. L. VIII, pag. Bip. 155: *in toto corpore potius — lavamur, in partibus lavamus, quod dicimus lavo manus*. Quem quidem veram locutionis rationem non perspexisse apparet. Codd. non memorati, in quibus tamen omnibus receptam a recentioribus inveniri, vix puto, hi sunt: Alm. Ioann. Voss. 1, 3. Bern. in priore voce Voss. 2. Fortasse tamen non tam male Varro perspexit rationem locutionis; nam sane quum totus aqua submergor, nullum corporis mei membrum lavat, verum omnia lavantur.

hinc verbum *frangendi*, quod sollicitatum fuit, ut scriberetur *fingere*, quum omnis mollities *frangere* soleat dici a veteribus, et hic crines vere quodammodo *frangantur*. Quo minus cogites de mutando τῷ *frangere* attende locum Senecae patris Controv. lib. 1, prooem. ubi itidem de luxuria conquerens ait *capillum frangere*, pag. Bip. 61 extr. Balneorum luxuria decantata veteribus, quae hic cum libendi intemperantia coniuncta ostenditur; quod in Commodo memorat Lampridius cap. 11.

*Quemadmodum — loquuntur*) Haereo quodammodo in hoc indicativo, pro quo malim coniunctivum, nisi forte sic est accipienda locutio: *transeam eum modum, quo* sive *ad quem — loquuntur*. Consentiunt codd. et edd.

*Tota — exclamasse barbare*) Ne plures quidem, ubi errent, consuetudinem facere, hoc exemplo ostendit Qu., cuius locum male interpretatur Pavius (Recherch. sur les Grecs pag. 190), quasi plebem romanam semper βαρβαρίζουσαν voluerit notare. Neque enim de plebe sola agitur, quum *imperiti* iam memorati sint, neque de re frequenti, sed eiusmodi, qualis non semel acciderit. Recte hoc monet eruditus libri κριτὴς A. L. Z. Dec. 1795, pag. 475. Quam contra elegantes theatra aures habuerint in numeris iudicandis, exemplo est locus Cic. de Orat. III, cap. 50.

monis, vocabo consensum eruditorum; sicut vivendi, consensum bonorum.

VII. Nunc, quoniam diximus, quae sit loquendi regula, dicendum, quae scribentibus custodienda, quod Graeci ὀρθογραφίαν vocant, nos *recte scribendi scientiam* nominemus. Cuius ars non in hoc posita est, ut noverimus, quibus quaeque syllaba literis constet (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubiis habet: ut longis [2] syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium, quum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta, vel producta est, facit: ut *malus*, utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur; *palus* aliud [3] priore syllaba longa, aliud sequenti significat; et quum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerumque hac nota monendi sumus. Similiter putaverunt illa quoque servanda discrimina, ut *ex* praepositionem si verbum sequeretur [4] *specto*, adiecta secundae syllabae *s* litera, si *pecto*, re-

*Sed interim*) Goth. (tac. Gesn.) cum fido suo Achate Voss. 2, *sic interim*. Hac scriptura tota argumentationis ratio immutatur. In recepta hoc de *apice* similitudinis causa solum affertur, ut officium ὀρθογραφίας in dubiis tantum esse doceatur. Si *sic* legis, iam ipsa argumenti tractatio orditur, et est ante *Vt* (quo deinceps refertur *sic*) maxima distinctione interpungendum. Id quidem apparet, Quintilianum in sequentibus iam ipsam docentis personam tueri, neque de solo exemplo cogitare, ut, si recte habet recepta, oblitus videatur primi consilii afferendae huius similitudinis. — *Malus, utrum arborem*) Guelf. *utrum* omittit cum Voss. 3. Non prorsus male. Edd. quidem solum video Gryphium (1544) qui *utrum* non praeferat.

*Totam — in dubiis habet*) Ita modo etymologicae *artis usum* esse negabat nisi *in dubiis*. I, 6, 38.

*Apponere apicem*) Vid. not. crit. ad I, 5, 23, *ut apice circumducta*.

*Ex — sequeretur*) Cave accusativum *praepositionem* referas ad *scriberemus* in fine sententiae, pendet ab *sequeretur*.

*Pecto*) Vid. not. crit. Ceterum prae-

5 mota scriberemus. Illa quoque servata est a multis differentia, ut *ad*, quum esset praepositio *d* literam; quum autem coniunctio *t* acciperet; item *quum*, si *tempus* significaret, per *q. u. o. m.*; si *comitem*, per *c* ac

*Litera, si*) Sic Turic. Guelf. Goth. (tac. Gesn.) qui editionum emblema *exspecto sed* omittunt, rectissime, quoniam diserte repetere verbum, quod facile intelligebatur, non erat necesse; conf. not. crit. ad I, 6, 21, *avere est enim*. Etiam Voss. 3, omittit *exspecto*. — *Pecto*) Guelf. *expecto*, male. Voss. 3, haec dat *sed peto* pro *si pecto*. *Peto* quidem pro *pecto* blanditur; quoniam inauditum est verbum *expecto* ab *expectendo*, quod etiam Burm. observat. Sed videtur similitudo plenior requiri quam quae est in *specto* et *peto*. Putschianorum Grammaticorum ratio quidem non usquequaque manifesta est, ut Velii Longi pag. 2226, ubi *expectare illum volo* et *spectare mihi placet* ita vicissim opponuntur, ut videatur Grammaticus illud ex hoc compositum non credidisse. Similiter disiungit haec Caper pag. 2242, item Agroetius p. 2267. Recte compositionem agnovit Scaurus p. 2258. Beda pag. 2334, idem habet exemplum, quod Quint., ubi *pecto* explicat per *pectino*. — *Remota*) Sic Turic. Guelf. Voss. 3, rectissime. Edd. fere appingunt *S*.

*Item quum*) Turic. et Guelf. *itemque cum*. Ita plerique codd. et edd. ante Gryph. omnes, neque erat operae pretium mutare.

*Per q. u. o. m.* — *sequentes scriberetur*) Ita plane Guelf. Goth. (tac. Gesn.) pariter cum eo omittit *si vero causam per q* et mox *u u.*, quorum utrumque dant omnes edd. a Gryphio inde. Vett. quidem mearum nulla, sed omnes (ut Iens., tac. Gesn.) sic: *per q. si comitem per c. Si vero quum per q. ac duas sequentes u. u. scriberetur*. Apparet, ex hac tam praepostera scriptura nihil immutatum nisi *causam* pro *quum*, et id quidem sine ullo auctore. Quod commentum cui debeatur, nondum invenio. Regius enim non diserte proponit, etsi eo tendit fere eius

ceptum hoc orthographicum Quintiliano placuisse, equidem non puto. Improbationem videor colligere ex istis: *putaverunt* (non ipse igitur putavit) *Frigidiora his* (ergo etiam hanc frigida). Quis tandem pronuntiabit *ecsspecto?* Reiiciunt etiam hanc geminationem literae *s* Priscianus pag. 558 et 995, et Velius Longus pag. 2226. Hic quidem in ipso *expectandi* exemplo.

*Per c* — *sequentes scriberetur*) *Duae sequentes* sunt *u* et *m*, quas, modo in integra voce *cum* positas, repetere noluit, taedium cavens, quum attenti satis manifestus esset sensus. Etiam hanc scribendi differentiam vereor ut probet Qu. Mecum facit Dausquius in voce *Cum* vol. II, p. 100. Marius quidem Victorinus pag. Putsch. 2460, eam commendat, diserte addens ne a veteribus quidem ullam pronuntiationis diversitatem fuisse observatam, sed utramque scripturam legi solitam esse, *cum*. Scaurus pag. 2261 refert quorundam de hisce distinguendis opinionem, neque tamen videtur probare. Priscianus scripturam *quu* pro *cu* solis antiquis assignat pag. 560. Eam quoque differentiam,

duas sequentes, scriberetur. Frigidiora his alia, ut *quĭc-* 6
*quid*, *c* quartam haberet, ne interrogare bis videremur: et *quotidie*, non *cotidie*, ut sit, quot diebus. Verum haec iam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt. Quaeri 7
solet, in scribendo praepositiones, sonum, quem iunctae efficiunt, an, quem separatae, observare conve-

**nota. Iam triplicem istam significationis τοῦ *cum* distinctionem, sola nobis peperit Criticorum sedulitas. Facile intelligitur, errore librarii, ad priora aberrantis oculo, natum illud, quod habent vett. edd., omittunt** autem sat multi codd. (praeter nostros Alm. Voss. 1, 3, et ed. Andr.), *si vero quum per q.*, cuius praecipitata correctione factum est, ut tam diu vulnus curari nequiret. Etiam literae istae *u q*, plane sunt eiiciendae, quas, praeter nostros codd. omittit Voss. 3, et plures profecto, modo recte essent excussi. Scriptura libri veteris (Florentini) videri potest apud Regium, si modo accurate excerpsit. Omittit tamen et ipsa: *Si vero causam per q.* Turic. sic: *per c uō si comitem per q ac duas u sequentes scriberetur.* Aliquid simile nostrae rationis, sed obscurius habet Scoppa in Gruteri Face vol. I, pag. 951.

*Cotidie*) Guelf. *cottidie.* — *Iam etiam inter*) Ita Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) cum Alm. et Voss. 2, et edd. vett. ante Gryph. Recentiores omittunt *etiam*. Codd. non memorati h. l. solent alias cum iis facere, quos *etiam* dare vidimus. Quod autem Burmannus putat, loco motum fuisse *etiam* et ponendum esse post *Quaeri*, id mihi quidem non persuadet, qui putem a voce *Quaeri* iustam demum propositi tractationem incipere, quum adhuc prooemium fere legerimus.

quam hodie religiose tuemur, inter *ad* et *at*, contemnere Quintilianum putem. Item *quotidie* mox, ut putidum, reiicit. In hoc ipso tamen vocabulo discrimen aliquod comminiscitur Beda p. 2344. Cassiodorus commendat *quotidie* pag. 2284. Sed sunt isti ὀψίγονοι et ὀψιμαθεῖς, et, qui hodie in primis eruditi sibi videntur in talibus scripturis, etyma venantibus, a pronuntiatione alienis, ab ipsa veterum auctoritate destituuntur. Vereor autem ne molesta haec sedulitas saepe veterem pronuntiationem, rem scitu digniorem, quam etymologicas istas quisquilias, nobis obscuraverit, quod v. c. in *coqui* vocabulo certissime est factum, cf. Priscianus l. c. qui *coquum* eodem modo ab antiquis scriptum narrat, quo *arquum*, *oquidum*, ut igitur et ille pronuntiaretur *cocus*, quod hodie non custodimus; vid. VI, 3, 47.

*Verum — evanuerunt*) Non usquequaque assequor mentem scriptoris. An hoc voluit: *Sed haec ne ab iis quidem, qui tales ineptias amant ceteroquin, amplius defenduntur*, ut, ne inter ineptias quidem, haecce nimis putida, locum suum obtinuisse dicerentur. Ne in recepta quidem plerumque scriptura, ubi deest *etiam*, alium ego sensum invenio; sed obscurius etiam significatum. Nam *inter ipsas ineptias* interpretari: *propterea*

niat; ut quum dico, *obtinuit* (secundam enim *b* literam
8 ratio poscit, aures magis audiunt *p*): et *immunis* (illud enim, quod veritas exigit, sequentis syllabae sono
9 victum, *m* gemina commutatur). Est etiam in dividendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabae adiungas. *Aruspex* enim, quia pars eius posterior a *spectando* est, *s* literam tertiae dabit; *abstemius*, quia ex abstinentia temeti com-

*Et immunis* [*illud enim*) Sic et interpungendo et scribendo videor loco succurrisse. Vulgo, ut et Gesn.: haec: *Et inmunis, illud n* etc.; *et imm.* pendet ab *quum dico*, rationes parenthesibus includuntur subiectis. Sic supplemento Capperonnerii *in* ante *imm.* non indigemus. Quod autem *enim* posui pro *n*, quod est in omnibus edd. praeter unam, quam quidem vidi Venet. 1494, concinnitate iubente fecisse videor. Abrupta erat oratio et confragosa in recepta, ubi *n* accipitur ipsa litera. Accedit, quod Quintiliano literas neutro genere usurpari non memini, quamquam Cic. de Orat. II, 59 dixit *tria L, duo M*; quod memorat Cledonius pag. Putsch. 1881, ubi et neutrum et femininum genus frequentari docet. Denique *gemina m*, non litera *n commutatur*, sed *illud, quod veritas* (h. e. etymon) *exigit* i. e. *n* et *m*. Notum *n* duobus punctis inclusum, in codd. esse pro *enim*, quae ipsa puncta desunt interdum, sicuti modo in Goth. in istis, *secundam enim*. Et fere cum punctis in vett. edd. legitur .*n*. (h. l.) ut vel eae meam rationem defendere possint videri. Sed assunt Voss. 1, et Venet. dantes expresse *enim*. Ceterum *immunis* cum vett. edd. omnibus malui scribere, quam *inmunis*, quod cum Obr. dederunt Burm. eoque recentiores. Codd. multi cum vett. edd. videntur facere, etsi duo mei, si recte contuli, tuentur *inm.* ut et Voss. 1, ubi est *in munus*. Quum modo legerimus *obtinuit*, non *optinuit*, etiam hic videtur sequutus communem scripturam Quint. Sunt exempla sibi invicem contraria, obtinente, in priori, ratione contra pronuntiationem, in posteriori, contra rationem pronuntiatione. — *Mediam literam cons.*) Ita Guelf. et omnes codd. et edd. ante Burm. in qua, profecto mero typographi errore, omissa sunt haec, *mediam literam*. Hoc sphalma propagarunt Capp. Gesn. Bip. — *Dabit*) Hanc scripturam, solam veram, tuetur Guelf., quum Goth. Voss. 2, et edd. vett. ante Gryphium, fere omnes dent pravam *dabimus*.

*quod tam inepta sunt*, non puto licere; vid. not. crit.

*Obtinuit*) Saepissime in codd. legimus *optinere*, quod apparet ex hoc loco, non esse a mero librariorum errore; et valde est difficile sequente T retinere mollem τ̃ς B sonum, in *obtinere* facillimum.

*Illud — commutatur*) Vid. not. crit.

posita vox est, primae relinquet. Nam *K* quidem in 10
nullis verbis utendum puto, nisi quae significat, etiam
ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam,
quoties *A* sequatur, necessariam credunt: quum sit *C*
litera, quae ad omnes vocales vim suam perferat. Ve- 11
rum orthographia quoque consuetudini servit, ideoque
saepe mutata est. Nam illa vetustissima transeo tem-
pora, quibus et pauciores literae, nec similes his nostris
earum formae fuerunt, et vis quoque diversa; sicut
apud Graecos *O* literae, quae interim longa ac brevis,

*Relinquet*) Hic primum aliquid sine codice sum ausus. Omnes et codd. et edd. praeter unum Capper. dant *relinquetur* foedissima conciunitatis ruina. Boxhornii, citante Burmanno, certa plane est coniectura, reponentis, quod recepi. Apparet quam sit lenis mutatio, ei praesertim, qui codd. tractaverit. Quod modo erat *dabit*, flagitat etiam hic activum reponi. *Aruspex*, *abstemius*, ipsa vocabula, personae fiunt, quod frequens est nostro conf. not. exeg. ad I, 6, 22, *quum ebur — transferunt*. — *Significat*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) et Tarv. *significant*, et hoc inveniebat Regius, qui receptam primus commendavit, quam Guelf. defendit, et omnes fortasse codd. Editionum sola Veneta dat *significant*. Est autem, quare pluralem praeferas fere, quum, nisi *quae* referatur ad *verba*, vix appareat, cur dixerit Quint. *in nullis verbis* pro *nusquam*, vel *nunquam*; et videntur etiam *verba* significare, quae certas res, hoc solo nomine appellatas, designent. Fateor tamen expeditiorem esse receptam, modo ratio reddi posset τῶν *in nullis verbis*. Nam quod *significatur* legi posse ait Regius, id sonum habet insuavem, sequente mox *ponatur*. — *Eo non omisi*) Guelf. *et non omiserim*, quod est etiam in margine Basil. *Et* pro *eo* nauci non est, sed *omiserim* praeferat aliquis, quia minus hic docet Quint. quam doctum admonet (I, 4, 17), ut videatur hoc de litera *K* esse consilium datum magistris, orthographiam enarrantibus.

*Nam K — ponatur*) Vid. not. exeg. ad I, 4, 9, *quae et ipsa — nota est*. Sibi constat Qu., dum carptim tractat orthographiam, qui, paulo ante, totam persequi *infra grammatici officium* esse dixerit (§. 1) et ne grammatici quidem omne officium a se exspectari iubeat (I, 4, 17; I, 5, 7). *Nam* dixit, ne cui videretur, sicut in dirimenda litera *s* vocabulorum *aruspex* et *abstemius*, duplicem rationem sequebatur, in aliis verbis probare K, in aliis reiicere, quum omnem eius usum proscriberet.

*Quum sit C lit.*) *Sit* est pro *assit*, *praesto sit*.

*Quae interim — posita est*) Antiqui Gracci ὦ literam ignorabant, ut longae et brevis vice fungeretur una ὀ, appellabant autem ὀ μικρόν, οὖ, ut videre est in versibus, Homericis libris, argumenti loco, praemissis. Ausonius

ut apud nos, interim pro syllaba, quam nomine suo
12 exprimit, posita est, ut Latinis veteribus *D* plurimis in verbis ultimam adiectam: quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quae est C. Duellio in foro posita. Interim *G* quoque, ut in pulvinari Solis, qui colitur iuxta aedem Quirini *vesperug;* quod *vesperuginem* ac-

*C. Duellio*) Guelf. *dullio* (omisso *C.*) cum multis codd. Goth. (tac. Gesn.) *in diulio*, ut Vallensem cod. dare narrat Badius sed sine *in*; vid. de scribendi nominis huius ratione not. crit. ad I, 4, 15, *Duellios — Bellios*. Vett. edd., praeter Andr., quantum video, omnes, *Iulio*. Praenomen *C.* fortasse non est a Quintiliano. In nullo certe codice video. *Vesperug*) Guelf. *vesprug* cum aliquot codd. — *Vesperuginem*) Guelf.

in edyllio *de literis monosyllabis graecis ac latinis*: *Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens* οὐ, Ω *quod et* O *graecum compensat Romula vox* O. Idemque Epist. XXV, 36: *Vna fuit tantum qua respondere Lacones litera, et irato regi placuere negantes.* Marius Victorinus pag. Putsch. 2458, 2468 eadem fere. Cf. not. ex. ad I, 4, 16, Οὐδυσσεΐα.

*Quod manifestum — col. rostr.*) Etiam nostris oculis hoc agnoscimus, quum basis antiquissimi monumenti servata sit ad haec usque tempora, quam singulari libello exhibet et enarrat Petrus Ciacconius, ex quo dedit Graevius in Floro suo pag. 156. Est etiam apud Gruterum pag. 404. Legimus ibi in scriptura nondum obliterata *pucnandod* pro *pugnando*, *marid* pro *mari*, *dictatored* pro *dictatore*, *in altod* pro *in alto*, *navaled praedad* pro *navali praeda*. Plura etiam scriptorum exempla affert Vossius in Arte Gramm. lib. II, cap. 14, p. 207.

*In pulvinari Solis — ad aedem Quir.*) Plinius Hist. nat. VII, 60, ex Fabio Vestale prodit L. Papirium Cursorem statuisse solarium horologium ad aedem Quirini, cui additum fortasse aedificium esse cum pulvinari, coniicit Nardinus de veteri Roma l. IV, cap. 6. Etiam vetustissimum solis templum a Tatio, Sabino, conditum, in hisce locis exstructum, e Dionysio Halicarnassensi probabiliter docet Burmannus. Is, enim, quum dixisset (pag. Sylb. 113): Τάτιος τὸ Καπιτώλιον καὶ τὸν Κυρίνιον ὄχθον κατέσχεν, haec subiicit pag. 114, Τάτιος ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ — ἱερά τε ἵδρυσε καὶ βωμοὺς καθιέρωσε. Ea igitur causa fuit fortasse, quare in hoc potissimum loco horologium solarium statueretur a Papirio. *Pulvinar* autem quo sensu dixerit Qu., non utique apparet. Acu quidem, quae est altera Gesneri in Thesauro sententia, pictas esse has literas in ipso pulvinari, alienum videtur, sed fuerunt etiam ex solida materia facta pulvinaria, in speciem verorum, quibus igitur possent insculpi literae. Optimum tamen videtur, *pulvinar* dictum accipere pro templo, ubi *pulvinaria* sternantur. Apud Livium XXI, 62, 4, *pulvinarium* dictum credas pro loco pulvinaris sternendi. Cf. et Tac. Ann. XV, 74, 1.

*Vesperug. — accipimus*) Equidem in monumentis huius additamenti exemplum nullum inveni, et ipse

cipimus. De mutatione etiam literarum, de qua supra dixi, nihil repetere hic necesse: fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur. Semivocales non geminare, diu fuit usitatissimi moris: atque e contrario usque ad Accium et ultra, porrectas syllabas geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt. Diutius duravit, ut, *e*, *i*, iungendis, eadem ratione qua Graeci ει, uterentur: ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius praecipit: 13 14 15

*vespere ruginem.* Etiam Turic. *vesperueruginem*, ut videatur cum hoc facere cod. Argent. Voss. 2, mire *vespere originem*, non comitante Goth. qui receptam praefert Obr. (vix credo ex cod. suo Arg.) *vesperi aeruginem*, male.

*Etiam ita loqu.*) Guelf. omittit *ita*, cum quibusdam. Goth. (tac. Gesn.) *sic etiam loqu.* cum Voss. 2. Obr. omittentem *ita* scripturam adoptavit. Mihi Goth. ratio maxime placet. — *Non geminare diu*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *geminare diu non*, cum codd. Bodl. Bal. Ioann. Voss. 1, et edd. vett. omnibus, ne Gryphio quidem (1544) aliter dante. Stoerius (1591) iam habet ordinem receptum, quo primo auctore et an ex codd., equidem ignoro, quum tot editionibus interim emissis caream. Codd. praeter eos, quos recensui, silentur. Puto nihilo minus cum ceteris facere etiam illos. Sensus quidem paulo est diversus, quamquam recepta faciliorem habet.

*E, i, iungendis*) Guelf. *e i uterentur iungendis*, cum Voss. 1, 3: male, et repetitur mox *uterentur*, post ει.

Et) Guelf. *ei* latt. litt. ut et Goth. (tac. Gesn.) Sic etiam edd. Locat. Venet. Viart. Equidem libentissime caream isto et, quod facile intelligitur, expressum autem scabram reddit orationem; vid. not. crit. ad I, 7, 4, *litera si.* Nullus tamen codex videtur omittere. — *discreta est*) Ita Guelf. cum Goth. Voss. 2, et edd. vett. omnibus. Meorum quidem primus Stoerius dat *sunt*, quod deinceps recentiores omnes. Fit autem difficillima et salebrosa plane oratio, si neutrum genus intelligitur in

Quarius illud altero fuisse, videtur significare. Probabile autem est, veteres pro *vespere* dixisse *vesperu*, ut *noctu*, ablativo casu, quod ex Ennio docet Voss. de Anal. lib. II, cap. 12, pag. 735. Eo igitur *g* adiecerunt, quod male (improbat enim Quintilianus) interpretabantur Quintiliani aequales *vesperuginem*, quasi mutilatum vocabulum, quum esset auctum.

*Supra dixi*) I, 4, 12 — 17.

*Semivocales non geminare*) Festus in *porigam* et *solitauriliu* idem narrat, et in altero loco addit, Ennium Graecum a Graecis mutuatum consuetudinem geminandarum semivocalium. Cf. etiam Marium Victorinum pag. Putsch. 2456.

*Vt dixi*) I, 4, 10.

*Casibus numerisque*) Vult Lucilius

Iam pueri venere: E postremum facito, atque I,
Vt puerei plures fiant.

ac deinceps idem,

Mendaci furique addes E, quum dare furei
Iusseris.

16 Quod quidem cum supervacuum est, quia *i* tam longae quam brevis naturam habet; tum incommodum aliquando. Nam in iis, quae proximam ab ultima literam *E* habebunt, et *I* longa terminabuntur, illam rationem sequentes, utemur *E* gemina, qualia sunt haec,

*discreta*; est femininum et refertur ad *eadem ratione*. — *Iam pueri* — *Iusseris*) Hos versus plane, quales profecti fuerint a Lucilio, posse constitui, equidem despero. Neque attinet, omnem codd. exponere varietatem. Id tenendum puto, vett. aliquot edd. ut et codd. scripturam (priore loco dantem *puere*) eo deducere, ut *puerei* scribamus ibi, quod habet Goth., videtur esse in Bodleiano. Guelf. quidem *pueri* habet utrobique. De altero autem *puerei* an *pueri* magnopere dubito, et malim abesse, ut supervacaneum. Novi equidem apud Dousam pag. 44 versum explere, ex Scaligeri constitutione, sed ea magnam partem meris nititur coniecturis, et revera abest a Velio Longo pag. 2220, etsi cum versus ruina. Dativos omnes per *ei* scribit Dousa, codd. in nostro loco nusquam habent *ei*, sed *furi* in fine quoque dant Guelf. Goth. (tac. Gesn.) ceterique.

huiusmodi scriptura numeros distingui in *pueri* et *puerei*, et hoc est numerorum discrimen; vult et casus, ut dativo tertiae declinationis, quamquam singulari, *ei* assignetur: quo fit casuum discrimen. Neque obstat, quod ex eodem affert Velius Longus pag. 2220, 21, *illi*, dandi casu singularis, solo *i* scribendum, pluralis nominativo, addito *e*. In tertia enim declinatione dativi singularis et nominativi pluralis nulla confusio, qualis in *illi*. Ceterum *furem* in Lucilianis versibus libenter accipiam *serrum*, antiquo more. Lucilianum praeceptum etiam Nigidii Figuli erat Gell. XIII, 25.

*Quia — naturam habet*) Argumentum quidem parum videtur validum, quum de brevi et longa distinguenda non agatur; utroque enim modo *I* in fine producitur, neque hoc voluit Lucilius. An animo aberravit Quintilianus ad eos Lucilii versus, quos affert Scaurus pag. 2255, ubi *pila*, *qua ludimus*, brevi penultima, distinguitur a *peilis*, longa eadem? Sed ne ibi quidem syllabae quantitas facit scribendi differentiam, sed numerus rerum, quum *pilum* et *peila* scribere inbeamur, pari utrobique quantitate, sed diverso numero. Idem tamen praeceptum paulo aliter memorant Velius pag. 2221, et Marius Victorinus pag. 2464, quorum posterior neque numerum neque quantita-

*aurei*, *argentei*, et similia: idque iis praecipue, qui ad 17
lectionem instituentur, etiam impedimento erit, sicut in Graecis accidit adiectione ι literae, quam non solum dativis casibus in parte ultima ascribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in ΑΗΙΣΤΗΙ, quia etymologia ex divisione in tris syllabas facta desideret eam literam. At syllabam, cuius secundam nunc *E* literam 18
ponimus, varie per *A* et *I* efferebant, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, quum in dativum vel genitivum casum incidissent, unde *pictai ve-*

*Aurei*, *argentei*) Ita Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) et multi codd. et edd. pro recepto *aureei*, *argenteei*. Consentaneum est, scriptorem afferre exemplorum vulgo notam formam, et praeposteram illam scribendi rationem, a se improbatam, relinquere legenti facile comminiscendam; conf. not. crit. ad I, 7, 8, *immunis*: et mox ad §. 29, *columnam*. — *Et similia*) Turic. inserit *his*, non male. Vid. II, 10, 14; II, 17, 4. — *In tris syllabas*) Sic Guelf. ut coniecit Gesn. Nam quod refert Goth. et Iens. dare *trisyllabas*, in Goth. est *trisyllabis*, et Iensoniane scripturae addidit alterum *s* post *tris*. Pleraeque edd. ut et codd. multi *trisyllabis* daut, perpuram sane. Alm. fortasse facit cum Guelf. Turic. *in tri syllabas*. Fateor tamen in scriptura, qualis nunc est, displicere mihi *ex*, quod malim abesse; *facta* enim participium ad *etymologia* nominativum, non equidem retulerim; quod si iungitur cum *divisione* ablativo, supervacuum sit *ex* et inutile.

At) Guelf. *ac*, cum Goth. Edd. quidem vett. omnes *Ai*, latt. litt. usque ad Stoerium, qui meorum primus habet receptam. Eam veram puto, quia agens de syllaba Graecorum, a Romanis varie expressa, latinis eam literis non videtur designaturus fuisse. Venet. dat *Ae*. Edd. vett. omnes (exc. Iens. quae lacunam relinquit, quo significat librarius in suo codice fuisse graecas literas, et Turv. quae praefert *Ae*, quod est idem in Turic.)

tem sequitur in dirimenda scriptura, sed significationem ipsam, ut *pilum militare* per *e*, *i*, scribatur, *pilum pistorium*, per *i*. Durum est, errorem ipsius Quintiliani argumentantis agnoscere, sed ego, quo modo defendam eum, non habeo, fortasse ex ignorantia. Cf. I, 5, 62 ubi, manifestus, puto, error.

*Ascribunt*) Veteres maiusculis semper literis utentes, non subscribebant ἰῶτα, sed ascribebant.

*Ex divisione — facta*) Conf. not. Crit.

*In dativum*) Equidem exemplum dativi ita formati in poëtis me legere non memini, nam Lucret. V, 711, *pilai Consimilem* dubium est saltem; quum genitivi, praesertim apud Lucretium, sint innumera. In lapidibus

*stis*, et *aulai*, Virgilius, amantissimus vetustatis, car-
19 minibus inseruit. In iisdem plurali numero *E* utebantur, *hi Syllae*, *Galbae*. Est in hac quoque parte Lucilii praeceptum, quod, quia pluribus explicatur versibus, si
20 quis parum credat, apud ipsum in nono requirat. Quid? quod Ciceronis temporibus, paulumque infra, fere quoties *S* litera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur? ut *caussae*, *cassus*, *divissiones:* quo modo et ipsum et Virgilium quoque scrip-
21 sisse, manus eorum docent. Atqui paulum superiores

*Et aulai*) Guelf. et Turic. *et aquai*. Bern. (plenius, si recte est excerptus) *et aulai et aquai*. De Virgilii versu Aen. VII, 464, ubi fluctuatur inter *aquai* et *aquae vis* vid. Interpp. poëtae. Goth. receptam dat, et probabile est eandem tueri Voss. 2, et tres Britannicos codd. Praeterea Grammatici Putschiani, Priscianus, bis, Velius Long. et Marius Victor. hisce duobus, quae sunt in recepta, exemplis utuntur Virgilii solis; sed Probus (pag. Putsch. 1438) *aquai* itemque *aurai* (Aen. VI, 747) addit.

*Hi Syllae*) Guelf. *iis Syllae*. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *his Syllae*, neque fortasse in ullo codice recepta, quam verissima coniectura reposuit Regius.

non est rarus dativi talis usus; vid. Gruter. pag. 725, n. 10, *calidai Secundai matri*; pag. 742, n. 2, *Cassiai maximai matri*. Neque puto extra versum usurpatam esse in hac syllaba diaeresin, qualem apud poëtas quidem semper observamus. Erythraeus in indice Virgiliano (voce *pictai*) dissolutionem hanc etiam in lapidibus agnoscit; quo argumento equidem ignoro. Ea autem exempla, ubi cum poëtae tum oratores syllaba *ai* pro *ae*, non dissoluta, sunt usi, oblitterata sunt, opinor, a librariis recentiori rationi assuetis, neque metri necessitate admonitis. Antiqua scriptura etiam in nominibus obtinuit, *Caisar*, *Ailius*, pro: *Caesar*, *Aelius*. Nigidius quidem Figulus apud Gell. dativum in hoc genere dirimit a genitivo, illum per *ae*, hunc per *ai* scribi iubens XIII 25. Priscianus soli genitivo videtur assignare *ai*, p. Putsch. 728; cf. de eadem re Velium Long. pag. 2222, et Marium Victorin. pag. 2460, 1, qui nullum dativi et genitivi discrimen agnoscunt.

*Pictai — aulai*) Aen. IX, 26; III, 354. Cf. not. crit. ad I, 5, 17, *Europai*.

*In nono*) Conf. not. exeg. ad I, 5, 50, *Eo — intus — soloec*. Ipsum autem praeceptum intercidit. Videtur eiusmodi fere fuisse, quale legimus Nigidii Figuli apud Gellium XIII, 25, qui sua fortasse hausit e Lucilii opere.

*Manus eorum*) Cic. ad Att. VIII, 13. *Lippitudinis meae signum tibi sit librarii manus*. Pollux II, 152: Υπο-

etiam illud, quod nos gemina *S* dicimus, *iussi*, una dixerunt. Etiam *optimus*, *maximus*, ut mediam *I* literam, quae veteribus *U* fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum. *Here*, 22
nunc *E* litera terminamus: at veterum Comicorum adhuc libris invenio, *Heri ad me venit:* quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur. Quid? non Cato Censorius, *dicam* 23
et *faciam*, *dicem* et *faciem* scripsit? eundemque in ceteris, quae similiter cadunt, modum tenuit? quod et ex veteribus eius libris manifestum est, et a Messala in libro de *S* litera positum. *Sibe* et *quase*, scriptum 24
in multorum libris est; sed an hoc voluerint auctores,

*Dixerunt*) Ita Guelf. et Turic. omisso *iussi*, quod habent Burm. Capp. Gesn. quum edd. pleraeque ignorent; vett. quidem omnes. Et Goth. cum Iens. omittit (tac. Gesn.). Saepe iam librariorum agnovimus praeposteram diligentiam exempla allinentium, quae si post rei significationem a scriptore proposita essent necessaria, malos ille referret pictores, qui coguntur tabulis suis ascribere, equum se vel taurum voluisse pingere; conf. not. crit. ad I, 7, 4, *litera si*.

*Dicem — faciem*) Guelf. et Turic. *dice — facie*. Errore omissae lineolae imponendae, qui non hic solum in omnibus comparet codd.; sed et apud Festum in similibus verbis.

*Quod et ex*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt *et*, male. Omittitur *et* fere in vett. edd. Aldus tamen habet.

βίδης — τὸ ὑπὸ τῶν πολλῶν ὀνομαζόμενον χειρόγραφον χεῖρα ὠνόμασεν. Et vide Lexica.

*C. — Caesaris inscriptione*) Suet. Calig. cap. 22: (*Caligula*) *optimus maximus Caesar vocabatur*. Apud Grut. pag. 247, 2 legimus: *Traiano — optimo maximoque principi*. Vnde recte colligas ipsum C. Caesarem Caligulam in marmore assumpsisse hoc cognomen; cuius quidem, ab eius inde temporibus, ortographia talis obtinuerit; cf. I, 4, 8.

*Here*) Cf. not. exeg. ad I, 4, 8: *Et in Here – neque – E – neque I*. Sonus fluctuabat inter E et I; de scriptura, Quintiliani quidem tempore, constabat, ut E finiretur. Hodie archaismum scripturae unice usurpamus.

*Heri — venit*) Terent. Phorm. I, 1, 2.

*In epistolis Augusti*) Cf. I, 6, 19. Earum frequens mentio apud Suetonium, unde Burm. duos excitavit locos, in quibus legitur *heri*. Aug. c. 71, et Cal. cap. 8; vid. et Gell. X, 24.

*dicem — faciem*) Festus *recipiem* eiusdem Catonis memorat, *attingem* autem nullo designato auctore.

*Messala*) Cf. not. exeg. ad I, 5, 15, *Messala*; et mox §. 35.

*An hoc voluerint*) Significat, casu,

nescio. T. Livium ita his usum, ex Pediano comperi, qui et ipse eum sequebatur: haec nos *I* litera finimus.
25 Quid dicam *vortices* et *vorsus*, ceteraque ad eundem modum, quae primo Scipio Africanus in *E* literam
26 secundam vertisse dicitur? Nostri praeceptores *ceruum seruumque*, *U* et *O* literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, et confundi nequiret; nunc *U* gemina scribuntur, ea ratione, quam reddidi: neutro sane modo vox, quam sentimus, efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos
27 usus literam adiecerat. Illud nunc melius, quod *cui*,

*Primo Scipio*) Miror non esse scriptum *primus*. Voss. 2 pro *primo* dat *Publius*, Goth. vocem omittit. Hunc libentissime sequar. Omnes praeterea in receptam consentiunt. — *Dicitur*) Ita plane Goth., quem *dicit* dare narrat Gesn. — *ceruum seruumque*) Ita Turic. et Goth. (tac. Gesn.) nisi quod transponunt, *seruum ceruumque* cumque eo faciunt Ioann. Voss. 3, Veneta, Obr. Ceteri o ponunt pro *u*, ut et Guelf. Equidem *u* praetuli, quia sequuntur *u* et *o*, quas literas iterum apponere non erat opus, si modo scripserat easdem, neque sensum ullum agnosco in illis, *ea ratione*, *quam reddidi*, nisi respiciunt ad frequentatam Quintiliani tempore scripturam, quam antea posnerit. Si enim significant ea verba: *propter eam causam*, *quam memoraui*, quod scilicet *vocalis coalescere nequiret*, partim iciuna est continuo subiecta eiusdem rei repetitio, partim supervacua, quum *quare* hoc scribant hodie, nemo ignoret. Eodem modo mox §. 27: *cui tribus*, *quas proposui*, *literas*. Neque est, quare aliquis *reddidi* hoc sensu dici posse neget. Bene Gedoyn. *Comme ils sont couchés ici.* — *Vsus literam*) Ita Guelf. et Voss. 3. Edd. omnes inserunt F, vel ꟻ, et sane codd. ipsi defendunt hoc si-

aut librariorum negligentia, potnisse invehi hanc scripturam. *Nescio an* autem h. l. est non modeste affirmantis, sed dubitantis et in negationem vergentis; neque enim est legitima structura, sed dirempta sunt verba, et *an* praemissum. Cf. not. crit. ad I, 5, 19, *litera est, non nota*; it. I, 5, 46 not. exeg. *dubito an*.

*Pediano*) Hunc qui non novit, adeat Ernestum in Bibliotheca Fabriciana latina Tom. II, pag. 65. Quam recte autem ex nostro loco colligant, Pediani auditorem fuisse Quintilianum, equidem nescio. Obstare videtur quod statim §. 26, *praeceptores* suos memorat, quorum numero eximit Pedianum hoc ipso quodammodo. Cf. V, 10, 9.

*Quae — dicitur*) H. e. *in eam vertisse scripturam*, *ubi secunda esset litera E non O*. De *primo* vid. not. Crit. In *vertendo*, o reducunt interdum poëtae vid. I. H. Voss. ad Georg. I, 65.

*Ea — reddidi*) Vid. not. Crit. ad *ceruum seruumque*; it. cf. I, 4, 11.

*Aeolicam — literam*) Vid. I, 4, 7.

tribus, quas proposui, literis enotamus; in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum, *qu* et *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui* distingueretur. Quid? quae scri- 28
buntur aliter, quam enunciantur? Nam et *Gaius C* litera notatur, quae inversa mulierem declarat, quia tam *Caias* esse vocitatas, quam *Caios*, etiam ex nu-

gnum h. l. Eratne autem quisquam ignoraturus, quam literam diceret Quint.? Et, nisi plane necessarium sit, ipsam subiicere figuram, decrescit elegantia orationis talibus additamentis, quae structuram turbant, et lectionem impediunt; conf. not. crit. ad I, 7, 21, *dixerunt.* — *Adiecerat*) Voss. 2, *adiecerit.* Non sine elegantia, pro his, *adiecisse possit videri.*

*Qu et oi*) Goth. (tac. Gesn.) *quoi*, ut et Voss. 2, et vett. edd. fere omnes. In Guelf. tamen est recepta, quam et in Florentino legi narrat Regius. Equidem altera acquiescam, modo dirimantur literae *q*, *u*, *o*, *i*. — *Inversa*) Ita, sine figura ↄ, Guelf. et omnes puto codd. Edd. quidem omnes meae, praeter Gryph. Stoer. Chouet. Burm. Capp. Gesn., conf. not. crit. ad §. 27, *usus literam.* — *Gaius — Caias — Caios*) Ita plane Goth. et recte puto *G* esse in *Gaius*, pro quo Guelf. et multae edd. dant *C*. In duobus posterioribus nominibus insignis est varietas codd. trium Britannicorum, qui utrobique habent *G*. Haec si vera est scriptura, sic fortasse explices: « veram autem pronuntiationem esse *G*, non *C*, in utroque nomine apparet ex nuptt. sacris, ubi semper pronuntiantur per *G*. » Sed nc sic quidem *quia* recta procedit, et *quamquam* aptius foret, sed vid. not. exeg. Alm. dat *Caias — Gaios*, nullo probabili sensu.

*Mulierem declarat*) Non quidem mulierem certam, Caiam appellatam, sed omnem mulierem. Hoc docet Vel. Long. pag. Putsch. 2218, ubi dicit: *quum quis libertus mulieris ostendatur* in monumentis apparere conversum C. Vide et Probi notas pag. Putsch. 1502. Ciceronis ipsius locus pro Murraena cap. 12, ubi irridet iureconsultorum alienam et stultam diligentiam, satis significat, illorum commentum, quo *omnes mulieres, quae coëmptionem facerent Caias vocari putarunt* vulgo fuisse receptum et frequentatum. ↄL. i. e. *Caiae libertae* vid. apud Grut. 455, 3.

*Quia tam — sacris apparet*) Facile erat ex antiquitatum notitia, allato Plutarchi Quaest. Rom. loco vol. II, pag. 271. D. E., monere, ritum fuisse nuptiarum ut nova nupta intrans domum mariti diceret ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα, plraque de hoc usu subiicere (vid. not. proximam), sed quo vinculo tota haec sententia cum antecedentibus cohaereret, id quidem nemo interpretum me docuit. Vim enim τοῦ *quia συνθέσμου* plane non perspicio (vid. de aliqua, sed contorta, eius interpretandi ratione not. Crit.) Versatis igitur in omnes partes verbis hisce, adducor, etsi invitus, ut glossema putem ea. Fieri poterat, ut aliquis, qui mulierem ita designa-

29 ptialibus sacris apparet. Nec *Gneus* eam literam in praenominis nota accipit, qua sonat; et *columnam* et *Consules*, exempta *N* litera, legimus; et *Subura*, quum

*Gneus*) Guelf. *Cneus*, cum multis et ipso Gesnero. Praetuli scripturam, a codd. Turic. Voss. 1, 3. Bern. defensam, quam soli meorum Ruscon. et Gryphius asciverunt. Plane eadem est ratio, quae in *Gaius*, quod recentiores edd. exprimunt omnes; conf. Festum in h. v. et ibi Interpp.

*Columnam — legimus*) Guelf. *calumnia* pro *columnam*. Equidem *columnam* expressi, accusativo casu, pro solita Quintiliani elegantia, qui vocabula exempli causa allata, quantum potest fieri, intexit orationi et structurae suae, neque *materialiter*, quod aiunt, usurpat, nisi plane sit necesse. Est autem accusativus in aliquot codd. ut Bal. Voss. 3, quo accedunt Ioann. dans *columani* et ed. Andr. accusativum itidem praeferens. Quamquam isti omnes *n* omissa, *columam* scribunt, pro quo, cum Gesnero, malui solitam scripturam exhibentes sequi, quae itidem est in *Consules*. Fateor autem in hoc vocabulo mirari me pluralem, qui non

tam aut ipse miraretur, aut alios miraturos existimaret, allineret verba ista in margine. Aliqua species huic coniecturae inde fortasse accedat, quod in Petri Diaconi notis literarum pag. Putsch. 1587; it. Gothofr. pag. 1502, in explicatione notae *C* legimus haec ipsa verba, nulla Quintiliani mentione facta. Et sunt ea illi loco sane aptiora, quam nostro. Locus autem est huiusmodi: *Inversa vero si scribatur eadem litera, ut ↄ, mulierem Caiam significat, quia tam Caias esse vocitatas, quam Caios, ex nuptialibus sacris apparet et plurima* etc. Agnoscis nostra ipsa verba, omisso solo *etiam* inter *Caios* et *ex*. Quum tamen in omnibus libris et excusis et scriptis legantur haec, cogitare de matura corruptela cogimur, si forte quis e Petro Diacono glossam alleverit. Manifestum glossema iam agnovimus I, 6, 34, *etiamne a contrariis*. Omissis hisce verbis etiam facilius est relatu *Nec Gn.* ad *et Gai.*, quam in recepta. *Quia* frequenter glossae est in ic um; cf. I, 4, 10; I, 5, 29. Aliena invecta suspicati sumus I, 2, 22. Exemplum inventi loci, qui in Endocia alienus erat, vid. in Villois. Proll. Hom. pag. 32. Causam autem ponendi literam C pro G vide in not. Crit. ad I, 6, 11 *pagunt*.

*Nec Gneus*) Notatur enim *Cn*, non, ut debebat, *Gn*.

*Columnam — Consules*) Prioris quidem vocis exemplum, quod ex marmoribus afferam, non habeo, in plurimis vocabulis, quae omissa *n* litera comparent inter ea, quae vide in Scaligeri indice eorum, quae ad grammaticam pertinent in lapidd. Gruterianis; *Cos* pro *Consule* et *Consulibus* frequentissime apud Gruterum, quamquam, ubi posterius significatur, etiam geminatur interdum S.

*Subura — ostendit*) Varro de L. L. IV, pag. Bip. 15: *Subura, Iunius scribit, ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe. — Sed ego a pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. Nunc scribitur tertia litera B, non C.*, ubi nihil opus correctione Turnebiana,

tribus literis notatur, *C* tertiam ostendit. Multa sunt generis huius; sed haec quoque vereor ne modum tam parvae quaestionis excesserint. Iudicium autem suum 30
grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc valere plurimum debet. Ego (nisi quod consuetudo obtinuerit) sic scribendum quidque iudico, quomodo sonat. Hic enim usus est literarum, ut custodiant voces, et 31
velut depositum reddant legentibus: itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus. Haec fere sunt 32
emendate loquendi scribendique partes; duas reliquas, significanter ornateque dicendi, non equidem gram-

magis necessarius videtur, quam in *columna*, quum et *Cos.* sit *Consul* in monumentis; et facile *Consulē* in codd. male legebatur *Consules*. Fortasse tamen *Consulibus duobus* plerumque assuetus in monumentis, pluralem posuit Quintilianus. Ceterum alienissima ista *geminata s litera Coss.* quae absunt a plerisque et optimis codd. (ut et Guelf.) quaeque Gesn. uncinaverat, tandem proscripsi. Omissis iis nostram plane scripturam etiam Locatelli et Ruscon. edd. praeferunt, unde recte colligas etiam a Florentino codice abesse haec verba, quorum Regius in notis nullam facit mentionem. Turic. sic: *clarissimos et consules geminata eadem.*

*Cum tribus literis*) Guelf. omittit *cum*, male.

*Tam parvae quaestionis*) Guelf. dat *quaestiones*, quo adiuvat coniecturam Gesneri optantis *hae — quaestiones* pro *haec — quaestionis*. Si recepta bene habet, *parva quaestio* dicitur haec de orthographia, pronuntiationi contraria, disputatio. Pro *tam* dant *iam* Locat. et Ruse. nullo praeterea auctore. Ceterum *haec* neutrum h. l. quod sollicitat Gesnerus, firmatur a gemino, quod est III, 6, 62.

*Nisi quod*) Guelf. cum edd. vett. plerisque pro *nisi* dat *vero*. Haereo in recepta et malim *quid* pro *quod*, cum aliquot VV. DD. Conatus tamen sum rationem reddere receptae.

*C, non B.* Significat Varro, quae nunc sit *Subura*, eam antiquitus fuisse *Sucusam*. Similia vide apud Festum in *Suburam*. Notam *Suburanae* tribus, quae eadem *Sucusana*, hanc, *Suc.* videas aliquoties in opere Gruteriano. Cf. indicem Tribuum Romanarum.

*Haec — excesserint*) Vid. not. Crit.

*Nisi — obtinuerit*) *Nisi in eo, quod* etc. vid. not. Crit.

*Significanter*) I. e. clare, perspicue: nihil amplius. Hoc ipse nexus docet, quum si ἔμφασιν intelligeret Qu., omissa esset *perspicuitatis* mentio, necessaria plane hoc loco. Capperonnerius quidem h. l. ut et infra IV, 2, 36: *verbis — significantibus*, *significans* credit dici pro ἐμφατικῷ et est locus scriptoris ad Herenn. IV, 53, ubi *significationis* eadem fere

maticis aufero; sed, quum mihi officia rhetoris super-
33 sint, maiori operi reservo. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui haec, quae diximus, parva nimium, et impedimenta quoque maius aliquid agendi, putent. Nec ipse ad extremam usque anxietatem, et ineptas cavillationes descendendum; atque his ingenia concidi
34 et comminui, credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quòd idem artis huius diligentissimus fuit, et in filio (ut epistolis apparet) recte loquendi

*Maius aliquid agendi*) Goth. (tac. Gesn.) cum suo Voss. 2, *agentibus*, ut et aliquot praeterea. Non spernenda scriptura, quam non Obr. tantum recepit, sed et Gryphius. Guelf., cum plerisque receptam dat. — *Vt epistolis*) Omisi, quod ins. Gesn. et plerique, *in*, auctoribus Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Voss. 2, 3, Bern. et ipsa latinitate astipulante. Etiam Obr. eiecit.

ponatur definitio qualem ἐμφάσεως Graeci dant rhetores. Puto tamen *significationem* illam differre a *significantia*, quam dicit Qu. X, 1, 121 pro *proprietate*, opinor, et *perspicuitate*, non pro ἐμφάσει. Etiam Cicero ad Divv. III, 12, *significantius* dixit eam dicendi rationem, quae plane non posset ignorari. Contra Qu. uno vocabulo latino in vertenda ἐμφάσει defungi posse sibi non est visus IX, 2, 3, sed *plus quam dixeris significationem* appellavit. Diserte etiam *emphasim* refert ad *ornatum orationis*, VIII, 2, 11, quos minus hoc nostro loco *significanter* accipias ἐμφατικῶς. Videtur ex recentiorum linguarum, Francogallicae et Anglicae, usu suborta nobis ista de *significantiae* significatione opinio, ut et hic Gedoyn. vertit, *avec force*, et IV, 2, 36, *des termes — significatifs*. In ea opinione etiam Ernestus est in Lexico Rhetorico voc. ἔμφασις. Multa sunt loca, ubi *significans* usurpet Qu. neque usquam sensum hunc ἐμφάσεως defendi posse existimo.

*Redit*) Turic. *Sedit* quum ex Alm. afferatur *sedet*, quod et Obr. recepit, ex Arg. fortasse. — *Redit — cogitatio*; quippe cuius iam in mentem venerit I, 5, 6.

*Descendendum; atque — comminui, credo*) Sensum hunc puto: *non credo — descendendum; et, si descendatur, — ingenia his comminui, credo.* Sic non cogimur variatum agnoscere infinitivum *comminui*, pro gerundio *comminuendum*, quamquam hoc aliis scriptorum locis defendere conatur Burmannus.

*Nisi quod — est*) Non ieiuna sententia et inanis. Vult ea demum oratori futuro noxia credi, quibus omnino omnes carere poteramus, nimirum *ineptas*, quas dixit, *cavillationes*. Quidquid vero et liberali grammatico fit cognoscendum, id eloquentiae vim infringere negat, quod protinus exemplis est declaraturus.

*In filio — epistolis*) Intercidernnt duo Ciceronis ad M. filium epistola-

usquequaque asper quoque exactor? aut vim C. Caesaris fregerunt editi *de analogia* libri? aut ideo minus 35
Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non verbis modo singulis, sed etiam literis dedit? Non obstant hae disciplinae per illas euntibus, sed circa illas haerentibus.

VIII. Superest lectio; in qua puer ut sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda vel summittenda sit vox, quid quoque flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum; demonstrari nisi in opere ipso non potest. Vnum est igitur, 2
quod in hac parte praecipiam: ut omnia ista facere

*Vsquequaque*) Guelf. omittit, cum multis, et habet sane insuavem sonum tam prope *quoque*, neque fere legitur alibi apud nostrum. Saltem referes ad *loquendi*, non ad *exactor*.

*Non verbis*) Ita Guelf. sine *de*, ab aliis inserto. Assunt omittenti multi codd. et ipsa orationis elegantia. Gesn., etsi probans electum *de*, sequutus est Burm. retinentem.

*Quid quoque flexu*) Codd. non variant. Regius abradi vult *que* ex *quoque*, cui obtemperavit Badius. Equidem et hic, ut supra I, 6, 16, (vid. not. crit.) malim *quo quidque*. Interim sensus eruendus, ut illo loco.

rum libri, quorum nonnisi paucula fragmenta afferuntur a Grammaticis. Locus est in epistola ad Tironem ad Div. XVI, 17. Ciceronis cum hoc de usu vocis *fideliter* expostulantis, quem memorat Badius Ascensius, in ceterorum interpretum silentio, sed minus huc pertinens, quoniam neque filio est scriptus, neque *asperum exactorem* ostendit Ciceronem. Ceterum de ingenio M. Ciceronis filii cum fructu potest legi libellus, quem de eius institutione scripsit Meierotto V. C. in Dubiis pag. 173 sqq. ut et Corradi Quaestura, ed. Ern. Lips. 1754, pag. 275 — 77.

*De analogia libri*) Non uno loco memorati a veteribus, ut Gellio. Ipse Cicero, ad quem erant scripti, eos significat Brut. cap. 72.

*Quosdam — libellos — literis*) Plures igitur fortasse pertractavit literas, non solam S, de qua vide I, 7, 23.

*Obstant hae disciplinae*) Apparet agere scriptorem de oratoribus et viris civilibus, ne forte videatur quibusdam ipsam Grammatici provinciam spernere.

*Versum distinguere*) I. e. versum medium dirimere legendo, ne semper ad eius finem decurrat ibique demum ponat vocem. De poëtarum lectione agi apparet mox §. 2, *quia carmen est*; et eam, tanquam grammaticae professionis partem indixerat I, 4, 2.

*Quid quoque flexu*) Vid. not. Crit.

possit, intelligat. Sit autem in primis lectio virilis, et cum suavitate quadam gravis; et non quidem prosae similis, quia carmen est, et se poëtae canere testantur; non tamen in canticum dissoluta, nec plasmate (ut nunc a plerisque fit) effeminata; de quo genere optime C. Caesarem praetextatum adhuc accepimus dixisse, [3] *Si cantas, male cantas; si legis, cantas.* Nec prosopopoeias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim; esse tamen flexum quendam, quo distinguantur ab iis, in quibus poëta persona sua utetur. [4] Cetera admonitione magna egent: in primis, ut tenerae mentes, tracturaeque altius quidquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo, quae diserta, sed [5] vel magis quae honesta sunt, discant: ideoque optime institutum est, ut ab *Homero* atque *Virgilio* lectio inciperet, quamquam ad intelligendas eorum virtutes

*Persona sua*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt *sua*, cum Ioann. Voss. 2, 3: male.

*Intelligat*) scil. quae legit.

*Plasmate*) Habemus ipsius huius vocis interpretem Plinium H. N. XVI, 66, qui vertit Theophrasti (de Plantis IV, 12) μετὰ πλάσματος αὐλεῖν *ad flectendos sonos*, et ἡνίκ' ἤυλουν ἁπλάστως *quum - simplici musica uterentur*, et ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν πλάσιν μετέβηβαν *postquam varietas accessit et cantus quoque luxuria.* Rectissime igitur Salmasius Exercitt. Plin. (Traiect.) p. 85. D Quintilianum quoque significare ait: *vocem mollem et eliquatam, quae per omnes sonos intentionesque varietur*, et Persii illud (I, 17), *liquido cum plasmate molles colluveris fauces*: negat aliter, quam de mollitie vocis, esse accipiendum, quum Casaubonus *potionem* intellexerit, qua vox clara redderetur. Cf. I, 11, 6; it. Cic. de Or. III, 25: *Quanto melliores - falsae voculae quam — severae. — Plasmate.* Exemplum affectatae hunc in modum pronuntiationis esse videtur, quod refert Plutarchus in Bruto p. 1000 A. Intrat conclave, quo se receperant expostulantes Brutus et Cassius, homo singularis audaciae et vecordiae M. Favonius. μετὰ πλάσματος φωνῆς ἔπη περαίνων οἷς τὸν Νέστορα χρώμενον Ὁμήρος ἐπεποιήκει κ. τ. λ. Spald. *in praef. p.* 78.

*Si cantas — cantas*) Quum videam Philandrum, ab aliis non reprehensum, male intellexisse lepidum dictum, iuvat apponere probam Gedoyni versionem: *Si vous prétendez chanter, vous chantez mal* etc.

*Cetera*) Scil. praeter ipsum legendi modum, quem, *nisi in opere ipso, demonstrari* posse modo §. 1. negabat.

firmiore iudicio opus est: sed huic rei superest tempus; neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat, et ex magnitudine rerum spiritum ducat, et optimis imbuatur. Vtiles 6 *Tragoediae*; alunt et *Lyrici;* si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris; nam et Graeci licenter multa, et *Horatium* in quibusdam nolim interpretari. *Elegia* vero, utique quae amat, et hendecasyllabi, et quibus sunt commata *Sotadeorum*

*Opus est*) Ita dedi e codd. Bodl. Alm. Turic. Voss. 2, pro *esset* recepto. Obr. item. Neque, quod significare videtur Burm., *quamquam* regit hunc coniunctivum, quod equidem non moror (cf. ad Prooem. 18 not. exeg.), sed nullo cum aliis nexu hic poneretur coniunctivus, si vera esset scriptura, quod germanismum sapit: de *est* et *esset* vide not. crit. ad I, 6, 35, *inhumanum est*. Coniunctivus autem imperfecti tum demum a Latinis usurpatur, cum res, ea, quae isto modo significatur, locum vere non habet, sed alia quadam, quae nunc non adest, eveniente, futura ostenditur. *Facerem*, *si essem*, at non sum, ergo nec facio. Vid. ad I, 1, 22, *faceret*. Num igitur revera *ad intelligendas eorum virtutes firmiore iudicio non est opus*? Aut, qua tandem concessa conditione, *opus erit*? Malit fortasse aliquis in nostra lectione ad evitandum similem sonum omitti *est* post *institutum*, quae quidem dura non foret emendatio, sed nihil est necesse quidquam mutare. — *Spiritum*) Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2, *spiritus*, quod sane, hoc intellectu, est frequentius altero. — *Tragoediae*) Ita Guelf. et Goth. et sane multi alii, qui non memorantur, quia vett. edd. fere ipsae dant *tragoediae*, non *tragoedi*. Rectissime Badius, quamquam solum Vallensem cod. narrat habere *tragoediae*, hanc vocem reposuit, quia *tragoedi* essent actores, non scriptores tragoediarum, et saltem debuisset scribi *Tragici*, ut *Lyrici*, quod vocabulum scripturae *tragoedi* patrocinari idem recte negat. Gesn. *tragoedi*.

*Hendecasyllabi et quibus*) Ita Goth. (tac. Gesn. qui cum recentioribus dat *hendecasyllaba quibus*) et Voss. 2. Exprimunt hoc omnes, ante Gryph., vett. edd. meae, nisi quod *hendecasyllaba* dant pro *hendecasyllabi*. Habet masculinum, quod longe frequentius apud veteres, etiam Guelf. sed sine aspiratione, quae etiam a Gothano abest. Post hanc vocem ante *quibus* Guelf. inserit *a*, cum ed. Andr., pro nostro *et*. Neque certo affirmaverim in *hendecasyllabis* revera esse *commata sotadeorum*. Malebat etiam Gesn. *et* interponi, quod poterat in eo, quem tractabat, codice invenire. — *Commata*) Guelf. *commota* cum Goth. et Viart. ed.

*Quae amat*) Forma loquendi, qualem saepe animadvertimus, tribuens ipsis verbis et sermoni, quod significant; cf. not. ex. ad I, 6, 23, *quum ebur*.

*Et quibus — quidem est*) Sotadeo-

(nam de Sotadeis ne praecipiendum quidem est) amoveantur, si fieri potest; si minus, certe ad firmius aeta-

*comota* Voss. 3. Nec mirum in voce insolentiori lapsos librarios. Venetam autem dare *scommata* falso narrat Gibs. Est in ea expresse *commata*, ut iam scripturae isti, nimis probatae a VV. DD., unus relinquatur testis, margo Stephani. — *Sotadeis*) Guelf. *Sotadicis* cum Voss. 1, 3, et Valleusi Cod., narrante Badio, quod fortasse non prorsus est negligendum. Possit enim videri de carminibus ipsis dictum *Sotadica*, de metro *Sotadea*, vel *Sotadei*, quum praesertim modo in *Sotadeorum* nulla sit codd. varietas. Sunt tamen et receptae testes satis locupletes, ut Goth., neque multum tribuam huic discrimini.

rum versuum ratio, etsi non usquequaque expedita est a VV. DD. videtur haec fere esse ex Hephaestionis, Diomedis, Terentiani et Fortunatiani (apud Putschium) auctoritate: constat sotadeum metrum Ionico a maiore tetrametro brachycatalecto. Iam quum Ionicus uterque, tam a maiore quam a minore, constet sex temporibus vel moris, potest illud mirifice variari; quo in genere id tamen, nisi fallor, est cavendum, ne Sotadeus versus unquam incidat in Ionicum a minore. Recenset enim Hephaestio (p. Pauwii 37) hancce, quam ferat versus sotadeus in tribus prioribus regionibus pedum varietatem: *συζυγία τροχαϊκὴ — υ — υ, ἡ ἐξ ἀνακλάστου καὶ πυρρίχιου υυ — υυ, ἡ ἐκ τριβράχεος καὶ τροχαίου υυυ — υ, ἡ ἐκ μακρᾶς καὶ τεσσάρων βραχειῶν* (pariambum vocat Diomedes p. Putsch. 478) — υυυυ, *ἡ ἐξ ἓξ βραχειῶν* υυυυυυ. Vides nusquam in hisce comparere Ionicum a minore, eundem tamen sex temporibus constantem, υυ — —. Quare Scaliger ad Festum ac Varronem, et Columna ad Ennium, parum recte videntur Sotaden utroque Ionico usum narrare, versusque, in quibus *ὁ ἀπ' ἐλάσσονος* animadvertitur, sotadeis annumerare. Hunc equidem pedem puto regnare vicissim in galliambis. Quod quidem metrum, molle itidem et effeminatum, infra IX, 4, 6 ipse Qu. coniungit cum sotadeo. Est id Ionicum a minore tetrametrum catalecticum, plane respondens alteri, nisi quod brachycatalecti sunt sotadei, galliambi catalectici. Vt autem trochaeus et iambus, trium temporum uterque, se invicem fugiunt, neque unquam alter in alterius ingreditur metrum, quum uterque in sua sede recipiat tribrachyn; pari ratione a se distineri invicem sotadeos et galliambos, equidem mihi persuadeo. Liberiores etiam sotadeis sunt galliambi, quippe qui in sua sede vel pauciorum, quam sex, temporum pedes recipiant (velut paeonem tertium υυ — υ, et palimbacchium — — υ, quinque tempp.) Vocatur hoc metrum galliambicum et *μητρῳακὸν* a matre Deorum Cybele eiusque sacerdotibus Gallis, eviratis, unde propria ei mollities, quam eleganter eiusdem generis versu expressit Terentianus p. Putsch. 2447: *Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.* Insigne antiquae poëseos monimentum, hoc versu conscriptum, est Catulli Atys. Isti metro valde est affinis hendecasyllabus phalaecius, cui si dempseris tres priores syllabas, remanent duae galliambici versus regiones vel syzygiae υυ — υ | — υ — ⏑ |, quae, ad

tis robur reserventur. *Comoediae*, quae plurimum conferre ad eloquentiam potest, quum per omnes et per-

efficienda quatuor metra Galliambi, deinceps repetuntur, ablata tamen ultima syllaba, ut fiat versus catalecticus : υυ — υ | — υ — | . Talis enim est ex Terentiani schemate, quum Hephaestio paulo aliter constituat eum p. 40., ad quem locum monet Scholiastes αἳ ἔντεα et καὶ χάλκεα, qui poterant videri Ionici a maiore, pro molossis accipi oportere, synizesi facienda in ἔντη et χαλκᾶ. Iam utriusque horum metrorum, et sotadei et galliambici, mollitiem frequentia brevium syllabarum et trochaei seu *chorei* pedis contineri, mihi persuadeo. Noster enim IX, 4, 135 ait *trochaeos* (intelligit autem tribus brevibus constantem pedem) *celeres quidem sed sine viribus* esse ; it. IX, 4, 88 et 136 *chorei*. In huiusmodi pedes et syllabas cadentem compositionem Senec. pater vocat *non tantum emollitam*, *sed infractam*. Controv. XIX, p. Bip. 233. Neque id puto spectasse Quintilianum hoc nostro loco, quod sotadei versus solent, retrorsum lecti, aut idem aut aliud tamen metrum iustum ostendere; quamquam ipse huius rei mentionem facit IX, 4, 90, ubi ex hexametro factum sotadeum ( cf. Demetrium de elocutione §. 193 ), ex sotadeo, itidem retrorsum legendo, Iambum trimetrum ostendit. Et possunt hi versus a tironibus inspici, ut exempla sotadeorum, quae facile ad regulas supra expositas possint scandi. Memoratur fere a veteribus haec sotadeorum in se ipsos vel alia metra recurrentium volubilitas, ut a Martiale Ep. II, 86, Ausonio Epist. XIV, 19 et aliis. Sed eam sotadeo neque necessariam neque peculiarem puto, ut ad definitionem ipsam pertineat. Quomodo autem ad metri huius mollitiem referatur, quod potest etiam retrorsum legi? Quintilianus igitur discipulis videtur timuisse a sotadeis, similibusque effeminatis et trochaeorum plenis versibus, quod et molle quid sonarent et continerent plerumque res obscoenas. De alterutro horum solo, argumento vel metro, cogitasse eum vix puto; cf. not. crit. ad *Sotadeis*. *Commata sotadeorum* utrum plane technico intellectu dixerit pro caesuris horum versuum, an paulo negligentius de eorum partibus omnino, non equidem affirmem. Ipsi Grammatici fluctuant interdum in huius vocabuli usu. Diomedes enim v. c. et Marius Victorinus *caesuris* annumerant tetrapodiam Bucolicam, quae est quarti in hexametro pedis, dactyli plerumque, cum vocabulo et sensu terminatio; quum Atilius Fortunatianus, aptius sane, dirimat *colon* a *commate*, dicatque *illud* esse partem vel partes versus *integris* pedibus impletas, ut *Defecisse videt sua*, *hoc* vero partem versus vel partes *imperfectas*, ut *arma virumque cano* ; p. Putsch. 2689. De sotade exponunt Lexica. Video meam sotadei et galliambici metri explicandi rationem magna ex parte diversam esse ab ea, quam nuper exposuit doctissimus harum rerum existimator, Hermannus de metris. Sed vereor, ne ille nimium tribuerit categoriis in materia, ubi *paucis profecto est philosophandum*, *omnino non placet*. Quod ad Quintiliani mentem facit maxime, ut mollities horum metrorum ostendatur, id quidem praestare mihi videor. Rhythmi legem in iis quin melius perspexerit Hermannus, non repugno.

sonas et affectus eat, quem usum in pueris putem paulo post suo loco dicam. Nam quum mores in tuto fuerint, inter praecipue legenda erit. De *Menandro* loquor; 8 nec tamen excluserim alios. Nam Latini quoque auctores afferent utilitatis aliquid. Sed pueris, quae maxime ingenium alant, atque animum augeant, praelegenda, ceteris, quae ad eruditionem modo pertinent, longa aetas spatium dabit. Multum autem veteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio, quam arte valuerunt; in primis copiam verborum, quorum in tragoediis gravitas, in comoediis elegantia, 9 et quidam velut ἀττικισμὸς inveniri potest. *Oeconomia*

*Praecipue*) Ita Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2, et edd. Loc. Viart. Rusc. Bad. Vulgata *praecipua est* in Guelf.

*Valuerunt*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) cum Bodl. *valuerint*; cf. de *quamquam* c. conj. not. exeg. ad Prooem. 18.

*Oeconomia*) Guelf. *Haec omnia*, ridiculo errore. — *Deliciarum vitia*) Ita Guelf. cum Goth. Turic. Bal. (non Bodl., ut Burm.) et edd. Andr.

*Per omnes — personas*) H. e. per omnes aetates et conditiones hominum.

*Paulo post*) Cap. huius libri undecimo. — *De Menandro loquor.* Debebat hic memorari, fuisse moris apud veteres, ut in scholis legeretur Menander; cf. Valesii emendationes p. 54, it. Fabric. B. G. Harl. II, 455. SPALDING. *in praef. p.* 78.

*Longa aetas*) Sic et Horatius Satyr. I, 4, 132, *longam aetatem* dicit, quae sit demptura multum de suis vitiis.

*Veteres — Latini*) Sunt fere praeter eos, quos recensuimus ad I, 5, 21, Plautus, Caecilius, Terentius, Afranius, Lucilius. Ne enim de meris scenicis poëtis cogitemus, facit mentio mox §. 11 iniecta *Lucilii* (cf. ibi not. crit.), quamquam et huius comoedia memoratur, sed de qua sit controversia. Ovidii notus est versus Trist. II, 424: *Ennius ingenio maximus, arte rudis*; item Amor. 1, 15, 19: *Ennius arte carens.* Similia de Ennio, Lucilio, Naevio, Plauto et aliis veteribus Horatius in Satyris et Epistolis. Lucretius ipse, non tam aetate quam scribendi genere, ad veteres illos accedit, de quo tamen contrarium, quam Quintiliani de his, est Ciceronis iudicium ad Quint. frat. II, 11: *Lucretii poëmata — non multis luminibus ingenii, multae tamen artis.* Hanc tutius, puto, sequaris in Lucretio aestimando ducem, quam, qui hodie eum in caelum ferunt.

*Velut ἀττικισμός*) Eam sermonis puritatem et urbanitatem quae Romanis sit, quod Graecis ἀττικισμός, cuius ope, *oratio huius alumnum urbis oleat et Romana plane videatur, non civitate donata*, VIII, 1, 3.

*Oeconomia*) Scita partium operis

quoque in his diligentior, quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem sententias putaverunt. Sanctitas certe, et ut sic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum vitia, dicendi quoque ratione, defluximus. Denique credamus 10
summis oratoribus, qui veterum poëmata, vel ad fidem causarum, vel ad ornamentum eloquentiae assumunt. Nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter 11
tamen apud Asinium etiam, et ceteros, qui sunt proximi, vidimus *Ennii*, *Accii*, *Pacuvii*, *Lucilii*, *Terentii*, *Caecilii*, et aliorum inseri versus, summa non erudi-

Loc. Rusc. Venet. Bad. Viart. etc., quas denuo sequutus est Obr. Reliqui haec: *del. genera vitiaque*, ut et Gesn., qui, si codd. habent auctores, quod non nego, ipsam tamen orationem elegantem et commodam vix docebunt.

*Dic. quoque rat.*) Guelf. omittit *quoque*, male. — *Defluximus*) Gu. *defleximus*. Cum Goth. Voss. 2, cum edd. Ald. Viart. Bad. (qui habet in marg. receptam) dicitque sibi quoque eam fuisse placituram, modo inventa esset in exemplaribus et aliis. Receptam nisi ii, qui silentur, defendunt Ioann. Voss. 3, nullus habet cod.; at edd. Loc. Rusc. Venet. Gryph. Stoer. Chouet. Gibs. (atque Leid.) et Gesn. Quod praetulit, post Obr., Burm. *defluxerimus* e Turic. Bodl. Alm. Voss. 1, Bern., id quidem magnopere displicet, quum coniunctivus locum non habeat. *Defleximus* fortasse verius, sed blanditur recepta, maxime ob locum nostri X, 1, 126: *tantum ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat*. Et Ciceronis Tusc. I, 25: *a necessariis — ad elegantiora defluximus*. Alias *defluendi* verbum usurpatur in rebus, quae pereunt, abeunt. Subiit etiam legere *diffluximus*, usus frequentissimi in luxuria significauda. Vide de *defl.* et *diffl.* Drakenb. ad Liv. XLI, 15, 1.

*Fidem causarum*) Guelf. *finem*, quod in ed. Locat. esse narrat Burm. Equidem receptam in ea invenio, *finem* autem in ed. Rusc. (cf. not. crit. ad Prooem. 4, *summam inde eloqu.*) Frequens est τὸν *fides* et *finis* in codd. confusio. Vid. Drakenb. ad Liv. VIII, 24, 15; cf. et nostr.

descriptio, quae maxime cernitur in fabulis. Eam in Terentianis comoediis non semel tangit Donatus v. c. ad Andr. I, 4, 1; ib. III, 2, 1; Phorm. III, 3, 1; cf. §. 17; it. III, 3, 9; Cic. ad Att. VI, 1.

*Dicendi — ratione*) Praeter alias luxuriae plurimas partes etiam in dicendo sumus effeminati facti.

*Apud Ciceronem*) Pro Sextio. c. 55 ex Afranio; c. 56, 57, 58 ex Accio. Pro Coelio, c. 16 e Caecilio. Pro Balbo c. 22, ex Ennio. In Pison. c. 19, ex Ennio, c. 25, e Plauto; c. 33, ex Accio. Philipp. XIII, c. 21, ex incerto poëta.

tionis modo gratia, sed etiam iucunditatis; quum poëticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent;
12 quibus accedit non mediocris utilitas, quum sententiis eorum, velut quibusdam testimoniis, quae proposuere, confirment. Verum priora illa ad pueros magis, haec sequentia ad robustiores pertinebunt: quum grammatices amor, et usus lectionis, non scholarum tempori-
13 bus, sed vitae spatio terminentur. In praelegendo grammaticus et illa quidem minora praestare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, et pedum proprietates, quae adeo debent esse notae in carminibus, ut etiam in oratoria compositione deside-

IV, 2, 118. Praestat autem recepta. — *Apud Asin.* Guelf. omittit *apud*, non male. Venet. pro eo, per sph., *quod.* — *Vidimus*) Voss. 1, *videmus* quod malim, praesertim si mox legitur *respirent*, coniunctivo modo. — *Pac. Lucilii, Terent.*) Guelf. omittit *Lucilii.* (Cf. not. exeg. ad §. 8, *veteres — Latini*).

*Respirent*) Guelf. et Turic. *respirant.* Goth., quum in textu dedisset receptam, correctus fuit in *respirant.* Videtur ex sola Regii coniecturae esse coniunctivus, non utique necessarius.

*Confirment*) Voss. 3, *confirmant.* Ne hic quidem male cf. modo *respirent.* — *Sequentia*) Guelf. *sequentiora.* Fateor magnopere mihi displicere totum hoc *sequentia*; neque enim sequuntur, quae intelligit, sed praecesserunt. Novi equidem *sequentem* dici pro *secundo, posteriore*, sed quanti tandem referebat addi hoc h. l.? Dicam quod sentio. Ad *illa*,

*Aures — respirent*) Audaciori translatio, neque quam facile apud scriptores invenias; sed propria *respirandi* significatio obliterata est fere; translata autem *auribus* quoque recte tribuitur.

*Quibus — confirment*) Solitam Quintiliani perspicuitatem desidero, quum propter *quibus*, pro quo clarius fuisset *quo*; pluralis enim tot antecedentibus substantivis, quo referendus sit, non statim apparet; pertinet autem, nisi fallor, ad *voluptatibus*, vel ad *eruditionis — iucunditatis*: tum propter *confirment*, in quo obscurius est subiectum. Intelliguntur autem Cicero, Asinius et ceteri.

*Priora illa — haec sequentia*) Vid. not. crit.

*Partes orationis reddi*) Huius rei exemplum habemus in Prisciani *Partitionibus versuum XII Aeneidos principalium*, ubi semper recurrit haec magistri quaestio: *quot partes orationis habet iste versus*, v.c. p. 1218, et deinceps recensentur singulae. De eodem Grammaticorum medii aevi usu apposite Capperonnerius citat Cangium in Glossario voce *Partes edere*, qui neque Quintiliani est immemor.

rentur; deprehendatque quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sunt posita; non ut ex his 14
utique improbentur poëtae (quibus, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur; *metaplasmos* enim, et *schematismos*, et *schemata*, ut dixi, vocamus, et laudem virtutis necessitati damus), sed ut commoneat artificialium, et memoriam agitet. Id 15
quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quaeque verba modis intelligenda sint. Circa *glossemata* etiam, id est, voces minus usitatas, non ultima eius professionis diligentia est. Enimvero iam maiore cura doceat *tropos* omnes, quibus praecipue, non poëma

paulo ante, allitum puto a recentiore quodam *priora*, ad *haec*, *sequentia*, interpretationis causa. Neutrum enim desideres. Codd. quidem nulli adiuvant. *Illa* autem sunt, quae de legendis poëtis praeceperat; *haec*, quae de inserendis eorum versibus narraverat. — *desiderentur*) Guelf. *desideretur*, nullo sententiae emolumento, cf. not. exeg. — *Deprehendatque quae*) Guelf. *deprehendat*. Goth. (tac. Gesn.) *deprehendantque*, cum edd. vett. fere omnibus. Singularis necessarius est; ad *grammaticum* enim refertur, non ad *discipulos*.

*Sunt posita*) Guelf. *sunt composita*. Goth. (tac. Gesn.) *composita*, omisso *sunt*, cum sat multis codd. Sensus flagitat receptam; neque enim de solis *numeris* hic agitur *oratoriis*.

*Desiderentur*) Haerent in hac voce VV. DD. et est sane, quod mireris, tantulo intervallo post *desideret* recurrens verbum idem. Alioqui sensum tribuam equidem hunc; bene institutus adolescens persentiscet, ubicumque in oratore aliquo apti cuique loco pedes defuerint.

*Metaplasmos — schematismos*) *Metaplasmus est dictio aliter quam debuit figurata, metri aut decoris causa*, Charisius p. Putsch. 248: *Barbarismus — apud poëtas Metaplasmus vocatur; solocismus autem schema*. Diomedes p. ibid. 446. *Schematismi* nomen apud Grammaticos Putschianos non invenio. An errore librarii, oculo aberrantis ad *et schemata*, irrepsit *et schematismos*?. Codd. quidem et edd. habent omnes.

*Vt dixi*) I, 5, 52.

*Memoriam agitet*) H. e. exerceat; cf. I, 10, 34, *agitari animos*, quo loco utitur Ernestus ad defendendam codd. et vett. edd. scripturam in Oratione Cic. pro Archia c. 7, *agunt*, pro quo vulgo legitur *alunt*; quam quidem recte ille, nescio. *Artificialium commonere*, quod quidam parum intellexerunt, est *vocabula artis frequenti usu nota reddere discentibus*.

*Quib. praecipue*) Magis quam aliis rebus; ne forte quis referat ad dele-

modo, sed etiam oratio ornatur; *schemata* utraque, id est, *figuras*, quaeque λέξεως, quaeque διανοίας vocantur: quorum ego, sicut troporum tractatum, in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis di-
17 cendum erit. Praecipue vero illa infigat animis, quae in oeconomia virtus, quae in decoro rerum; quid personae cuique convenerit; quid in sensibus laudandum,
18 quid in verbis; ubi copia probabilis, ubi modus. His accedet enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas, exposuisse satis est. Persequi quidem quod quisque

*Decoro rerum*) Guelf. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *decore*, cum edd. Locat. Venet. Ald. Rusc. et sic vereor ne omnes codd., etsi Vossianorum et Alm. varietas nulla memoratur. Regius quoque invenit *decore*, quod ipse mutavit in *decoro*, recte sane ad mentem Ciceronis de Offic. I, 27, 28, decori naturam egregie enarrantis. Istud *rerum* non magnopere mihi placet.

*His accedet*) Ita Goth. (tac. Gesn.) Guelf. *accidet*. Aliquot codd. et pleraeque vett. edd. futurum ind. tuentur pro praef. conj. *accedat* quod habet Gesn. et recc.

*Quod quisque unquam*) Guelf. *quid quis nunquam*. Goth. (tac.

ctum aliquem *troporum* a magistro faciendum, quorum alii aliis magis ornent orationem. Tunc *praesertim* erat scribendum, non *praecipue*; et vetat *omnes*.

*Quorum — tractatum*) Lib. IX, c. 1, 2, et 3; cf. I, 5, 52.

*Personae — convenerit*) Hoc in legendo quoque poëta, Comico potissimum, aget magister, ut demonstret discentibus, quare certa oratio certae personae tribui debuerit. Non enim in genere haec docere est putandus, tanquam ab ipsis suis auditoribus effingenda, quod est rhetoris. Grammaticos ad ea inter enarrandos poëtas, ab his observata, digitum intendit, rhetorique hac cura proludit. Etium *conveniat* scripsisset, non *convenerit*, nisi de eo, quod iam esset factum, egisset. Ita ne mox quidem *ubi — probabilis* de praecepto generali est accipiendum, sed de eo, quod probabiliter factum commendetur in scriptore, quem praelegat Grammaticus.

*Persequi — dixerit*) Cave credas, tam vilium scriptorum lectionem vetari. Id ne memorare quidem attinebat; sed monetur grammaticus, ne forte, dum exponit eas, quas poëta, quem praelegit maxime, tangit historias aut veras aut fabulosas, contemptissimorum hominum de hisce historiis cogitata ad easque facta additamenta cum discipulis communicet. Longe a vero aberrat Gedoynus qui de populorum rebus gestis agi putat,

unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis iactantiae est, et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. Nam qui 19
omnes, etiam indignas lectione, schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt eiusmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipsis, qui composuerunt, satis noti. Nam *Didymo*, quo nemo plura scripsit, accidisse com- 20
pertum est, ut, quum historiae cuidam, tanquam vanae, repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod evenit praecipue in fabulosis usque 21
ad deridicula, quaedam etiam pudenda; unde impro-

Gesn.) *quid quisque unq.* — *Schedas*) Guelf. *scedas*. Controversa est vocis orthographia, quum quidam, ut Charisius pag. Putsch. 81, a *scindendo* scidam malint. Equidem Isidorum, pag. Gothofr. 961, sequar e Graeco repetentem, quum praesertim Suidas habeat σχεδάριον.

*Didymo quo*) Ita Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Voss. 2. Ald. Viart. Gryph. (1544). Ceteri, quorum et Gesn., inserunt *quoque*, alienum ut sponte sentiebam. Si enim *nemo* Didymo *plura scripsit*, non *ei quoque* hoc accidit, sed *ei potissimum debuit* accidere.

easque intelligit *historias*. (Historiam tractat rhetor cf. II, 5, 1). Eodem modo dictas accipio *historias*, quas omnes scire uxorem vetat Iuvenalis VI, 450. *Peccare docentes historias*, Horat. III, 7, 19, 20. Ipse supra I, 4, 4, *historias* ad poëtarum interpretationem pertinere significat. Neque diversae sunt mox I, 9, 6 *narratiunculae*.

*Grammaticorum commentarii*) Puto *comment.* esse quod *schedas*, pugillares, quibus illiuunt quaecumque occurrunt observatu digna; non autem interpretationum libros; quo significatu iam Quint. tempore dictos fuisse *comment.* non credo. ὑπομνήματα graece dicuntur *comment.*, quae solebant interdum in unum aliquem scriptorem condi a Grammaticis.

*Dydimo*) De hoc exponunt Lexica. Id maxime ad nostrum locum facit, quod narrat Athenaeus p. 139 C. καλεῖ τὸν Δίδυμον Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος βιβλιολάθαν, ubi cognomen magnopere convenit historiae hic relatae, sed quae subiicitur ratio, διὰ τὸ πλῆθος ὧν ἐκδέδωκε συγγραμμάτων, parum idonea est, ut malis apud Ath. pro βιβλιολάθαν (vocabulum memini praeterea frequentatum, neque analogice fictum), legere βιβλιοθήκην. Eunapius de Longino: βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος. Apparet autem hac ipsa historia rectissime legi: *vix ipsis — satis noti*, pro quo malim quidam, *satis notis*, ut *notis* referatur ad *impedimentis*. Didymo enim sui ipsius commentarii non satis erant *noti*.

bissimo cuique pleraque fingendi licentia est, adeo ut de libris totis, et auctoribus, ut succurrit, mentiatur tuto, quia inveniri, qui nunquam fuere, non possunt: nam in notioribus frequentissime deprehenduntur a curiosis. Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, *aliqua nescire.*

IX. Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, id est, *ratio loquendi*, et *enarratio auctorum:* quarum illam *methodicen*, hanc *historicen* vocant. Adiiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum rhetorem ca-
2 pientes instituant. Igitur *Aesopi fabellas*, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stilo exigere condiscant: versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari; tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam, et exornare, salvo modo poëtae sensu, permittitur.
3 Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuicunque discendo sufficiet. *Sententiae* quoque, et *chriae*, et *ethologiae* subiectis

*Ethologiae — ethologia*) Guelf. *etilogiae — ethilogia.* Variis modis a recta scriptura aberrant codd. in h. v. quorum aliquot, inter quos est Florentinus, referente Regio, dant *aetiologiae — aetiologia*, male tamen, sine dubio. Eundem errorem e Seneca proscripsit Lipsius apud

*Eorum*) Grammaticorum intellige; etsi eorum diserta nulla mentio; cf. not. exeg. ad I, 5, 1, *examinet.*

*Dicendi primordia*) Ea sunt, quae Graeci doctores progymnasmata appellant, qualia exstant, una cum docendi ratione tradita, Hermogenis, etiam interprete Prisciano, Aphthonii et Theonis.

*Stilo exigere*) Scribendo exprimere, effingere: cf. not. ex. ad I, 5, 2, *exigitur. Stilus* opponitur *sermoni.*

*Etiam difficile*) Fateor me haerere, si *consummatis professoribus* dicitur *difficile* id opus, quod tamen rudi puero iniungi iubetur. Puto igitur ablativum agnoscendum, non dativum, hoc sensu: *vel quum consummatorum professorum institutione aliquis utitur.* Durior tamen fere haec oratio, quam pro Quintiliano.

*Sententiae — chriae — ethologiae*) *Sententia est oratio generalem pronuntiationem habens, hortans aliquam*

dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt; quorum omnium similis est ratio, forma diversa; quia *sententia* universalis est vox, *ethologia* personis continetur. *Chriarum* plura genera traduntur; unum simile sententiae, quod est positum in voce simplici, *Dixit ille*, aut *Dicere solebat:* alterum, quod est in respondendo, *Interrogatus ille*, vel, *Quum hoc ei dictum esset*, *respondit:* tertium huic non dissimile, *Quum quis* non *dixisset*, sed *aliquid*

quem (vid. not. exeg.) antecedit etiam ipsa ea *aetiologia*, quo minus continuo, significatione diversa, ferri possit.

*Quis non dix. sed al. fec.*) Goth. (tac. Gesn.) *quis dix. vel al. fec.* cum Voss. 2, et Ioann. aliisque similia, etsi non eadem, dantibus. Non

*rem, vel deterrens — vel demonstrans, quale aliquid sit.* Priscian. ex Hermogene p. Putsch. 1333: *Quam Graeci χρείαν vocant, est commemoratio alicuius orationis vel facti, vel utriusque simul, celerem habens demonstrationem, quae utilitatis alicuius causa plerunque profertur*, ibid. p. 1332. Ethologiae non tam diserta apud Grammaticos invenitur mentio et definitio. Paulo diversum vocabulum inter progymnasmata recenset Aphthonius: ἠθοποιία ἐστὶ μίμησις ἤθους ὑποκειμένου προσώπου. Eam Priscianus reddit *allocutionem* p. 1340. Haec tamen ad rethoricas figuras magis videtur pertinere, quibus et ipse noster annumerat IX, 2, 58, et IX, 3, 99 ex Rutilio Lupo allatam, apud quem est p. Ruhnk. 66. Et ipsius Aphthonii exempla, rethoris magis sunt quam Grammatici. Memorat Suetonius *ethologias* inter *quaedam institutionum genera, quibus Grammatici eloquentiam praeparaverint*, De illustr. Gram. c. 4, et Seneca epist. 86 descriptionem cuiusque virtutis *ethologiam* a Posidonio vocatam tradit. Sed eae videntur copiosiores fuisse, quam quae intelliguntur a Quintiliano h. l. et plane eaedem atque *ethopoeiae*, quales habemus Libanii Sophistae, Severi Alexandrini et all.

*Ethologia — continetur*) Parum sane cognoscas rem, alias ignotam, ex hac definitione. Accedit, quod, praeter exspectationem, discrimen *sententiae* solum et *ethologiae* ostenditur, *chriae* mentio omittitur. Ceterum idem quod noster de *ethologia*, Hermogenes, quem ipsum edidit Heeren V. C. quum antea ex sola Prisciani interpretatione exstaret, monet de *chria*: γνώμης — διαφέρει (ἡ χρεία) τῷ τὴν χρείαν πεποιηκὸς πρόσωπον ἔχειν, τὴν δὲ γνώμην ἄνευ προσώπου λέγεσθαι: p. 11, Sthück 8, der Bibl. der alt. Lit. Quae repetit fere Aphthonius. Similia habet Isidor. p. Gothofr. 864. Quibus possit adduci aliquis, ut *ethologiam* nonnisi aliud *chriae* nomen credat, modo pro *et ethol.* supra legeretur *seu ethol.*

*Plura genera.* Tria constituit Aphthonius et cum eo Priscianus p. 1332. λογικὸν (orationales usus)

5 *fecisset.* Etiam in ipsorum factis esse chriam putant, ut, *Crates, quum indoctum puerum vidisset, paedagogum eius percussit*; et aliud paene par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt χρειώδες· ut, *Milo, quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat.* In his omnibus et declinatio per eosdem ducitur casus, et tam factorum, quam dictorum ratio est.

6 Narratiunculas a poëtis celebratas, notitiae causa, non eloquentiae, tractandas puto. Cetera maioris operis ac spiritus Latini praeceptores relinquendo necessaria grammaticis fecerunt; Graeci magis operum suorum et onera et modum norunt.

spernenda loci constitutio, etsi recepta praestat, quam tuetur solus, ni fallor, Guelf.

*In ipsorum factis*) Ita Guelf. Turic. Goth. (tac. Gesn.) et codd. ad unum omnes (nisi quod tacetur Bern.) et edd. vett. pleraeque. Recepta, *ipsis* pro *ipsorum*, est e coniectura Regii, plane inutili, vid. not. exeg.

*Praeceptores*) Ita Guelf. Turic. et codd. omnes, nisi quod silentur Ioann. et Bern. Regius in Florentini textu *oratores* legi narrat, in eiusdem margine *praeceptores*, quod ipse mutavit in *rhetores*, nulla necessitate, quum praesertim infra II, 1, 1 legatur, *praeceptoribus eloquentiae Latinis — Graecis.* Regii coniecturam receperunt plurimae edd., recentiores quidem omnes, quum vett. aliquot nostram scripturam tueantur.

πρακτικὸν (activi) μικτὸν (mixti). Subiicit tamen Prisc. «Traduntur tamen differentiae usuum plures a veteribus.» Alii enim sunt *indicativi* alii *interrogativi*.

*Ipsorum factis*) H. e. in eorum, quorum auctoritas est in chria; non illorum modo, quos ii compellarunt: Crates percutiens paedagogum ipse agendo chriae auctor est factus.

*Crates — percussit*) Aphthonius: Διογένης (ut et apud Plutarch. loco nunc non succurrente, it. ap. Theonem p. Cam. 54, non Crates) μειράκιον ἰωραϊκὸς ἀτάκτοϋν, τὸν παιδαγωγὸν ἔπαισεν. Eadem habet Hermog. l. c. p. 10. Hic tamen alii generi assignat, videl. τῷ μικτῷ, subiectis hisce: ἐπεπὼν· τί γὰρ τοιοῦτα παιδεύει; Elegantior profecto Quintiliani ratio.

*Declinatio — ducitur*) Huius praecepti exemplum praebet Diomedes p. Putschii 289 ubi eandem Chriam deducit per omnes casus utriusque numeri. *Per eosdem* sic intellige, ut non *activae* chriae ullus magis proprius casus dicatur esse, quam ceterarum.

*Ratio est*) H. e. reddi potest. Hoc monuit ne forte quis crederet *activis* chriis minus bene subiici posse rationem, quam *orationalibus*.

*Narratiunculae*) Hoc quidem loco perscribi a discipulis eae iubentur.

X. Haec de *Grammatica*, quam brevissime potui, non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat; sed ut maxime necessaria: nunc de ceteris artibus, quibus instituendos, prius quam tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subiungam, ut efficiatur orbis ille doctrinae, quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocant. Nam 2 iisdem fere annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt; quae, quia et ipsae artes sunt, et esse perfectae sine orandi scientia non possunt, nec rursus ad efficiendum oratorem satis valent solae; an sint huic operi necessariae, quaeritur. Nam quid, in- 3 quiunt, ad agendam causam, dicendamve sententiam

*Haec de*) Goth. non, ut refert Gesn., *Quae de*, sed *Naec quae de*, prius ex errore miniatoris. — ἐγκύκλιον παιδείαν) Guelf. ἔγκυκλον *pediam*: cum Turic. et Alm. sed hi latt. litt. *encyclonpedian* per *n*. Plerique ἐγκυκλοπαιδείαν. Sed Gesn. recte ex Goth. receptam, quo modo scriptores Graeci et Latini fere solent vocare rem, de qua agitur.

*Perfectae sine orandi scientia non possunt*) Ita Guelf. Turic. Goth. cum Iens. (tac. Gesn.) et codd. puto omnes, (etsi tacentur a conferentibus Bal. Voss. 2, 3, Bern.) et edd. vett. plerique. Recentiores quidem omnes, miro contra codd. obsequio, recepernnt meram Regii coniecturam: *perfecta sine his orandi scientia non potest*. Si liceret, quod non licet, ita grassari in codd. scripturas, melior saltem debebat erui sententia. Nam, si sine his artibus orandi scientia non potest esse perfecta, ne quaeri quidem potest, an sint huic operi necessariae. Neque est, quod §. 11, *ac sine — eloquentia* huc trahas. Illa nova est sententia, et differt *eloquentia* ab *orandi scientia*. Si quid morer in toto hoc loco,

*Studia*) Debebat proponi coniectura Klotzii lenissima et quae vehementer blandiatur: *stadia*, nescio an vera. Recte auctor eo loco ubi suadet emendationem (in edit. Tyrtaei 1767, p. 71) ablegat ad Broukhusii notam Propert. III, 20, 25, cui et ipsi reddidit hic *stadiis*, pro *studiis*, cum idonea exemplorum auctoritate. Sed locum Ciceronis, qui paene conficiat rem habes, de Or. I, 32 extr. *ii qui ingrediuntur in stadium*, ubi ante Lambinum legebatur *studium*. Vide an paulo ante de Or. I, 30 extr. recte mutem *in isto stadio* Aliquot eiusdem confusionis exempla e scriptoribus ecclesiasticis affert Morelius in *Elémens de critique* pag. 81 (à Paris 1766, 8). Spald. *in praef. p.* 79.

*Quia et ipsae — valent solae*) Videtur enim a recta ratione abhorrere, artem, quae non sit alterius pars, sed ipsa suis limitibus circumscripta, necessariam credere alteri arti. Quamquam ipsius adeo Grammatices necessitati hoc possis obvertere; sed ea nimis coniuncta est cum eloquentia.

pertinet, scire, quemadmodum in data linea constitui triangula aequis lateribus possint? Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, qui citharae sonos nominibus et spatiis distinxerit? Enumerent etiam fortasse multos, quamlibet utiles foro, qui nec Geometren audiverint, nec Musicos, nisi hac communi voluptate aurium, intelligant. Quibus ego primum hoc respondeo, quod et M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum a nobis institui oratorem,

illud sit: *quia et ipsae artes sunt*, de quo egi in not. exeg. — *In data*) Ita Guelf. nec est quod *in* abiiciamus cum aliquot codd. ut Turic. (qui et *ducta* cum Alm.) et edd. Etiam Euclides ait ἐπὶ τῆς δοθείσης — εὐθύγραμμον. *Data* autem non abest a Goth., ut male Gesnerum intellexit Harles.

*Geometren*) Ita Guelf. recte, ut et Capp. et Gesn. et pleraeque vett. edd. Burm. *Geometrem* male, qui et in Iuvenalis versu III, 76, *geometer* scribi vult, contra metrum. Habet tamen *Geometrem* Goth. (tac. Gesn.) et aliquot edd. ut Aldus et recentiores. — *Audiverint*) Guelf. *audiverunt;* cum aliquot codd. et plurimis edd. vett. male, quum sequatur *intelligant*, quod nemo sollicitat. — *Quod et M.*) Guelf. *quo M.* Malim prope *etiam* pro *et M.* neque enim solet praenomen in *Cicerone* usurpare Qu.; quum *Tullium* nominat, saepe addit. Cf. XI, 3, 8, ubi eandem fortasse tentes mutationem. — *Quod et M. Cicero* Cf. ad not. crit. etiam III, 8, 42, et III, 11, 18, ubi pro *etiam Cic.* Turic. *et Cic.*

*Non eum*) Guelf. *non enim*, cum Bern. Voss. 1, 3, Ienson. Locat. Venet. Rusc. quod placet Gesnero. Tum sic est interpungendum: *testatur; non enim* etc. Inest tamen aliquid scabri.

Praeterea ne dilucide quidem ipsae possunt doceri hae artes, si orandi plane rudis homo tractet eas, ut quivis artifex etiam orandi scientia indigeat, quam in sententiam apud Ciceronem Antonius (de Orat. II, 9) disputat. Denique si maxime eas teneas omnes, non eae vicissim (*rursus*, quasi gratiae referendae modo, pro eo beneficio, quod acceperint ab orandi scientia) satis instruunt oratorem, sed multa praterea ei sunt necessaria ad perficiendum opus suum. Sic videor scripturae Codd. probabilem reddidisse rationem, nullis eruditorum coniecturis indulgens. Vid. not. crit.

*Sonos nominibus — spatiis*) Nomina sunt ὑπάτη, παρυπάτη, μέση, νήτη etc. *Spatia*, varie intercipiendo monochordo existunt et varios reddunt sonos. Rem musicam veterum tirones adumbratam legant apud Bartholomaeum in Anacharside tom. III, c. 27.

*Cicero — ad Brutum*) Talia *in Oratore* (eum enim librum intelligit Qu.) sunt haec c. 1: *talem informabo, qualis fortasse nemo fuerit.* C. 29: *Nemo is*, inquies, *unquam*

qui sit, aut fuerit; sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. Nam et sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, et (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione caelestium vel mortalium putant instruendum; sed per quaedam parva sane, si ipsa demum aestimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates; non quia *Ceratinae* aut *Crocodilinae* possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter oratorem (qui debet esse sapiens) non Geometres faciet, aut Musicus, quaeque his alia subiungam; sed hae quoque artes, ut sit consummatus, iuvabunt. Nisi forte antidotum quidem, atque alia, quae morbis aut vulneribus medentur, ex multis, atque interim contrariis quoque inter se effe-

*Instruendum*) Sic Guelf. Turic. Ioann. Bal. Voss. 1, 3 et edd. Sich. et Obr. it. marg. Basil. Ceteri *instituendum* ut et Gesn.

*Antidotum*) Guelf. *Antidotus*, cum Alm. Quos hi sequebantur, graece videntur dedisse ἀντιδότους et est sane apud Graecos fere femininum (ἡ ἀντίδοτος) quod itidem Latinis etiam frequentius neutro. Et potest vel hic intelligi femininum.

*Quae morbis*) Guelf. et Turic. *q. oculis;* cum omnibus fere codd. nisi quod tacentur Alm. Voss. 1, 2, 3, et Bern. Vnde sit recepta, equidem non dicam. Aldus quidem videtur primus dedisse. Codd. auctoribus factis, nemo non arripiat *morbis*, quum *vulnera* protinus ita subiuncta *oculis* magnopere offendant legentem. Nunc quomodo tam constanter codd. potuerint tueri errorem, si est error, vix aliquis comminiscatur. Malui tamen retinere expeditam edd. scripturam. Quamquam *oculorum* collyria varie composita multa vel Celsus memorat lib. IV, cap. 6.

*fuit. Ne fuerit.* Simili ratione noster I, Prooem. 18: *qualis adhuc fortasse nemo fuerit.*

*Ceratinae — Crocodilinae*) Κερατίνην inter captiosas Megaricorum quaestiunculas recenset Diogen. Laërtius II, 108. *Crocodilinae* nomen ipsum quidem non invenio, nisi quod *Crocodiliten* appellat Graecus Aphthonii enarrator, res frequentata apud scriptores, quam vel Lexica enarrant. Vide in primis Menagium ad l. c. Diogenis.

*Sapientem — falli*) Sext. Emp. p. Fabr. 378. (ὁ σοφὸς) ἐπιστήμην εἶχεν ἀληθῶν καὶ οὔποτε ψεύσεται. Stoicorum autem in primis iste est sapiens.

*Antidotum*) Notum est, quam multis variisque herbis vel hodie componi dicatur theriaca.

ctibus, componi videmus, quorum ex diversis fit illa mixtura una, quae nulli earum similis est, quibus con-
7 stat, sed proprias vires ex omnibus sumit; et muta animalia mellis illum inimitabilem humanae rationi saporem, vario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil praestantius homini dedit providentia, pluribus artibus eget; quae, etiam quum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggèrunt, et tacitae quo-
8 que sentiuntur. « Fuit aliquis sine his disertus: » at

*Diversis*) Guelf. *diversa* cum Voss. 1, 3. — *Inimitabilem*) Guelf. *imirabilem*, ut videatur voluisse *immirabilem*, nisi est merus error. — *Tacitae*) Gesn. cum plurimis *tacite*. Codd. quidem in talibus nulla auctoritas, quum *e* frequentissime praeferant pro *ae*. Cod. Alm. tamen et Ald. Baldiusque it. Basil. mecum faciunt. Quod *tacite sentitur* id cum sentientis silentio sentitur; cuius quidem sententiae equidem sensum hic nullum video; contra quod *tacitum sentitur*, id sentitur etsi vocem non mittens. Apte autem dicentur *tacere* eae artes, quae *se non ostendunt*, *nec proferunt*. Etiam Francius, non magnus ceteroquin auctor, hanc scripturam commendat.

*Nulli earum*) Quo respiciat *earum*, non facile dixeris. Equidem mihi persuadeo, modo inter *effectibus* et *componi* excidisse *herbis*, aut simile quid, quum male putaret librarius pendere ablativum *effectibus* a praepositione *ex* ante *multis*: ἡ ἀντίδοτος, inquit Alexander Aphrodisiensis, ἐκ πλείστων βοτανῶν σύγκειται p. 268, ed. Aristotelis Sylburg. vol. V. Deinde pro *quorum* scribatur *quarum* necesse est. Sine hac vel alia mutatione locum expediri posse equidem non credo; neque tamen ullus Codex adiuvat, quum ne in *earum* quidem sit varietas, pro quo facile exspectare poteras *eorum*.

*Et muta animalia*) Quum animalia cetera homine deteriora ostendantur, solent appellari *muta* a scriptoribus, qua voce, praeter loquelae defectum, etiam rationis, significatur. Cf. II, 16, 16, ubi itidem mellificium *nobis inimitabile* vocat *opus*. Etiam Declamm. Qu. pag. 263: *Hoc* (apum opus) *nostra ratio — imitari non potuit*.

*Nos mirabimur*) *Nos* voce pleniore est sonandum, et tota periodus, a *Nisi forte* inde, pronuntiatione adiuvanda. Male enim Badius *quum* volebat inseri inter *forte* et *antidotum*. Clarius graece dixeris: τὰς μὲν ἀντιδότους — ὁρῶμεν — ἡμεῖς δὲ θαυμάσομεν —. Μὲν expressit Qu. *quidem* dicendo, δὲ latinus sermo parum habebat, quo modo redderet h. l. Opponuntur autem medicamina et mel, orationi.

*Tacitae*) Vid. not. Crit.

ego oratorem volo. « Non multum adiiciunt; » sed utique non erit totum, cui vel parva deerunt: et optimum quidem hoc esse conveniet, cuius etiamsi in arduo spes est, nos tamen praecipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? Natura enim perfectum oratorem esse non prohibet, turpiterque desperatur, quidquid fieri potest. Atque ego vel iudi- 9
cio veterum poteram esse contentus. Nam quis ignorat Musicen (ut de hac primum loquar) tantum iam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates et sapientes iudicarentur (mittam alios) *Orpheus* et *Linus*, quorum utrumque diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse, posteritatis memoriae traditum est. Et Tima- 10
genes auctor est, omnium in literis studiorum anti-

*Vtique*) Guelf. *aeque* et sic fere receptum ut a Gesn. Habeo tamen auctores Goth. Turic. Alm. Bodl. et sat multas edd. vett. neque vidi, quare diutius textu prohiberem scripturam longe aptiorem, et VV. DD., etiam Gesnero, probatam. Simili plane significatu VI Prooem. 4: *si non meo casu — at illorum certe, quos utique immeritos — damnavit*; ne forte credat quis *utique* nihil aliud nisi *praesertim*, cui hic nullus locus. *Aeque* qui defendat, intelligat haec: *aeque — quam cui magna*. Sed itane licet integram sententiam intelligendam relinquere?

*Veterum poteram*) Guelf. *veterum poëtarum poteram*, solus quantum video. Poterat blandiri scriptura: cur enim exciderit *poëtarum* facilius intelligas, quam unde irrepserit. Obstat tamen sententia; nam hoc, quod sequitur, non ex *poëtarum* locis repetit, sed ex pervulgata opinione.

*Traditum est. Et Timagenes*) Guelf. *trad. est. Itaque imagines auctores sunt. Et Timagenes*. Alienissimum emblema verae scripturae locum occupavit in cod. Palatino membr., ut refert Gebhard. quem opor-

*Iidem — Orpheus et Linus*) Subiectum sententiae sunt *Orph.* et *Lin.*, praedicatum *musici et vates et sapientes*. Aliter structuram non expedias. *Orpheum* et *Linum* similiter iungit Virgilius Ecl. IV, 55 — 57; et scriptor Dialogi de corrupt. eloq. c. 12.

*Timagenes*) Fuit hic amicus Asinii Pollionis, nostro etiam infra commemoratus X, 1, 75, ob libertatem sermonum Caesari Augusto invisus, clarus autem historiis scribendis, de quo est consulendus L. Seneca de ira lib. III, c. 23, et M. Seneca Controv.

quissimam Musicen exstitisse: et testimonio sunt clarissimi poëtae, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virgilii nonne canit:

— *errantem Lunam, Solisque labores?* etc.

Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam. Quod si datur, erit etiam oratori necessaria. Siquidem (ut diximus) haec quoque pars, quae, ab oratoribus relicta, a philosophis est occupata, nostri operis fuit, ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia. Atque claros nomine sapientiae viros, nemo dubitaverit studiosos musices fuisse; quum Pythagoras, atque eum sequuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem, vulgaverint, mundum ipsum eius ratione esse compositum; quam postea sit lyra imitata. Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant ἁρμονίαν, sonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato, cum in aliis quibusdam,

tebat tam praeposterae lectioni non favere. Turic. *trad. est. Itaque et imagines auctores sunt, omn.* Baliol. et Alm. coniunctioni *et* antevertunt *Itaque*, ceterum relinquentes receptam. Hoc *itaque* unde solum se insinuaverit, non est dictu facile. Ipsum, quod inseritur ortum puto ex interpretamento marginali eius, qui male in textu legeret *et imagines auctores* pro *et Timagenes auctor est*, quod proclive erat in minus noto nomine. Cf. de glossemm. not. ex. ad I, 7, 28, *quia tam — sacris apparet.*

XXXIV, p. Bip. 363. Multa de eo collegit Vossius de Histor. Graecc. l. I, c. 24.

*Apud quos — canebantur*) Equidem in hoc loco, quem eodem modo dant omnes libri, magnopere haereo, quum praeteriti temporis in *canebantur* probabilem rationem reddere plane non possim. Nimirum praesenti unice erat opus, neque tamen ullus Codex ostendit, *cantantur*. Phemius autem et Demodocus et Iopas nonne etiamnum canunt in Homeri et Virgilii operibus? *Apud quos*, si quis ita interpretetur, ut significet: *quibus auctoribus, narrantibus*, vereor ut consentientem habeat usum loquendi.

*Virgilii*) Aen. I, 746.

*Ut diximus*) Prooem. 14.

tum praecipue in Timaeo, ne intelligi quidem, nisi ab iis, qui hanc quoque partem disciplinae diligenter perceperint, potest. Quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates iam senex institui lyra non erubescebat? Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse traditum, et exercitus Lacedaemoniorum musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubae faciunt? quorum concentus quanto 14

*Quanto — tantum*) Ita Guelf. nisi quod ante *tant.* inserit *non*, per errorem. A Gryphio inde dant *quanto — tanto*, ut et Gesn., quum vett. mecum faciant, quo accedunt multi codd. Goth. et Venet. *quantum — tantum.* Solent in iis *quanto*, *quantum*; *tanto*, *tantum*; *multo*, *multum*; fluctuare codd. ut ad IX, 2, 68, et X, 1, 86, etiam Goth. et Guelf. Sed nostram loci huius constitutionem defendit geminus Livii locus VI, 38, 5: *quum — quanto — potentior erat, tantum vinceretur*; vide Drakenb. ad V, 10, 5. Mecum et Obr.

*In Timaeo*) Intelligit locum, ubi Deus in condenda mundi anima rationem musicorum fere intervallorum sequutus fingitur; ed. Steph. vol. III, p. 35, 36; Bip. vol. IX, p. 313, 14; in Ciceronis Versione vol. Ern. IV, P. 2, p. 1111, 12. Musicae scientiam hoc ipso loco prodidisse Platonem, narrat Plutarchus de Musica p. 1138, 39, qui et ipse ψυχογονίαν illam Platonicam meris musices rationibus explicat p. 1012 seqq. Musicam praeterea in Timaeo tangit pag. Bip. 339; Steph. 47; et p. B. 381, Steph. 67. Copiose eandem tractat Plato in Rep. lib. III, p. Bip. 285. — 296; Steph. vol. II, p. 398 — 403; it. Phileb. Bip. vol. IV, p. 221; St. II, 17. Ceterum propter obscuritatem in proverbium abierunt Platonis in Timaeo numeri. Cic. ad Att. VII, 13, ubi pro *numero* MSS. *Timaeo*, et de Finib. II, 5.

*Fons — Socrates*) Eodem modo Cicero de Orat. I, 10: *Philosophorum greges, — ab illo fonte et capite Socrate.* Rem, praeter alios, narrat Diog. Laërt. II, 32: καὶ λυρίζειν ἐμάνθανεν ἤδη γηραιός (ex eleganti coniectura Menagii). μηδὲν λέγων ἄτοπον εἶναι, ἃ τις μὴ οἶδεν ἐκμανθάνειν. Paulo facetius, cum aliis, Suidas: ὀψιμαθὴς μᾶλλον ἢ ἀμαθής. Cato ille Ciceronianus (de Sen. c. 8) et ipse ait se audisse, Socratem senem fidibus didicisse. Magister quidem Socratis fuit Connus, non Lamprus, ut erudite disputat magnus Lessingius, Leben des Sophocles p. 37 sqq.

*Duces maximos*) Velut Epaminondam, de quo hoc memorat Nepos aliquoties, et Alcibiadem apud Platonem Alc. I, p. Biest. 107. Athenaeus p. 184 multos recenset claros viros, qui tibiis et fidibus calluerint. De Alcibiade repudiante tibiarum cantum, quo ipso, quantopere in usu fuerit, apparet, nota historia apud Plutarch. p. 192. D. E.

*Exercitus Laced.*) Xenoph. de

est vehementior, tantum romana in bellis gloria ceteris
15 praestat. Non igitur frustra Plato civili viro, quem πολιτικὸν vocant, necessariam musicen credidit. Et eius sectae, quae aliis severissima, aliis asperrima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent, sapientum aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos. Et Lycurgus, durissimarum Lacedaemo-
16 niis legum auctor, musices disciplinam probavit. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse; siquidem et remigem cantus hortatur; nec solum in iis operibus, in quibus plurium conatus, praeeunte aliqua iucunda voce, conspirat; sed etiam singulorum fatigatio quam-
17 libet se rudi modulatione solatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimae videor, nondum tamen eam oratori coniungere. Transeamus igitur id quoque, quod grammatice quondam ac musice iunctae fuerunt. Si-

*Et Lyc.*) Guelf. *Et* omittit, cum pluribus codd. et vett. edd. male.

Rep. Laced. p. Leoncl. 689, R. ὅταν — ὀρώντων ἤδη τῶν πολεμίων χέμαιρα σφαγιάζηται, αὐλεῖν τε πάντας τοὺς παρόντας αὐλητὰς νόμος, καὶ μηδένα Λακεδαιμονίων ἀστεφάνωτον εἶναι. Thuc. V, 70: Λακεδαιμόνιοι — βραδέως (χωροῦντες) καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεστώτων· οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προέλθοιεν, καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις; it. Luc. de Saltat. Bip. vol. V, p. 130.

*Vehementior*) Illis tibiarum, aliisque sonis.

*Quem — vocant*) Nempe Graeci. Sic Cic. de Finib. V, 23: *civile ac popularе, quod Graeci* πολιτικὸν *vocant.*

*Eius sectae*) Stoicos plane intelligit, quorum diserta in hanc sententiam loca VV. DD. non invenerunt. Chrysippus in plurimis iis, qui interciderunt, libris eiusmodi quid profecto tradidit. Cf. §. 32.

*Lycurgus — probavit*) Ὁ γὰρ Λυκοῦργος παρέζευξε τῇ κατὰ πόλεμον ἀσκήσει τὴν φιλομουσίαν, ὅπως τὸ ἄγαν πολεμικὸν τῷ ἐμμελεῖ κεράσθειν συμφωνίαν καὶ ἁρμονίαν ἔχῃ. Plutarch. Laconic. Instit. p. 238 B. Multum et ab hac parte detrahit Lacedaemoniorum famae Pavius Rech. sur les Grecs vol. II, p. 331, 32 partim vere, partim cupide.

*Grammatice — ac musice*) Magis originem vocis sequebantur veteres, quum μουσικὴν appellabant quidquid menti eruditae inserviret, sicut corporis exercendi ars vocabatur γυμναστική. Saepe tamen tria instituendae iuventutis memorantur genera,

quidem Archytas atque Aristoxenus etiam subiectam grammaticen musicae putaverunt; et, eosdem utriusque rei praeceptores fuisse, quum Sophron ostendit, mimorum quidem scriptor, sed quem Plato adeo probavit, ut suppositos capiti libros eius, cum moreretur, habuisse tradatur; tum Eupolis, apud quem Pro- 18
damus et musicen et literas docet; et Maricas, qui est

*Tradatur*) Ita Goth. cum socio fere indivulso Voss. 2, et plerisque vett. edd. Ceteri quidem codd. videntur dare *credatur*, quod et Guelf. praefert. Sic fere edd. recentiores, ut Gesn. Facillimus error librariorum; vid. Duk. ad Liv. X, 5, 14. Mihi quidem *credatur* non nisi contortam interpretationem videtur admittere. Val. Max. VIII, 7, in eadem historia *fertur*, non *creditur*.

velut a Xenophonte de Laced. repub. p. Leoncl. 676, D. πέμπουσιν εἰς διδασκάλων, μαθησομένους καὶ γράμματα, καὶ μουσικήν, καὶ τὰ ἐν παλαίστρᾳ.

*Archytas — Aristoxenus*) Alterius omnia interciderunt scripta, alterius nonnisi tres harmonicorum elementorum libri sunt superstites. Archytae, viri reipublicae administrandae pariter ac philosophiae laude clari, memoratur a veteribus liber, inscriptus ἁρμονικόν, ubi fortasse hoc legebatur. Aristoxenus in ipso operis servati initio: τῆς περὶ μέλους, ait, ἐπιστήμης πολυμεροῦς οὔσης κ. τ. λ. quae narrat Meibomius in quibusdam excerptis Musicis sic immutata legi: τῆς μουσικῆς ἐπιστήμης κ. τ. λ. ut possit videri vel hoc ipso latum musices ambitum, quo et grammatica contineretur, demonstrasse. Paulo infra p. 2, ipse commemorat τὰ ἔμπροσθεν, quod de libris, περὶ Μουσικῆς, interpretatur Meibomius, in quibus omnem Musices materiam exposuisse Aristoxenus est putandus, et ea quoque docuisse, quae hic memorat Qu. Suspicatur tamen Jacobus Morellius, qui nuper (1785) ex bibliotheca D. Marci Veneta primus edidit *Aristoxeni Rhythmicorum elementorum fragmenta*, huius potissimum operis esse locum, quo respiciat Qu.

*Plato — habuisse tradatur*) Menagius ad Diogenem Laërt. lib. III, seg. 18 plurimos affert scriptores idem narrantes. De Sophrone, qui egerint, multos recenset Fabricius ab Harlete auctus vol. II, p. 493 seq. Mirum, ni Quintilianus h. l. *probarit* scripsit potius quam *probavit*. Sed hoc est in omnibus libris.

*Prodamus — Maricas*) *Prodamus* an appellata fuerit ipsa Comoedia, quae est Meursii opinio, dubitari potest; persona fortasse fuit alius drammatis. *Maricam* autem ipsum comoediae Eupolidis nomen fuisse constat; inter scriptores. Meminit eius Aristophanes Nub. vers. 553, qui et ipse significat, in Hyperbolum, pessimum demagogum, scriptam esse Fabulam. Hyperboli, cuius in nequitia rei publicae administrandae decessor fuerat Cleon, «improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt», ut ait Cicero Brut. c. 62,

Hyperbolus, *nihil se ex musicis scire, nisi literas*, confitetur. Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrum, in *Hypobolimaeo*, senex, reposcenti filium patri velut rationem impendiorum, quae in educationem contulerit, opponens, psaltis se et geometris multa

*Senex, reposc.*) Guelf. inserit *qui*, cum Turic. et plerisque codd. et vett. edd. Displicet haec ratio, ubi *senex* hic Menandricus *demonstrat* etc. Et videntur aliquot codd., qui non memorantur, receptae vindices esse. — *Contulerit*) Ita Guelf. Alm. Voss. 3, et Obr. Ceteri, ut Gesn., *contulerat*.

*Opponens*) Multi hoc dant codd. Adsunt tamen Turic. Alm. Bodl. et sat multae edd. vett. ut Andrean. Ald. ostendentes *exponens*, quod facilius intelligas: Nisi quod *opponens* interpretari possis: *vicissim exponens*, pro ista repetitione.

Loca Aristophanis, ipsa plurima, exhibet Index Brunkii. Etiam Thucydides Hyperbolum vocat lib. VIII, c. 73: μοχθηρὸν ἄνθρωπον, ὠστρακισμένον — διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως, et Lucianus ipsum et Cleonem, tanquam improbissimorum hominum exempla, ad partes vocat. Timon. Bip. vol. I, p. 100, ubi vide Hemsterhusium.

*Aristophanes — libro*) Rectissime Gesnerus haeret in voce *libro*. Quin enim de Comico agatur Aristophane, dubitari nequit. De fabularum scriptore autem quis *libros* usurpat? Consentiunt in receptam omnes et Codd. et edd. Sed ego Gesneri coniecturam *loco*, verissimam puto, ut et Gedoynus reddidit: « en plus d'un endroit. » Similis error est ad II, 21, 13, Cod. Voss. 3tii, pro *primo libro* vicissim dantis *primo loco*; it. III, 6, 59. Iam ubi hoc demonstret Aristophanes, insignis est locus Equitt. v. 188, 89: οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι Πλὴν γραμμάτων. Vides ipsa ea, quae ex Eupolidis Marica modo afferebat noster, verba. An immemor erat Qu., ubi haec legisset? Non puto: sed Aristophanis scrinia compilavit Eupolis, si verum est crimen ab illo in hunc coniectum Nubb. vs. 553, 54: Εὔπολις — τὸν Μαρικᾶν — παρεῖλκυσεν Ἑκατρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακῶς κακῶς. Vt Cleonem in Equitt. Aristoph., sic in Marica Eupolis Hyperbolum sugillavit dicta illius furatus; nisi quod vicissim criminatur Eupolis apud Scholiast. Arist. Nub. 552. Ceterum eodem Aristophanis loco v. 193: τῷ μουσικῷ ἀνδρὶ opponitur ὁ ἁμαθής, et Rann. 728, 29: καλοί τε κἀγαθοί sunt οἱ τραφέντες ἐν παλαίστραις καὶ χοροῖς καὶ μουσικῇ.

*Menandr. in Hypobolimaeo*) Inscripta erat eadem fabula ἀγροικος, et sunt eius nonnisi pauca fragmenta a scriptoribus servata, quae ingeniose, praeter alios tractat Toupius in Emendatt. ad Suid. p. (ed. Lips.) 335 seq. et Epist. Crit. p. 31 seq. Duplicis autem tituli rationem probabilem sic reddi posse opinor, si is, qui in nobiliorem gentem parentum fraude est suppositus, mira rusticitate ortum suum prodat, cuius argumenti sunt Francogallorum Comoediae.

dicit dedisse. Vnde etiam ille mos, ut in conviviis post 19
coenam circumferretur lyra; cuius quum se imperitum
Themistocles confessus esset, ut verbis Ciceronis utar,
*habitus est indoctior.* Sed veterum quoque Romano- 20
rum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Versus
quoque Saliorum habent carmen: quae quum omnia
sint a Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne
illis quidem, qui rudes ac bellicosi videntur, curam
musices, quantam illa recipiebat aetas, defuisse. De- 21
nique in proverbium usque Graecorum celebratum est,
*Indoctos a Musis atque a Gratiis abesse.* Verum quid 22
ex ea proprie petat futurus orator, disseramus. Nume-
ros *musice* duplices habet, in *vocibus*, et in *corpore:*
utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur.
*Vocis rationem* Aristoxenus musicus dividit in *ῥυθμὸν*

*Ciceronis*) Tuscul. Disputatt. I, 2; cf. de more canendi in conviviis eund. lib. IV, 2.

*Habent carmen*) Suspiceris hic *carmen* significare modos musicos, nisi forte quidquid metro constrictum esset, fidium et tibiarum concentui destinatum putavit Qu. *Carmen* autem, sive metrum, quod haberent versus Saliorum, erat vetus illud Saturnium, solum usurpatum Romanis, antequam heroo versu eos donasset Ennius. Versum Saturnium constare dimetro iambico catalectico, et ithyphallico, seu tribus trochaeis, ingeniose docet larga exemplorum copia Hermannus de metris p. 403 seqq., qui tamen idem eius metri summam et plane horridam licentiam ostendit. At vide §. 32: *suum quoddam carmen*, quo fit item verisimile, *carmen* dici pro *modis musicis.*

*Proverbium — Graecorum*) Quale hoc proverbium esset, apud Paroemiographos aliosque scriptores diserte traditum non inveni. Zenobius quidem et Diogenianus inter proverbia recensent: Ἀειβηδρίων ἀμουσότερος, sed hoc rem non conficit, neque tot alia scriptorum loca, ubi Musarum et Gratiarum consortium hominibus doctis tribuitur. Camerarius unde sua haberet neque ipse dixit, neque alii quaesiverunt, et potest videri de suo commentus ea. Scribit autem haec: «Ἀμουσοι enim dicebantur καὶ χαρίτων θέιχα» quibus mox, velut indignabundus, subiicit «ἢ οὐκ οἶδ' ὅ, τι.». Postrema Gesnerus male accepit pro parte proverbii. Appositissimum ad Quintiliani sententiam est Plutarcheum illud, quod refert Erasmus, in vita Romuli pag. 26 B. de Sextio Sylla Carthaginiensi οὔτε μουσῶν οὔτε χαρίτων ἐπιδεὴς ἀνήρ. Sed poterat sic loqui etiam, qui proverbium tale ob oculos non haberet. Fortasse Qu. nonnisi de vocabulis istis tritissimis Graeci sermonis ἄχαρις, ἄμουσος, cogitavit.

*Aristoxenus — ἔμμετρον*) Non est iste locus inter reliquias Aristoxeni.

et *μέλος ἔμμετρον*; quorum alterum *modulatione*, *canore* alterum ac *sonis* constat. Num igitur non haec omnia oratori necessaria? quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, [23] qui sunt in agendo quoque plurimi, pertinet. Nisi forte in carminibus tantum et in canticis exigitur structura quaedam et inoffensa copulatio vocum, in agendo supervacua est; aut non compositio et sonus in oratione quoque varie, pro rerum modo, adhibetur, sicut in [24] musice. Namque et voce et modulatione grandia elate, iucunda dulciter, moderata leniter canit; totaque arte [25] consentit cum eorum, quae dicuntur, affectibus. Atqui in orando quoque intentio vocis, remissio, flexus, pertinet ad movendos audientium affectus: aliaque et collocationis et vocis (ut eodem utar verbo) modulatione concitationem iudicum, alia misericordiam petimus; quum etiam organis, quibus sermo exprimi non potest, [26] affici animos in diversum habitum sentiamus. Corporis

*Canore alterum*) Sic verba collocant Goth. et Iens. (tac. Gesn.) cum plerisque vett. edd., et concinnior videtur ratio, quum praesertim mox *alterum* denuo in fronte compareat. Gesn. et recc., *alterum canore*.

Quod autem adiectivum ἔμμετρον addidit voci μέλος (si addidit, abest enim ab Alm. Bodl. Turic.), id poëseos fortasse causa fecit, cui plerumque inservit vox. Est etiam talis ap. Aristidem Quintilianum (p. Meib. 2, vol. II) divisio: περὶ μὲν γὰρ μελῳδίαν ἁπλῶς ἡ ποιὰ φωνή. περὶ δὲ ῥυθμὸν ἡ ταύτης κίνησις· περὶ δὲ τὴν λέξιν τὸ μέτρον.

*Haec omnia*) *Omnia* dicuntur, quas adhuc tetigit, musices partes, quae sunt tres: rhythmus in corpore, *qui pertinet ad gestum*, rhythmus in vocibus (*ad collocationem verborum*), melos (*ad flexus vocis*).

*Compositio et sonus*) Fateor me haerere in vocabulo *compositio*. Quid enim differt haec ab illa, quam modo tetigerat, *copulatione*? Etiamsi abesset *compositio*, ferri posset *et* ante *sonus*.

*Canit*) *Musice* intelligitur, quae *canat*, ne quis forte iam haec ad *orationem* trahat, quod etiam vetat *Atqui*, protinus sequens. *Quae dicuntur* sunt poëtae verba, ἡ λέξις, cui accinit musice.

*Vt eodem utar*) Vtrius verbi iteratum usum excuset, *vocis* an *modulationis*, non certo dicas. Puto tamen *modulationis*, quam modo *voci* opponebat (*et* voce *et* modul.) nunc ipsi quoque voci tribuit.

quoque decens et aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius, nec aliunde peti potest; in quo pars actionis non minima consistit: qua de re sepositus nobis est locus. Age, si habebit in primis curam vocis 27
orator, quid tam musices proprium? Sed ne haec quidem praesumenda pars est: ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi, praecipui suorum temporum oratoris, cui concionanti consistens post eum musicus, fistula, quam τονάριον vocant, modos, quibus deberet intendi, ministrabat. Haec ei cura inter tur- 28

*Aptus motus*) Quae placebat Gesnero Gothani scriptura *modus*, ea iam ab ipso librario correcta fuit in receptam. Neque aliunde ostenditur *modus*. — Εὐρ. *est*) Turic. cum Alm. et Ald. ins. *et*; eleganter, resp. ad *nec*. — Τονάριον) Ita et Guelf. cum Turic. sed latt. litt. Cangius in glossario lat. *Tonarium* libri nomen affert, masc. gen., ubi etiam nostri loci meminit; neque dubium est, quin sit prava scriptura quorundam libb. τονόριον per o. Memorat idem in glossario graeco, voce χειρόργανον, locum MS. cod. ubi τονάδιον legitur, quod iubet mutari in τονάριον.

*Haec ei cura*) Guelf. *Haec etiam ei cura*, cum aliquot codd. Saltem post *cura* malis poni *etiam*. — *Ili sine*) Guelf. *hiscine*.

*Sepositus — locus*) Lib. XI, c. 3.

*Ne haec quidem*) Quoniam et eam tractaturus est loco modo indicato.

*C. Gracchi* — τονάριον) Multis hoc memoratum scriptoribus. Ciceronis locus est de Orat. III, 60 quem repetit Gellius I, 11. Apud Ciceronem quam bene scripserit Ernestus *Erycino* pro *Licinio*, nescio; quum et Plutarchus I, p. 825 B. in ipsa narratione, et Gellius in loco Ciceroniano *Licinium* ostendant. Ceterum non erat, quod Plutarchum discrepare diceret Gesnerus a Cicerone, qui et ipse *Licinium* (si ea vera est scriptura) Gracchi facit servum. Graeci, qui morem hunc Gracchi memorant Dio Cassius p. Reim. 39, et Plutarchus l. c. et περὶ ἀοργησίας II, p. 456 A, nonnisi ad sedandum, quo abripi solitus fuerit, impetum hoc enm esse commentum narrant, quibus astipulatur Gellius: *quia illa Gracchi vehementia extraneo instinctu indiguisse non sit existimanda*. Cicero tamen et Valerius Max. VIII, 10 utrique rei adhibitum fistulatorem putant, ut et intenderet sonum et remitteret; neque Qu. aliud quidquam significat, *intendi* enim in genere dicitur pro omni τάσει. Fistulam ipsam talem fuisse narrat Plutarchus: φωνασκικὸν ὄργανον ᾧ τοὺς φθόγγους ἀναβιβάζουσι, et altero loco: συρίγγιον ᾧ τὴν φωνὴν οἱ ἁρμονικοὶ σχολὴν (an σχολῇ pro βραδέως) ἐπ' ἀμφότερα διὰ τῶν τόνων ἄγουσι. Nomen autem, quod usurpat Qu., ap. Graecos scriptores non invenias, quum aliud simile ex Heronis *pneumaticis* afferat Turnebus in Adversariis, φθογγάριον.

bidissimas actiones, vel terrenti optimates, vel iam timenti fuit. Libet propter quosdam imperitiores, etiam *crassiore*, ut vocant, *musa*, dubitationem huius utili-
29 tatis eximere. Nam poëtas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine musice? At si quis tam caecus animi est, ut de aliis dubitet; illos certe, qui carmina ad lyram composuerunt. Haec diutius forent dicenda, si hoc studium velut novum prae-
30 ciperem. Quum vero antiquitus usque a Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modo legitimam disciplinam non sint perosi, duraverit, non est committendum, ut illa dubia faciam, defensionis solli-
31 citudine. Quamvis autem satis iam ex ipsis, quibus sum modo usus, exemplis, credam esse manifestum, quae mihi, et quatenus musice placeat; apertius tamen profitendum puto, non hanc a me praecipi, quae nunc

*Certe qui*) Sic Guelf. Goth. et omnes codd. et edd. Gesnerus dat *certe concesserit qui*, ex calami, puto, aut typothetae errore. Nam ipsius nota hoc subaudire iubet, queriturque de obscuritate loci; *concesserit* inseruerunt post Gesn. etiam Bipont.

*Non est comm.*) Omittit Gesn. *est*, mero errore, puto, quum sit in omnibus libris.

*At — composuerunt*) Abrupta est oratio, quaeque vix potuerit, qualis hic legitur, a Quintiliano proficisci. Si enim, quod structura suadet, post *illos* intelligis *concesserit*, sensus exsistit alienus, quasi lyricos certe legendos etiam is cogatur agnoscere, qui ceteros poëtas ab oratore futuro legi noluerit. Neque enim de eo agitur, legendi sint poëtae, necne; sed musicen sibi iunctam habeant, necne. Lenissima fuerit mutatio (neque tamen ipsa satis lenis) si supra pro *hi* scribas *hos* cf. not. Crit.; hoc sensu: *Num igitur hos sine musice legendos putant?* Possit enim e *concesserint* latius patens *putandi* notio haud incommode elici, cuiusmodi exempla sunt frequentia, nisi forte malis interpretari *Num igitur — legent?* Tum habebis, quo referas *illos*; quamquam remanet difficultas, quod, quae modo fuerat interrogatio, hic protinus fit asseveratio, et quoniam in interrogatione negatio intelligitur, in asseveratione opus est expressa negatione. Sed optimi quique scriptores interdum malunt lectori addendum aliquid, immo corrigendum, reliquere, quam verbosiores fieri. Ceterum in initio huius loci *ac* (quod Turic. cod. habet) longe sit aptius, quam *at*, quum nulla insit obiectio, neque tamen ullus liber habet *ac*.

in scenis effeminata, et impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit; sed qua laudes fortium canebantur, quaque et ipsi fortes canebant, nec *psalteria* et *spadicas*, etiam virginibus probis recusanda; sed cognitionem rationis, quae ad movendos leniendosque affectus plurimum valet. Nam et Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicae domui afferendam iuvenes, iussa mutare in spondeum modos tibicina, composuisse: et Chrysippus etiam nutricum, quae adhibetur infantibus, allectationi, suum quoddam carmen assignat. Est etiam 32 33

*Adhibetur — allectationi*) Guelf. *adhibentur — allactationi*. Pluralem in priori vocabulo omnes quidem habere videntur libri, tam scripti, quam editi, praeter unam Obrechti editionem. Fortasse tamen diligentius excutientibus etiam in aliquot codd. occurrisset scriptura, quam solam veram facile agnoscas. Quorsum enim additur istud de nutricibus, quasi ignoremus *infantibus adhiberi nutrices?* Neque potest dubium videri,

*Psalteria — spadicas*) Effeminatiora ceteris instrumenta designat, qualia erant ob chordarum multitudinem, ni fallor. Etiam Cicero de Har. resp. c. 21: *psalterium* recenset in argumentis mollitiei Clodianae. σπάδιξ Polluci IV, 59 memoratur inter instrumenta musica una cum φοίνικι, ut appareat utrumque ab arbore nomen accepisse.

*Virginibus*) Nedum ut viris permittantur.

*Pythagoram accepimus*) Iamblichus de vita Pythagorae c. 25 (p. 93 Kust.) Λέγεται — Πυθαγόρας διὰ τοῦ αὐλητοῦ καταβέσαι τοῦ Ταυρομενίτου μειρακίου μεθύοντος τὴν λύσσαν, νύκτωρ ἐπικωμάζοντος τῇ ἐρωμένῃ — καὶ τὸν πυλῶνα ἐμπιπράναι μέλλοντος. ἐξήπτετο γὰρ καὶ ἀνεζωπυρεῖτο ὑπὸ τοῦ Φρυγίου αὐλήματος· ὃ δὴ κατέπαυσε τάχιστα ὁ Πυθαγόρας (ἐτύγχανε δὲ αὐτὸς ἀστρονομούμενος ἀφῃρῆ) καὶ τὴν εἰς τὸ σπονδειακὸν μετάβολὴν ὑπέθετο τῷ αὐλητῇ· δὶ ἧς ἀμελλητὶ κατασταλὲν κοσμίως οἴκαδε ἀπῆλλαγη τὸ μειράκιον, πρὸ ᾠχεως μηδ' ἐφ' ὁσονοῦν ἀνασχόμενον, μηδ' ἁπλῶς ὑπομεῖναι νουθετήσεις ἐπιβολὴν παρ' αὐτοῦ, πρὸς δὲ καὶ ἐμπλήκτως ἀποσοβακίσαν τὴν τοῦ Πυθαγόρου συντυχίαν. Propius ad Quintilianum accedit Sopater in Hermogenem περὶ ἰδεῶν p. Rhett. Aldi 383, qui eandem, ex ipso tamen Iamblicho, historiam refert, sed pro αὐλητῇ habet αὐλητρίδι. Paulo aliter eandem rem narrat Basilius Magnus in Homilia 22, p. 182 vol. II ed. Benedict. quem citat Almeloveenius. Maxime cum Quintiliano consentit Cicero in fragmento apud Boëtium de Musica, quod vide in Ern. ed. vol. IV, Part. 2, p. 1100; vid. et Sext. Emp. p. Fabricc. 357, et notam Fabr.

*Adhibetur — allectationi*) Vid. not. crit.

non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam et per praecipitia delato, accusari, quod causa mortis exstiterit; quae si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non, hanc quoque artem necessariam esse operi no-
34 stro, vel iniqui consentiant? In *geometria* partem fatentur esse utilem teneris aetatibus; agitari namque animos, atque acui ingenia, et celeritatem percipiendi

quin *adhibetur*, sing., sit in cod. Alm. ex quo pro *nutricum quae* memorant: *nutricum illi quae*, probabilem sane scripturam, quam dedit etiam Obr., ex Argentoratensi codice fortasse. Alteram vocem *allectationi*, praeter Guelf., etiam Goth. et Palat. dant per *a* pro *e*. Alter Palat. *Allectioni*. Idem habet Turic. In harum quidem scripturarum nulla acquiescas prorsus; et auctore suo plane digna est coniectura Tib. Hemsterhusii, in Adversariis MSS. relicta, quam mecum communicare dignatus est Ruhnkenius, *lallationi*. Citat vir summus ad fidem faciendam invento suo Ausonium Epist. XVI, 90, 91: *Nutricis inter lemmata, Lallique somniferos modos*, et interpretem Basilii de Consol. in Adv. Tom. II, pag. 698. B: *Mel quidem labia tua lallare videntur*, ubi modo dixerat: *Profers verborum blandimenta*. De *lallando*, significatione somni invitandi, disputant Ios. Scaliger in Lectt. Auson. et Is. Casaubonus ad Theophr. Charr. *περὶ λαλιᾶς*, pag. 104, ed. Fischeri. Monere vix opus est, eundem Hemsterhusium in *adhibetur* retinere singularem. Si defendis *allectationem*, appositus est locus, quem affert Gesnerus, Columellae II, 3, 2: *oportet* (*boves*) *sibilo — allectari, quo libentius bibant*, ut fit *allectatio* cantilena ad sugendum invitans infantem.

*Consentiant*) Guelf. *consentient* cum Goth. (tac. Gesn.) et multis

*Tibicen — accusari*) Etsi, Codice nullo addicente, unum Aldum sequi religio fuit, pro *tibicen* dantem *tibicinem*, verissimam tamen et necessariam credo hanc mutationem: *Ponere* verbum est legitimum in thematibus rhetorum, ubi, impersonaliter usurpare debere illud, apparet; licet *dicitur* nominativum sibi esset iuncturum. Hic si nominativum *tibicen* retines, cogeris deinceps pro *accusari* scribere *accusatus*, minus leni correctione.

*Phrygium*) Phrygius modus quam vehemens esset, modo intelleximus in narratione Iamblichi. Adhibitus primum fuit hic tibiarum concentus in enthusiasticis sacris matris Phrygiae, seu Berecynthiae. Lucianus in Harmonide vol. Bip. IV, p. 137 memorat, τῆς Φρυγίου (ἁρμονίας) τὸ ἔνθεον. Idem *de saltatione* vol. V, p. 144: τὸ Φρύγιον τῆς ὀρχήσεως εἶδος, τὸ παροίνιον καὶ συμποτικόν, μετὰ μέθης γιγνόμενον.

*Agitari*) Vid. not. exeg. ad I, 8, 14, *memoriam agitet*.

venire inde, concedunt: sed prodesse eam, non ut ceteras artes, quum perceptae sint, sed quum discatur, existimant: ea vulgaris opinio est. Nec sine causa 35
summi viri etiam impensam huic scientiae operam dederunt: nam quum sit *geometria* divisa in numeros atque formas, numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicumque primis saltem literis erudito, necessaria est. In causis vero vel frequentissime versari solet: in quibus actor, non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum saltem incerto aut indecoro gestu a computatione dissentit, iudicatur indoctus. Illa 36
vero linearis ratio, et ipsa quidem cadit frequenter in causas; nam de terminis mensurisque sunt lites, sed habet maiorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Iam primum ordo est *geometriae* necessa- 37
rius, nonne et *eloquentiae?* Ex prioribus geometria probat insequentia, et certis incerta; nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propositarum quaestionum conclusio, non tota fere constat syllogismis? propter quod plures invenias, qui dialecticae similem, quam qui rhetoricae, fateantur hanc artem. Verum et orator, etiamsi raro, non tamen nunquam, probabit dialectice.

codd. Placet paene. — *Ea vulg.*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *Id vulg.* cum omnibus fere codd. et edd. vett. Male sane; etsi Regius etiam elegantiorem putat usum neutrius quam feminini h. l. Sed velim discere, unde sit recepta.

*Iam primum*) Guelf. et Turic. *Nam prim.* Solus ni fallor blanditur, quum *Iam* frigeat, sed obstat quod sequentia dicuntur de tota *geometria*, non de sola *lineari ratione*, quam nos quidem solemus *geom.* appellare. Vicissim quae memorantur mox §. 38, γραμμ. ἀποδ. magis ad *linearem*

*Digitorum — a computatione*) Nimirum δακτυλικόν habebant veteres μέτρον, quod numeros certis digitorum gestibus exprimere doceret, de quo sunt Nicolai Smyrnaei et Bedae Venerabilis, seculi septimi scriptoris, libelli. Eam artem inter agendum a patronis causarum fuisse adhibitam, apparet locis quibusdam nostri, velut XI, 3, 94 et 117; item Apuleii de Magia oratione p. Bip. 92, 93.

*Iam primum*) Inchoat iustam pro geometriae utilitate argumentationem. Sed vid. not. crit.

38 Nam et syllogismis, si res poscet, utetur, et certe *enthymemate*, qui rhetoricus est syllogismus: denique probationum, quae sunt potentissimae, γραμμικαὶ ἀποδείξεις vulgo dicuntur: quid autem magis oratio, quam
39 probationem petit? Falsa quoque verisimilia *geometria* ratione deprehendit. Fit hoc et in numeris per quasdam, quas ψευδογραφίας vocant, quibus pueri ludere solebamus. Sed alia maiora sunt; nam quis non ita proponenti credat; quorum locorum extremae lineae eandem mensuram colligunt, eorum spatium quoque, quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id
40 falsum est: nam plurimum refert, cuius sit formae ille

*rat.* solam spectant, quam ad utramque. — Γραμμικαὶ ἀποδ.) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *grammatice apoditis*; cum Alm. et edd. Ven. Ald. Rectam scripturam coniectando restituit Regius, qui *graece* pro γραμμ. legi ait, ut est in Loc. (quamquam ibi *grace*) et Rusc. Altero loco V, 10, 7, recta scriptura in codd. multis. Sext. Emp. pag. 326, γραμμικῶς — ἀποδείκνυσθαι. — Γραμμικαὶ ἀποδ. Ad firmandam hanc scripturam facit etiam §. 49, ubi *lineares probationes*.

*Nam plurimum*) Guelf. et Turic. *N. primum*, cum omnibus fere codd. nisi quod tacetur Voss. 1, male. Receptum meorum Aldus habet primus.

Γραμμ. ἀποδ") Cf. V, 10, 7.

*Fit hoc — per* — ψευδογραφίας) Miror, si ψευδογραφίαι appellantur, quae fiant per *numeros* quoque; sed possit esse catachresis. Vide tamen, an aliquanto expeditior videatur oratio, si absint ea: *Fit hoc et in numeris?* Glossemata ubique crepare, invidiosum est. Alioqui nihil fere similius allitae in margine notulae unquam vidi hisce verbis, quae ordinem magnopere perturbant, sed in omnibus inveniuntur libris, tam scriptis quam excusis. Etiam hoc offendit: *per quasdam, quas — vocant.* Omittit unus Cod. (Voss. 3) *quas*, unde efficias: *per quasdam ψευδογραφίας, quas vocant*, ut intercederit *quas* post ψευδ. et deinde alieno loco fuerit repositum. ψευδογραφεῖν ab Aristotele usurpatur, qui Top. I, 1, 8, (p. Buhl. 44, vol. III): ἐκ τῶν οἰκείων μέν, ait, τῇ ἐπιστήμῃ λημμάτων, οὐκ ἀληθῶν δὲ, τὸν συλλογισμὸν ποιεῖται (ὁ ψευδογραφῶν). τῷ γὰρ ἢ τὰ ἡμικύκλια περιγράφειν μὴ, ὡς δεῖ, ἢ γραμμὰς τινας ἄγειν μὴ, ὡς ἂν ἀχθείησαν, τὸν παραλογισμὸν ποιεῖται. Idem de Sophist elenchis c. 11, p. Buhl. 563, vol. III. Geometriae quidem ab iis, qui tangunt pseudographias, assignantur, inter quos apposite Capperonnerius recenset Originem contra Celsum in Epist. ad Ambrosium: οὐ τὸ τυχὸν τῶν ψευδομένων ἐν γεωμετρικοῖς θεωρήμασι ψευδογραφούμενόν τις ἂν λέγοι, ἢ καὶ ἀναγράφοι, γυμνασίου ἕνεκεν τοῦ ἀπὸ τούτων.

circuitus; reprehensique a geometris sunt historici, qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt: nam ut quaeque forma perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa circumcurrens 41
linea, si efficiet orbem, quae forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat: rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus aequis lateribus, quam inaequalibus. Sed alia forsitan obscuriora; nos facilli- 42
mum etiam imperitis sequamur experimentum. Iugeri mensuram, ducentos et quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere, non fere quisquam est, qui ignoret; et qui sit circuitus, et quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni 43
et octogeni in quamque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius clausae quatuor lineis areae faciunt: id si computare quem piget, breviori-

*Efficiet — efficiat*) Ita Guelf. cum plerisque edd. vett. Sic puto etiam defendi posse iteratum *efficiat*, non prorsus eadem forma dictum, ut modo; quamquam Goth. et Voss. 2, posterius omittunt. Etiam Goth. (tac. Gesn.) priore loco *efficiet*, non *efficiat*, quod obsedit edd. recc. — *Clausae*) Guelf. *clusae* ut etiam hic respuat praeposterum *divisae*, quod Burmannus quoque retinuit ex quibusdam vett. edd. Codice nullo puto, auctore. Venet. *clusae*.

*Geometris — historici*) Exemplum talis reprehensionis equidem in antiquitate non invenio, quamquam Pithoeus ad hunc locum narrat, eo nomine Polybium et Thucydidem castigatos a Proclo ad Euclidis elementorum I. primum. Locis a Pithoeo indicatis de ipsa quidem re agi, spatia videlicet ab ambitu non definiri, agnosco; sed historicorum, et horum nominatim, mentionem desidero. Sunt autem ea loca p. (ed. Basileensis) 64 et 109, quorum in priori mendum sit necesse est, structura enim non procedit. Procli ulla tum demum foret auctoritas, si veterum geometrarum referret iudicia. Etiam Fabricii silentium, in indice scriptorum a Proclo ad Elementa Euclidis citatorum, ubi nulla neque Thucydidis neque Polybii mentio, facit ut Pithoeo diffidam. Sunt autem 4 (non 6, ut iterum est apud Harletem) libri. Vid. Bibl. Fabr. Harl. vol. IV, pag. 82 seqq. Vtrum ita peccarint historici, alius est quaestionis, neque huius loci.

*Iugeri mensuram*) Eandem tradit Varro de R. R. I, 10, 1 etc.

bus numeris idem discat; nam deni in quadrum pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt: at si quinideni per latera, quini in fronte sint, ex illo, quod amplectuntur, quartam deducent eodem circumductu. Si vero porrecti utrimque undeviceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quam per quot longitudo ducetur: quae circumibit autem linea, eiusdem spatii erit, cuius ea, quae centum continet: ita quidquid formae quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut maiore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis: nam in collibus vallibusque etiam imperito patet plus soli esse, quam caeli. Quid? quod se eadem geometria tollit ad rationem usque mundi? in qua, quum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum: quod ipsum nonnunquam pertinere ad oratorem potest. An vero, quum Pericles Athenienses solis obscuratione territos,

*Quadrum*) Guelf. *quadram*. Idem est in Turic. cum glossa in margine: *geometrae quadram, non quadrum dicunt*. Sed et Voss. 2, cum duobus Goth. defendit receptam. — *Formae quadrati*) Guelf. *formae quadratae*, non male. — *Soli*) Guelf. *solis*, male.

*Intra cent.*) *Intra* pro *intus*, cave enim praepositionem putes.

*Si vero — singulis distent*) H. e. si lineae parallelae in undevicenos porrectae pedes nonnisi unius pedis intervallo dirimantur, pro quo poterat dicere: *si singuli pedes in fronte sint*. Ceterum figura non opus, quam unusquisque attentus aut calamo aut animo facile sibi finget.

*Soli — quam caeli*) Quod *imperitis* patere ait Qu. negotium facessit eruditis, quum ne Camerarius quidem intelligat. Gesnerus in nota doctior videtur quam pro occasione. *Caelum* accipe aërem imminentem *valli* aut *colli*; is quum planus sit, minus complectitur spatii, quam collis convexus, vallis concava.

*Pericles — solis obscur.*) Plut. in ei. Vit. tom. I, p. 171, C. D. ἤδη δὲ πεπληρωμένων τῶν νεῶν καὶ τοῦ Περικλέους ἀναβαρβηκότος ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ τριήρη, τὸν μὲν ἥλιον ἐκλιπεῖν συνέβη, καὶ γενέσθαι σκότος, ἐκπλαγῆναι δὲ πάντας, ὡς πρὸς μέγα σημεῖον. ὁρῶν οὖν ὁ Περικλῆς περίφοβον τὸν κυβερνήτην καὶ ἀπορημένον, ἀνέσχε τὴν χλαμύδα πρὸ τῆς ὄψεως αὐτοῦ, καὶ παρακαλύψας, ἠρώτησε μή τι δεινόν, ἢ δεινοῦ τινος σέσημεῖωται σημεῖον· ὡς δ' οὐκ ἔφη, Τί οὖν,

redditis eius rei causis, metu liberavit: aut, quum Sulpicius ille Gallus in exercitu L. Pauli de Lunae defectione disseruit, ne velut prodigio divinitus facto militum animi terrerentur, non videtur esse usus oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia scisset, non eodem 48
confusus metu pulcherrimum Atheniensium exercitum prodidisset: sicut Dion, quum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non est tali casu deterritus. Sint extra, licet, usus bellici; transeamusque, quod Archi-

*Prodidisset*) Hoc malui ex Bodl. Bal. Turic. ed. Andr. Reliqui *perdidisset*. — *Sint extra*) Ita Guelf. Goth. Alm. Turic. Voss. 3, et edd. vett. pleraeque. Quod Gibsonus codd. suos tacet, miror equidem, sed Regianum istud *exempla* esse in iis nequaquam credo. Praeterea, quid, quaeso, est: *Sint exempla usus bellici*? aut quis inde efficiet, quod volunt, qui probant: *Quamquam haec non nisi utilitatis in bello praestitae sunt exempla?* Vbi autem est *haec*, quod praemitti τῷ *exempla* plane erat necesse? Quos codd. Burmannus omittit non memoratos, ii tantopere solent cum his, quos tenemus, conspirare, ut isti silentio non multum

εἶπεν, ἐκεῖνο τούτου διαφέρει, πλὴν ὅτι μεῖζόν τι τῆς χλαμύδος ἐστὶ τὸ πεποιηκὸς τὴν ἐπισκότησιν,

*Sulpicius — Gallus*) Cf. Liv. XLIV, 37, qui praedixisse narrat defectum lunae, ut et Plinius II, 9, et Frontin. Strateg. I, 12, 8. Nam Valer. Max. VIII, 11, 1, *disputantem* facit, *quum subito luna defecerit*.

*Nicias*) Thucyd. VII, 50, 51, 53, 54: ἦν γάρ τι καὶ ἄγαν θειασμῷ τε καὶ τῷ τοιούτῳ προσκείμενος. Cf. Plutarch. in Nicia T. I, p. 538, 39.

*Dion.*) Plutarch. l. c. ὁ (τοῦ Πλάτωνος) ἑταῖρος Δίων καθ' ὃν χρόνον ἔμελλεν ἄρας ἐκ Ζακύνθου πλεῖν ἐπὶ Διονύσιον, ἐκλιπούσης τῆς σελήνης οὐδέν, διαταραχθεὶς ἀνήχθη καὶ κατασχὼν ἐν Συρακούσαις, ἐξέβαλε τὸν τύραννον. Cf. eund. in Dione p. 968 A.

*Sint extra — bellici*) H. e. *Si maxime usus bellicos oratoris interesse neges.* Fateor loco plane gemino, ubi *extra esse* sit pro *ad rem non pertinere* destitui me, sed ipse Qu. plus semel *extra causam*, *extra quaestionem esse*. (Cf. VII, 4, 19, ubi *extra* absolute ponitur et X, 1, 19: *omnia quae sunt extra*) dicit hoc significatu, et facile poterat hic *extra* adverbium solum ponere, ubi res, extra quam essent isti *usus bellici* non nisi operose verbis exponi debebat. Gesnerus ipse Codd. scripturam (vid. not. crit.) defendere conatur, neque tamen videtur alienus ab errore accipiendi *usus bellici* pro genitivis, qui sunt nominativi; quare, si bene eius mentem perspicio, *externa exempla* veram scripturam putat. Quam male vulgaris interpretatio coëat cum eo, quod sequitur: *transeamusque* ostendit Gedoynus, qui scriptorem desererе cogitur, ut sensum efficiat: *On dira que ces exemples sont bons pour la guerre. Laissons donc* etc. *Licet* autem hic dicitur prŏpria sua signifi-

medes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit:
49 illud utique iam proprium est ad efficiendum quod intendimus, plurimas quaestiones, quarum difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione dividendi, de sectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus solvi solere; ut, si est oratori (quod proximus demonstrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo sine geometria esse possit orator.

XI. Dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat: non enim puerum, quem in hoc instituimus, aut femineae vocis exilitate frangi volo; aut seniliter tremere.
2 Nec vitia ebrietatis effingat; nec servili vernilitate imbuatur; nec amoris, avaritiae, metus discat affectum; quae neque oratori sunt necessaria, et mentem, praecipue in aetate prima teneram adhuc et rudem, infi-
3 ciunt. Nam frequens imitatio transit in mores. Ne gestus quidem omnis ac motus a comoedis petendus est. Quamquam enim utrumque eorum ad quendam modum praestare debet orator; plurimum tamen aberit a scenico, nec vultu nec manu nec excursionibus nimius: nam si qua in his ars est dicentium, ea prima est, ne

tribuam, cf. III, 2, 25. — *In longius*) Guelf. *tn̄ long.* h. e. *tamen long.*, non male. — *Quarum*) Guelf. *quibus.* — *Dividendi*) Guelf. *videndi.* *Augendi*) Guelf. *augenda.* Vtrum praestet, non dixerim.

*Dum*) Goth. (tac, Gesn.) omittit cum suo Voss. 2. Perit tamen non parva elegantia; *dum* autem est pro *dummodo.*

*Nimius*) Guelf. *nimiis*, cum omnibus fortasse codd. Sed vera est recepta, ex emendatione Regii. — *In his*) Guelf. *huius*, cum plurimis

catione, ubi aliquid permittimus, quare satius duxi virgulis complecti vocabulum, ne quis proprie ab eo regi coniunctivum (*sint*) putaret. Parenthesin facit *licet* et est pro *quidni? fateor!* Videant de ea structura tirones Tursellinum p. ed. Lips. 444, et conf. nostrum VIII, 3, 8, *Habeant illa divites! licet.* Sic commode ei iungitur *transeamusque.*

*Archimedes*) Vid. Liv. XXIV, 34.

*Prox — liber*) Cap. 21.

*Dum*) Vid. not. crit.

*In hoc*) I. e. ut fiat orator. Friget quam maxime aliquot Codd. scriptura *in hoc loco*, *Hoc* accusativus est.

ars esse videatur. Quod est igitur in his doctoris offi- 4
cium? In primis vitia, si qua sunt, oris, emendet; ut expressa sint verba, ut suis quaeque literae sonis enuncientur. Quarundam enim vel exilitate vel pinguitudine nimia laboramus; quasdam velut acriores parum effi- cimus et aliis, non dissimilibus, sed quasi hebetioribus, permutamus. Quippe P literae, qua Demosthenes quo- 5
que laboravit, Λ succedit (quarum vis est apud nos quoque): et quum *C* ac similiter *G* non valuerunt, in *T* ac *D* molliuntur. Ne illas quidem circa *S* literam de- 6

codd. Praefero receptam, sed unde sit, ignoro. Aldus videtur habere primus. — Pertinet haec nota ad id quod sequitur *in his doctoris*. De Goth. et Iens. dantibus *huius d.* tacuit Gesn. Turic. non memoratur, sed Alm. *huius d.* Etiam post Aldum dant pravam scripturam Bad. Cerv.

*Pinguitudine*) Goth. (tac. Gesn.) *pinguedine*; vid. de hac voce Lexica. — *C — G — in T — D molliuntur*) Ita vett. edd. usque ad Gryphium, ni f., quam scripturam primus et, quantum video, solus revocavit Obr. quum ceteri ad unum omnes dent: *C — T — in G — D molliuntur*. Cod. Guelf. sic: *g. valuerunt inter a. c. d. demoliuntur*. Goth. *g. n. valuerunt in a. c. d. demoliuntur*. Turic. *et quum eae similiter g. n. ne va-*

*Qua Dem. — laboravit*) Cicero eleganter de Orat. I, 61: *Dem. — ita balbus — ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere.* Ludit in eo, qui Alcibiadis etiam erat, τραυλισμῷ Aristophanes Equ. v. 79, Κλωπιδῶν pro Κρωπ. et Vesp. 45, Οὐᾶς Θέωλος. Cf. Cic. ad Div. II, 10: *Illius* pro *Hirrus* ex ingeniosissima Manutii coniectura.

*Vis — apud nos*) Natura (neque tamen nomen et figura) earum literarum apud Latinos est, quamobrem eadem cognationis occasione ab his quoque inter se permutantur.

*C — G — in T — D molliuntur*) Mollis illa est et infantum propria pronuntiatio, quae pro *cura turam*, pro *Galba Dalbam* dicit. Eandem irridet Lucianus in faceto libello Δίκη φωνηέντων p. (B, vol. I) 69, ubi vide Hemst. *Non valuerunt*, i. e. non iusto robore labiis exierunt. Vid. not. crit.

*Circa S — delicias*) Iuvat fateri ignorantiam harum *deliciarum*, quum veterum alium ullum locum ubi tangerentur eae, non invenerim. Simile quid habere videtur, quem ex Eustathio ad Il. K, p. 813 affert Hemsterhusius ad Luciani Iudic. Vocalium, Aelius Dionysius. Is enim Λέγει, inquit Eustath. ὅτι Περικλέα φασὶ πρῶτον ἐκκλίναι τὸν διὰ τοῦ σῖγμα σχηματισμὸν τοῦ στόματος ὡς ἀπρεπῆ καὶ πλατύν, γυμναζόμενον ἀεὶ πρὸς τὸ κάτοπτρον. Deliciae igitur illae fortasse affectata sibili dissimulatione apparuerunt.

licias hic magister feret; nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare: nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire, quod Graeci *καταπεπλασμένον* dicunt: sic appellatur cantus tibiarum, quae, praeclusis, quibus clarescunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem spiritum reddunt. Curabit etiam, ne extremae syllabae intercidant; ut par sibi sermo sit; ut quoties exclamandum erit, lateris conatus sit ille,

*lucrunt inter a. c. d. demoliuntur.* Apparent ex ipsis hisce sordibus verae scripturae vestigia. *N* post *g*, quod et in aliis est codd. *non* debebat scribi, pro quo lacuna est in Guelf. *inter*, quod habet Guelf., corruptum est *in T.* Inde vario, sed brevi omnes, intervallo recedunt ceteri, quorum collata est varietas, codd. Recepta igitur est ab aliquo sexti decimi seculi, interprete potius quam Critico, scripturas codd. (quod ait Qu. I, 6, 22) *non inveniente sed mutante.* Neque tamen, quamvis blandiretur mutatio, erat vel uni et alteri codici credenda. Agit Qu. de vitiis oris, quae rectas literas sonare vetant, cuiusmodi est quum L auditur pro R. Eius non est simile, quum C in G, et T abit in D, h. e. tenues in mediam, sed quum infantum more franguntur soni isti. *Similiter* in nostra scriptura melius quoque locum tuetur, dum significat *pari ratione*, *ἀνὰ λόγον*. Non puto obstare huic, quam reducimus, codd. lectioni, quod Plutarch. in Quaest. Rom. Tom. II, pag. 277 D, et Lucian. Iud. Vocal. Vol. (Bip.) I, pag. 63, errores permutandi L et R, itemque G et C, paene simul tractant. Apud eos C subit in locum *τῆς* G, quod in nostro loco secus est, et tangunt praeterea dialectorum universarumque gentium in loquendo differentias, non vitia oris manifeste peccantia, qualia sunt in tenera aetate.

Καταπεπλασμένον) Guelf. *καταπεπλάμενον*. Cum Goth. *καταπλασμὸν* habet Voss. 2. — *Sic appellatur*) Ita Guelf. et omnes codd. et edd. Gesnerus errorem sane Burmanni expressit *appellantur*, quem retinent Bip. Offendor autem, nescio quomodo, hac tam abrupta sententia, cui *enim* saltem opus erat post *sic*. Vt nunc est, interpretantis potius eam dicas, quam ipsius scriptoris. — *Curabit*) Guelf. Turic. *curabunt* cum multis codd. et aliquot edd., male. — *Lateris*) Ita Guelf. Goth. (neque

*In faucibus — oris inanitate*) Cf. I, 5, 32.

*Circumlinire — καταπεπλασμένον*) Locutio latina accipit lucem a graeca, quae deinde eo quod subiicitur satis illustratur. Neque tamen credo ipsam rem plane designari posse verbis. *Circumliniendi* verbum figurate iterum usurpat XII, 9, 8; proprie autem VIII, 5, 26: *Circumlitis tibiis* opponuntur *apertae* XI, 3, 50, sed figurate et illae et ex proverbio.

*Sic appellatur — reddunt*) Vid. not. crit.

non capitis; ut gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. Observandum erit etiam, ut recta sit 9
facies dicentis, ne labra distorqueantur, ne immodicus
hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne deiecti
in terram oculi, inclinata utrolibet cervix. Nam frons 10
pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia, quum altero in verticem tenderent, altero paene oculus ipse premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quo- 11
que rebus momentum est; et nihil potest placere, quod non decet. Debet etiam docere comoedus, quomodo 12
narrandum, qua sit auctoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comoediis elegerit locos, et ad hoc maxime idoneos, id est, actionibus similes. Iidem autem non ad pronuntiandum 13
modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et haec, dum in- 14
firma aetas maiora non capiet: ceterum, quum legere

enim *laterum* ut ref. Gesn.) et plerique codd. Vett. edd. fere, omnes praeter Ald., *laterum*. — *Allevarentur*) Guelf. *allevantur* cum Goth. et Voss. 2. Displicet.

*Et haec dum*) Guelf. *Et hoc dum*. Placet fere, quum nonnisi unum hoc tangatur de locis comoediarum eligendis.

*Supercilia — allevarentur — constricta — dissidentia*) *Allevata supercilia* nitentem ostendunt, quasi magnum quid et serium agat, oratorem. Sic fere Demosthenes Aeschinem exagitat severitatem miram affectantem pag. Reiskii 442: τὰς ὀφρῦς ἀνέσπασας. *Constricta* sunt eadem quae *contracta*, cf. XI, 3, 79, ubi hoc *frae* tribuitur. *Dissidentia* habes ap. Cic. quem locum apte citat Gesn., in Pisone (c. 6): *altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio*.

*Mox dicemus*) Lib. XI, c. 3 de pronuntiatione.

*Flexus*, qui est vocis, opponitur quodammodo *auctoritati*, quae rectum poscit sonum.

*Actionibus*) Id est causis in foro agendis.

*Quum legere — oportebit*) Hoccine igitur apud Grammaticum fiet? Puto; sed eius nonnisi *poetarum* erat enar-

orationes oportebit, cum virtutes earum iam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat; neque solum lectione formet, verum etiam ediscere electa ex his cogat, et ea dicere stantem clare et quemadmodum agere oportebit, ut protinus pronuntiatione vocem et
15 memoriam exerceat. Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palaestricis vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitae in oleo, pars in vino,
16 consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abesse ab eo, quem instituimus, quam longissime velim); sed nomen est idem iis, a quibus gestus motusque formantur; ut recta sint brachia, ne indoctae rusticaeve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia
17 corporis inclinatione dissideant. Nam neque hoc esse

*Pronuntiatione*) Goth. *pronuntiationem* cum Bodl. Ioann. Alm. Turic. Voss. 1, 2, Bern. cum Ald. Placet; nam ablativus instrumenti in *pron.* non magnopere procedit. — Sed obvertit Buttmannus usum nimis hodiernum coniunctionis *et* in tribus nominandis (quo nomine idem improbat omissum *ac* inter Pal. et Tel. I, 5, 60). Quid si abiicis *et*? Vt narrantur dare Bodl. Ioann. Alm. Voss. 3. Ad III, 6, 25, insertum *et* ante *extra* non recte videor probasse. Est tamen illud etiam in Turic. (alt. coll.).

*Putem — vacaverint*) Guelf. *puto — vacaverunt*, prius et Goth. (tac. Grsn.) — *Corporis*) Turic. et Guelf. cum codd., credo, omnibus (nisi quod tacentur Voss. 1, 2) et edd. ante Bad. *corporum*, quo accedit Ald. sec. Nec video quare recessum sit ab hac scriptura. — *Rusticaeve*) Guelf. *rusticae* absque *ve*, quod a plerisque codd. ut et Turic. abest; male. Videntur tamen habere codd. Britannici. — *Neque — neque*) Ita Guelf. et quaedam

ratio. Cf. I, 4, 2, et I, 8 integrum, ubi nulla oratorum legendorum mentio. *Comoedi* autem docentis partes esse credo, dum in Grammatici disciplina versatur puer; non proprium ei dari tempus.

*Pronuntiatione*) Vid. not. crit.

*Palaestricis*) Cave accipias neutrum, quum sit masculinum, quod apparet mox, *Non de his — hos enim*. Malim tamen paene *palaestritis*, leuissima mutatione, quod habes IX, 4, 56. Legitur quidem II, 8, 7, *palaestricus ille*, sed potest referri ad *magister*, et XII, 2, 12 plene dicuntur *palaestrici doctores*. Vid. de loco Qu. II, 8, 7. Stephanum in Thes. Gr. T. III, p. 26, qui nil nisi peritum palaestrae significari putat *palaestrici* nomine, non autem *palaestrae magistrum*.

in parte pronuntiationis negaverit quisquam, neque ipsam pronuntiationem ab oratore secernet: et certe, quod facere oporteat, non indignandum est discere, quum praesertim haec *chironomia*, quae est (ut nomine ipso declaratur) *lex gestus*, et ab illis temporibus heroicis orta sit, et a summis Graeciae viris, et ab ipso etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium posita virtutum, et a Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedaemonios quidem etiam saltationem quan- 18

edd., gratius, quam plerumque, ut apud Gesn., ubi *Nec hoc — nec.* Turic. *neque haec. — Indignandum*) Guelf. *ignorandum* dans, perverse, defendit edd. scripturam *indignandum*, quum aliquot codd. habeant *indignum. — est, ut nomine*) Guelf. *est in nomine.* Goth. (tac. Gesn.) *ut etiam nomine.*

*Et a Chrysippo*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt *a*, non male, quum toties iteretur.

*Vt nomine — declaratur*) Fortasse parum assequutus est etymon Qu. qui χειρὸς νόμος intelligit, quum debeat: χεῖρα νέμειν.

*Temp. heroicis — Platone — Chrysippo*) Homerus saltatorem cum laude appellat Merionem, ducem Cretensem Iliad. XVI, 617, et saltantes facit Phaeacum iuvenes Odyss. VIII, 262 seqq. itemque chorum in scuto Achillis caelatum exponit Il. XVIII, 590 seqq. quo loco Dionys. Hal. utitur ad antiquitatem saltationis ostendendam. Ant. Rom. lib. VII, pag. 477. Nero quoque heroum se exemplo tuetur. Tac. Ann. XIV, 14, 1. Ceterum ubi manuum artificiosos motus in ista saltatione demonstret poëta, non invenio, nisi quod pilae iactatio pertinet ad chorum Phaeacum vs. 370 seqq. Quam in rem Athenaeus lib. XIV, p. 630: πρώτη, ait, εὑρηται ἡ περὶ τοὺς πόδας κίνησις τῆς διὰ τῶν χειρῶν. Socratem saltandi artificio magnopere delectatum ostendit Xenoph. in Symposio C. 2, §. 16 seqq (p. 168 Zeun.) Platonis locus a Luciano *de Saltatione* (Bip. vol. V, 144) indicatur esse in libris de Legibus, quem ego puto esse fere de Legg. lib. VII, p. Steph. 795 D. ad 796 E.; quamquam et ibi rem tangit; veluti de Legg. lib. VIII, p. 830, 831 B, ubi ipsum verbum legitur χειρονομεῖν. Chrysippi interierunt libri; cf. I, 10, 32, χειρονομίαν autem esse eiusdem rei nomen, quae et πυρρίχη dicatur, narrat Athenaeus lib. XIV, 631. Id. quo honore apud veteres fuerit saltatio, copiose demonstrat lib. I, p. 21 seq. Manuum motus proprius saltationis apud eosdem, quod multis locis apparet ut Ovid. Art. am. I, 595, Remed. 334.

*Lacedaemonios — saltationem*) Athenaeus l. c. p. 630, agens de πυρρίχῃ, ἐμφανίζει, ait, ἡ ὄρχησις πολεμικὴ οὖσα, ὅτι Δακεδαιμονίων τὸ εὕρημα, item infra p. 631: ἡ πυρρίχη παρὰ μόνοις Λακεδαιμονίοις ἐτιμᾶτο.

dam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus; neque id veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione duraus ad hoc tempus saltatio: et illa *in tertio Ciceronis de Oratore libro* verba Crassi, quibus praecipit, ut orator utatur *laterum inclinatione forti ac virili, non a scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra*, cuius etiam disciplinae usus in no-
19 stram usque aetatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu; neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

XII. Quaeri solet, an, etiamsi discenda sint haec, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi possint. Negant enim quidam, quia confundatur animus, ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat; etsi, maxime haec patiatur aetas robustior, tamen pueriles
2 annos onerari non oporteat. Sed non satis perspiciunt, quantum natura humani ingenii valeat; quae ita est agilis et velox, sic in omnem partem, ut ita dixerim,

*Praecipit*) Sic Goth. et Voss. 2, soli, ut videntur; ceteri libri *praecept.* — *Cuius etiam discipl.*) Guelf. cum Alm. omittit *etiam*. Placet. — *Robust. tamen puer.*) Guelf. cum multis, ut et Turic. omittit *tamen*.

προγύμνασμα οὖσα τοῦ πολέμου. ἐκμανθάνουσί τε πάντες ἐν τῇ Σπάρτῃ ἀπὸ πέντε ἐτῶν πυρρίχιζειν.

*Sacerdotum nomine*) Saliorum. De Oratore III, 59.

*Furtim — prosequatur*) Tibullum videtur expressisse, ut observatum est viris doctis. IV, 2, 8, 9: *illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque Decor* Similem Ciceronis locum indicat Gesnerus; de Or. I, 16: *Vt, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant.* Accedat versus elegans Popii Criticism II, 36½: *As those move easiest who have learn'd to dance.*

spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum, in plura vero, non eodem die modo, sed eodem temporis momento, vim suam impendat. An vero ci- 3
tharoedi non simul et memoriae, et sono vocis, et pluribus flexibus, serviunt, quum interim alios nervos dextra percutiunt, alios laeva trahunt, continent, praebent; ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat? et haec pariter omnia. Quid? nos agendi subita 4
necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus, quum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio, gestus, pronuntiatio, vultus, motusque desiderentur? Quae si, velut sub uno conatu, tam diversa parent simul, cur non pluribus curis horas partiamur? quum praesertim reficiat animos ac reparet varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare, ideo et stilus lectione requiescit,

*Impendat*) Quod alios dare narrat Burm. *intendat*, in nullo equidem libro invenio, sponte tamen succurrit. — *Pluribus*) Turic. *plurimis*, cum mult. — *Percutiunt*) item *percurrunt*. — *Praebent*) Ita Guelf. cum Goth. Voss. 1, 2, Alm. Bodl. Bal. et quibusdam edd. vett. ut et Obr. Recepta scriptura *probant*; quam qui retinuit Gesnerus, ipse nostram praefert, docens *probandi* negotium esse alienum ab ipso, qui hic intelligatur, canendi *actu*.

*Ideo — requiescit*) Ita Guelf, et Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 1, 2. Recepta *ideoque*. Praetuli nostram (cum Gryphio 1544) quia indicativus,

*Nervos — praebent*) Quid sit *praebere nervos* apparet eo ipso, quod antecedit: *continere nervos*; est enim laxare, totos dare, exhibere quales et quanti sunt, nulla digitorum compressione mutare sonum eorum. Vid. not. crit.

*Parent*) H. e. praesto sunt. Petenda significatio *ab apparendo*, quatenus servis tribuitur.

*Aliquanto*) Observent tirones dictum hoc pro *longe*, sed cum aliqua dicentis modestia, vel ironia; μετ' ὑποκρίσεως appellant Grammatici Graeci. Insignis in hunc sensum nostri locus V, 7, 24: *multos atque honestos* (testes) *commendare aliquanto est facilius*, quam in paucis et humilibus gloriari. Apud Ciceronem de Orat. II, 24: *iidem illi melius aliquanto dicerent, si* etc. Brut. 78: *qui melius aliquanto possent — dicere*. Sed nota res.

*Stilus — vicibus*) *Stilus* est scribendi labor; *vicibus*, varia legendo. Neque enim puto, cum Gedoyno et Capperonnerio, Quintilianum *vicibus* dixisse pro *denuo repetito scribendi*

5 et ipsius lectionis taedium vicibus levatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id, quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cuiuscumque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur, sicut in cibis, quorum diversitate reficitur stomachus, et pluribus, minore fastidio,
6 alitur. Aut dicant isti mihi, quae sit alia ratio discendi? *Grammatico* soli deserviamus? deinde *geometrae* tantum, omittamus interim quod didicimus? mox transeamus ad *musicum*, excidant priora? et, quum *Latinis* studebimus literis, non respiciamus ad *Graecas?* et, ut
7 semel finiam, nihil faciamus, nisi novissimum? Cur non idem suademus agricolis, ne arva simul et vineta, et oleas, et arbustum colant? ne pratis, et pecoribus, et hortis, et alvearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desideriis amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curae corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quaelibet nihil intermittentes fatigaret: adeo
8 facilius est multa facere, quam diu. Illud quidem minime verendum est, ne laborem studiorum pueri difficilius tolerent; neque enim ulla aetas minus fatigatur:
9 mirum sit forsitan, sed experimentis deprehendas. Nam et dociliora sunt ingenia, priusquam obduruerunt: id

*requiescit*, ostendit hoc comma ad *quum* non amplius pertinere. — *Dicendi? grammatico*) Ita, cum tot aliis, Guelf. et Turic. quum vulgo inseratur *Si*, praepostere, quod sentiens unus Gesnerus inclusit *Si*. Malui expungere.

*Alvearibus accommodent*) Guelf. *alv. aviibusque accomm.* cum Alm. Bodl. Turic. et edd. Sichard. et Gryph. Potuit facillime excidere *avibusque*. Aves et aviaria a Varrone et Columella non semel memorantur.

*labore.* Iciunius hoc, et obstat *ipsius*.

*Cuiuscumque*, vel iucundissimae.

*Deserviamus — faciamus*) Instant, et adversarium urgent, geminatae hae quaestiones, multa non sine elegantia. Explices: *Iubebuntne nos deservire?* etc.

*Cur non idem*) Malim fere *iidem*, vel *item*; nam *idem*, subsequentibus istis *ne — curam* (quae sunt ipsa ea,

vel hoc argumento patet, quod intra biennium, quam verba recte formare potuerunt, quamvis nullo instante, omnia fere loquuntur: at novitiis nostris, per quot annos sermo latinus repugnat? Magis scias, si quem iam robustum institûere literis coeperis, non sine causa dici *παιδομαθεῖς* eos, qui in sua quidque arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris, quam iu- 10
venibus: videlicet, ut corpora infantium nec casus, quo in terram toties deferuntur, tam graviter affligit, nec illa per manus et genua reptatio, nec post breve tempus continui lusus, et totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi gravant; sic animi quoque, credo, quia minore conatu moventur, nec suo nisu studiis insistunt, sed formandos se tantummodo praestant, non similiter fatigantur. Praeterea, secun- 11
dum aliam aetatis illius facilitatem, velut simplicius docentes sequuntur, nec quae iam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris iudicium: porro, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio,

quae suadentur) friget, nisi fallor. Codd. silent.

*Intra — quam*) Tirones observent *quam* pro *postquam*, post numerum dierum vel annorum. Cf. Liv. Drakenb. VII, 2, 10, et XXVIII, 16, 14, item Tursellinum in voce *intra*.

*Novitiis — Latinus*) Novitii, servi, recens empti, plerumque latine nesciebant (cf. Varronem de L. L. p. Bip. 105); quamquam ne ii quidem, qui, liberalibus studiis eruditi, linguam callebant, protinus appellandi erant *veteratores*, nomine illi opposito. Haec docent Digesta l. 21, T. 1 de aedilic. Edict. l. ult. Ridiculus error est Pavii (Recherches sur les Grecs Tom. I, p. 190) ex hisce *novitiis* ipsius Quintiliani discipulos exculpentis, qui, in media urbe nati, latinam linguam discere non potuerint (*ses propres disciples*); neque castigavit eum interpres Germanicus.

Παιδομαθεῖς) Credas ex hoc loco, frequentatum Graecis vocabulum esse, quum designandus est aliquis summus in suo genere artifex. Neque tamen saepe in libris, quos tractamus, inveniri puto; quum oppositum sit frequentius, ὀψιμαθεῖς, significatione inscitiae; velut apud Isocratem in laude Helenae, initio νῦν δ' τίς οὕτως ὀψιμαθής ἐστιν; et apud Lucianum de Saltat. vol. V Bip. p. 143: τὴν περὶ ταῦτα φιλοτιμίαν ἀπειρόκαλόν τε καὶ ὀψιμαθῆ — οἶομαι εἶναι. Horatius quoque est imitatus Sat. X, 21: *O seri studiorum.*

12 quam cogitatio. Sed ne temporis quidem unquam plus erit, quia his aetatibus omnis in audiendo profectus est. Quum ad stilum secedet, cum generabit ipse ali-
13 quid atque componet; tum inchoare haec studia vel non vacabit, vel non libebit. Ergo quum grammaticus totum diem occupare non possit, nec debeat, ne discentis animum taedio avertat; quibus potius studiis haec
14 temporum velut subseciva donabimus? Nam nec ego consumi studentem in his artibus volo: nec moduletur, aut musicis modis cantica excipiat, nec utique ad mi-

*Subseciva*) Guelf. *subicina*, in qua corruptela latet recepta, quamquam vulgatam vocabuli scripturam veram non puto, sed *succisiva*, a *succidendo*, scribendum. Magna receptae accedit auctoritas ex libro Florentino, narrante Regio. Turic. *subsiciva* corr. *subseciva*. Quod edd. pleraeque vett. dant: *subsidia*, in nullo, puto, est codice. — *Subseciva*. Videntur autem plures stare auctores ab eorum parte, qui scribunt *subsecciva*, vel potius *subsiciva* (nam sic in lapide Gruteriano), quo et hic et alibi fere deducti codd. scriptura; cf. Dausquium in h. v. Vol. II, pag. 299. Est tamen *subsidia* in lens. (quam *successiva* dare narrat Gesn.) sicut in omnibus meis ante Ald. Deinceps hoc revocavit Gryphius, donec verum restitueret Obrechtus. Sed Rollinus et Burm. *subsidia*. — *Nec ego*) Guelf. *non ego* Goth. (tac. Gesn.) *ne ego*. Vid. not. exeg. ad I, 5, 39, *ne hoc fecit*.

*Moduletur aut*) Guelf. *mod. et;* eodem, nisi fallor, sensu; difficilius explicatu quod dant Goth. et Voss. 2d. *ut*. Ceterum gaudeo, a meis codd. abesse quod multi habent et ipse quoque Turic.: *notis*, pro *modis*, mirorque Voss. 2 memorari inter eos, qui dent *notis* quum Goth. praeferat *modis*. Illud Burmannus refert ad scribendum ea, quae alius eantlet, cantica; vereor ut antiquitatis usus patiatur. — *Musicis modis*) Mira in hac voce sors est conferentium codicem Gothanum. Quum enim Gesnerus praetermisisset *notis* in isto libro, monitus postea ab Heusingero, ne ipse quidem attendit illam scripturam. Est autem ea in codd. ut quidem videtur omnibus, praeter Guelf. Voss. 1, 3. Bern. Ioaun. si modo nihil peccavimus, quotquot hosce codd. inspeximus. Edd. habent *notis* meae ante Gryph. omnes, et revocavit Obr. Neque iam dubito quin verissima sit haec scriptura, quamquam ad hodiernum rei nomen miro

: *Fatigatio — cogitatio*) Video a quibusdam parum intelligi. *Cogitatio* est eius, qui ipse aliquid excogitat; *fatigatio* eius, qui nonnisi mandata peragit, sive corpore, sive mente.

*Velut subseciva*) *Velut*, comparationis index, locum suum bene tuetur, si meminimus nomen *subsecivorum* (vel *succisivorum*, vid. not. crit.) proprium esse agrorum dimetiendorum. Vid. Lexica.

*Moduletur — excipiat*) I. e. neque ipse canat, neque aliorum cantum fidibus prosequatur. Sed vid. not. crit.

mitissima geometriae opera descendat. Non comoedum in pronuntiando, nec saltatorem in gestu facio, quae si omnia exigerem, suppeditabat tamen tempus. Longa est enim, quae discit, aetas, et ego non de tardis ingeniis loquor. Denique cur in his omnibus, quae discenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui, non contentus disciplinis, quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat, Aegypti quoque sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit. Difficultatis patrocinia praeteximus segnitiae; neque enim nobis operis amor est; nec, quia sit honesta, atque pulcherrima rerum, eloquentia, petitur

modo accedit. Quum tamen signa ipsa sonorum veteribus frequentata esse constet, quibus literas, varie immutatas, adhibebant, quidni prius etiam, quam vulgo creditur, *notarum* nomen usurpatum fuerit? quum praesertim nihil habiturum esset ignoti vel obscuri, etiamsi Quintilianus primus hoc loco sic uteretur vocabulo, addens *musicis*, quo fit manifestus sensus. Vid. Cangius in Gloss. med. et inf. lat. voce *Nota* secundo loco. — *Minutissima geometr.*) Turic. inserit *usque* cum Bodl. Alm. Bern. ed. Andr. et meis ante Bas. omnibus. Verum credo. Guelf. transpouit verba *utique ad minut.* sic: *ad minut. utique*, qua ratione potuit excidere ed. *usque*. — *suppeditabat*) Goth. (tac. Gesn.) *suppeditabit*, cum Voss. 2, et Andr., male.

*Pulcherrima rerum*) Sublimioris orationis locutio, mutuo sumpta, ut videtur, a poëtis. Expressam dicas e Virgilii versu Georg. II, 534. Neque enim accedam I. H. Vossio *rerum* pro *rerumpublicarum* positum accipienti. Alia est ratio quum adiicitur nomen terrae vel populi ad *res*, vel *rem*, cuiusmodi sunt omnia, quae appellat, loca. Vsus autem poëtarum in hac forma satis est constans. Nam si *maxima rerum Roma* itidem reipublicae significatu dicta videatur Aeneid. VII, 602; Ovidius certe Metam. VIII, 49, aliisque locis *pulcherrima rerum* dixit hoc, quem vindico, latiore intellectu. Cui simile est Claudiani, *operum — pulcherrimus — Mundus* De quart. Cons. Honorii vs. 284, 85, ubi *operum*, pro *rerum*. Ne ipsi quidem Horatii Scholiastae concedam ad Satt. I, 9, 4: *Quid agis dulcissime rerum*, verba sic dirimenti, ut *rerum* pendeat ex *Quid*. Vides in horum locorum nullo adiectivum referri ad vocem *rerum* (quae foret languida plane et elumbis oratio) sed ad id quod ubique laudetur, ut modo masculinum debeat poni, modo femininum, pro re nata. Spald. *in Praef. p.* 81.

ipsa, sed ad vilem usum et sordidum lucrum accingi-
17 mur. Dicant sine his in foro multi, et acquirant; dum sit locupletior aliquis sordidae mercis negotiator, et plus voci suae debeat praeco: ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant computaturum.
18 Qui vero imaginem ipsam eloquentiae divina quadam mente conceperit, quique illam (ut ait non ignobilis tragicus) reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructumque non ex stipe advocationum, sed ex animo suo, et contemplatione ac scientia petet, perpetuum illum, nec fortunae subiectum; facile persuadebit sibi, ut tempora, quae spectaculis, campo, tesseris, otiosis denique sermonibus, ne dicam somno, et conviviorum mora conterunt, geometrae potius ac musico impen-

*Ne velim*) Guelf. *nec vel.* Non male, si continuatur oratio.

*Ait non ignob.*) Qui in vett. plerisque edd. inseritur post *ait*, *Sophocles* ne in Guelf. quidem est, neque in ullo, opinor, codice.

*Geometrae — musico*) Guelf. *geometriae — musicae* cum vett. aliquot edd. Obr. et cod. Alm., et Turic. ex corr. neque video quare sperneu-

*Accingimur*) Inest venusta aviditatis, servo aut caupone digna, significatio.

*Dum sit locupletior*) Frequens locutio pro iis: *Fateor ego, sed tu vicissim fatere, locupletiorem* etc. Sic Ovid. Metam. X, 309, 10: *Thura ferat — Panchaia tellus Dum ferat et Myrrham*; et noster II, 12, 7: *vocantur — dum tamen constet.*

*Lectorem*) Intellige servum anagnosten, quales habebant domi suae potentes. Eius conditionis hominem Sositheum, eruditum sane et aliquid praeter lucrum sectatum in literis, mortuum desideravit Cicero ad Attic. I, 12; Plin. Epist. V, 19.

*Reginam — orationem*) Eurip. Hecub. 816: Πειθὼ δέ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην, Cic. de Orat. II, 44: *recte a bono poëta dicta est flexamina, atque omnium regina rerum oratio. Non ignobilem tragicum* dici eadem ad laudandum vi, qua Polybius a Livio appelletur *haudquaquam spernendus auctor* (i. e. testis), recte monet Gesnerus. Vid. Drakenb. ad Liv. XXX, 45, 5.

*Stipe advocationum*) Inest contemptus, huic loco conveniens, rei per se non improbatae. Iam enim desierat nefas esse merces patrocinii, quam et ipse noster excusat et defendit XII, 8, 9, 10, 11, 12. Legis Cinciae (a Cincio Alimento tribuno pl. latae A. V. C. 550), qua cautum erat, ne quis pro causa oranda donum munusve acciperet; restaurationem frustra tentatam vid. apud Tacitum Annal. XI, 5, 6, 7.

dat; quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc providentia 19
hominibus munus, ut honesta magis iuvarent. Sed nos haec ipsa dulcedo longius duxit. Hactenus ergo de studiis, quibus antequam maiora capiat, puer instituendus est; proximus liber velut novum sumet exordium, et ad rhetoris officia transibit.

dum, quum praesertim merae res antecedant, non personae. Quamquam supra §. 6 pro *geometrae* male Guelf. dat *geometri*, neque melius Goth. (tac. Gesn.) *geometriae*. Bene tamen et hic habet recepta; cf. not. crit. ad II, 21, 19.

## ARGVMENTVM LIBRI II

C. I. *Discipuli rhetori serius traditi* — 4. *Aliam rationem suadet* — 8. *Antiquorum mos* — 10. *Quare praestet* — 12. *Coniungendae Grammatici et rhetoris partes.* — C. II. *Praeceptoris mores* — 4. *Discipulorum tractandorum ratio* — 7. *Quomodo et scribatur apud illum et declametur* — 14. *Permixti adolescentibus pueri ne sedeant.* — C. III. *Protinus optimo magistro utendum* — 3. *Exemplum. Error in ea re duplex* — 7. *Prudentia doctoris se summittentis* — 10. *Secum pugnare se negat* — C. IV. *Progymnasmata* — 2. *Narratio* — 4. *Vitium ex copia melius* — 8. *Magister ne sit aridus, nec corrector nimius* — 12. *Iucundus in emendando, et qualis potissimum* — 15. *Scribendae narrationes* — 17. ἀνασκευὴ καὶ κατασκευή — 20. *Laudatio, vituperatio* — 22. *Communes loci* — 24. *Theses* — 26. *Exempla suorum praeceptorum* — 27. *Loci communes alii, scripti a quibusdam separatim, de iisque iudicium* — 33. *Legum laus et vituperatio* — 35. *Ius eius qui rogat, ipsius rogationis* — 37. *Vitium in verbis, in rebus* — 38. *Honestum; utile; obtinerine possint; totae, ex parte reprehenduntur* — 40. *Certa legum species* — 41. *Declamandi ratio inventa post.* — C. V. *Lectio historiae, orationum* — 4. *Quae lectio infra rhetorem, quae contra sit eius* — 7. *Eius ratio* — 10. *Vitiosa quoque praelegenda, iudiciumque discipulorum experiendum* — 14. *Rei utilitas* — 18. *Legendi optimi, facillimi* — 21. *Vitandi antiquissimi* — 22. *recentissimi.* — C. VI. *Materiae discipulis datae parcius, plenius adumbratae, post declamationem a magistro tractatae* — 3. *Quare si utrumque fieri nequeat, praestet prius* — 5. *Quomodo miscenda utraque ratio.* — C. VII. *Ne sua declament omnia discipuli, sed saepius clarorum scriptorum locos* — 3. *Eius rei utilitas* — 5. *Suorum declamatio, praemii loco sit.* — C. VIII. *Ingeniorum varietas tractata varie* — 6. *Quatenus recte* — 8. *Non in*

*unam tamen partem elaborandum* — 11. *Exemplum* — 12. *Imbecillis hoc utilius quam liberalioribus.* — C. IX. *Discipuli pro parentibus colant doctores.* — C. X. *Declamandi ratio* — 3. *Inter impedimenta artis esse coepit, pravas materias fingendo* — 6. *Quatenus poëticis hisce thematibus indulgendum* — 8. *Quid ex consuetudine mutandum* — 13. *Medium aliquod genus servandum, cum minimo quidem, aliquo tamen, damno.* — C. XI. *Artis formula supervacua quibusdam in hoc genere visa* — 4. *Horum in declamando et cogitando mos* — 6. *Meliores paulo, neque tamen toti prospicientes sed partibus.* — C. XII. *Indocti fortius dicere videntur, et quare* — 4. *Maledicunt apertius* — 5. *Plus audent in elocutione* — 6. *Nec eligunt, nec probant diligenter* — 7. *Bona pauca eminent* — 8. *Pronuntiatione fortes videntur* — 11. *Ipsi quoque faciunt hoc praeceptores, melioribus insultantes.* — C. XIII. *Immutabilia praecepta a se non exspectanda* — 3. *Exemplum imperatoris* — 5. *Pro re nata agendum* — 8. *Exemplum in statuis, in pictura* — 14. *Praecepta catholica cum delectu sequenda.* — C. XIV. *Rhetorices nomen graecum an vertendum* — 4. *Retinendum* — 5. *Triplex rhetorices divisio.* — C. XV. *Quum quaeritur, quid sit rhetorice, aut de re aut de verbis dissensio est* — 2. *Vulgo finitur:* vis persuadendi. — 6. *Hoc redarguitur* — 10. *Additur definitioni* : dicendo. — 11. *Refutatur* — 12. *Multorum definitiones* — 24. *Platonis Gorgias* — 29. *Eiusdem Phaedrus, ipsiusque de rhetorice sententia* — 32. *Cornelii Celsi* — 33. *Aliorum definitiones magis Quintiliano probatae* — 38. *Quae sit sua ipsius.* — C. XVI. *Rhetorices vituperatio* — 5. *Defenditur aliarum rerum exemplis* — 7. *Suis bonis* — 11. *Verae rhetorices praestantia* — 18. *Gratiam refert pro labore.* — C. XVII. *Ars est manifesta* — 4. *Negatur tamen a quibusdam* — 9. *Aliarum artium exempla* — 11. *Non, quicumque loquatur, esse oratorem; exempla Demadae et Aeschinis* — 14. *Aristotelis simulata et vera sententia* — 15. *Aliorum crimina in rhet. conjecta* — 17. *Ex materiae defectu* — 18. *Ex falsis, quibus utatur, opinionibus; refelluntur* — 22. *Ex finis propositi defectu* — 23. *Suum finem utique praestare eam* — 26. *Vitiis uti, falso dicitur* — 30. *Quomodo ex utraque causae parte possit dici, salva arte* — 35. *Ignorat suam materiam rhetorice interdum, sed et aliae artes* — 40. *Sibi contrarius dicit actor causarum* — 41. *Ars esse probatur.* — C. XVIII. *Artium tria genera; practica est*

*rhetorice* -- 3. *Ceterorum quoque generum aliquid habet.* -- C. XIX. *Natura, sine ulla arte, aliquid; in mediocribus ingeniis item plus arte; in summis naturam superat ars* -- 3. *Exemplum.* -- C. XX. *Cuiusmodi ars sit multorum rhetorum* -- 4. *Vera rhetorice est virtus* -- 5. *Hoc docetur, philosophorum more* -- 8. *Apertius* -- 10. *Quae obiiciuntur, sunt nihili.* -- C. XXI. *Aliorum de materia rhetorices sententia* -- 4. *Ipsius Quintiliani, auctoribus Platone et Cicerone* -- 7. *Neque infinitum et propriam esse rhetorices materiam, aliarum artium exemplis docetur* -- 12. *Philosophiae de materia cum rhetorice nulla lis* -- 14. *Neque omnia scire cogitur orator* -- 16. *Aliarum artium ministerio optime utetur orator, et ipsis melius artificibus* -- 20. *Quintiliani sententia nixa aliis auctoribus* -- 24. *De instrumento quaestionum huius non esse loci.*

# M. FABII QVINTILIANI
# ORATORIAE
# INSTITVTIONIS

## LIBER SECVNDVS.

I. Tenuit consuetudo (quae quotidie magis invalescit) ut praeceptoribus eloquentiae, Latinis quidem semper, sed etiam Graecis interim, discipuli serius quam ratio postulat, traderentur. Eius rei duplex est causa; quod et rhetores, utique nostri, suas partes omiserunt, et grammatici alienas occupaverunt. Nam et illi declamare 2 modo, et scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas iudicialesque materias (nam cetera, ut professione sua minora, despiciunt), et hi non satis credunt, excepisse, quae relicta erant (quo nomine gratia quoque iis est haben-

*Quoque iis*) Ita Goth. (tac. Gesn.) Ceteri *qu. his*, minus apte hoc

*Tenuit consuetudo*) Verbum intransitive usurpat pro *obtinuit*, ut pro *duravit*, saepe Livius v. c. II, 3, 5; cf. Duker. ad Liv. IV, 7, 7. Noster iterum VIII, 5, 2, *consuetudo tenuit*; cf. I, 7, 30, *consuet. obtinuerit*; et IX, 4, 47, *nomen illud tenet*, ubi *nomen illud* est nominativus.

*Deliberativas iudicialesque*) Restat genus eloquentiae demonstrativum (ἐπιδεικτικόν) quod, etsi tractandum a rhetore, despiciunt. Sic apud Senecam patrem nonnisi Suasorias (deliberativi generis) et Controversias (iudicialis) legimus, et in declamationibus Quintil. nomen praeferentibus meras controversias.

da), sed ad prosopopoeias usque, et ad suasorias, in
3 quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut, quae alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima; et aetas, altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricen apud grammaticos exerceat. Ita, quod est maxime ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus videtur puer, quam declamare iam sciat.
4 Nos suum cuique professioni modum demus. Et grammatice (quam in Latinum transferentes, *literaturam* vocaverunt) fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, provecta; nam tenuis a fonte, assumptis poëtarum historicorumque viribus, pleno iam satis alveo fluit; quum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum
5 artium scientiam amplexa sit; et *rhetorice*, cui nomen vis eloquendi dedit, officia sua non detrectet, nec oc-

quidem loco. — *Prosop. usque et ad suasor*) Guelf. et Turic. *prosop. usque ad suas.* omittendo *et* post *usque*, cum Voss. omnibus et Bern. et Ald. Inde non male videtur effecisse *usque, ac* Obrechtus, quum salebrosi quid insit iis: *ad — et ad*, in rebus praesertim non adeo diversis. Est enim *prosopopaeia* species *suasoriarum*. — *Subsideat*) Guelf. et Turic. *subsidat*, cum tot aliis. — *Decl. iam sc.*) Guelf. et Turic. omittunt *iam* cum Bal. Bodl. Ioann. Voss. 3, Alm. et aliquot vett. edd. quas imitatus est Obr., non male profecto. Omissum malit et Lochmannus, ob sonum insuavem.

*Prosopopoeias*) Earum naturam enarrat III, 8. Vid. not. crit.

*Irrumpunt*) Apposite locum, huic fere geminum, Ciceronis affert Gesnerus, ubi, ut hic Grammatici, ita philosophi dicuntur *irrupisse* in oratorum patrimonium. De Orat. III, 27.

*Quam — vocaverunt*) Si recte interpretor uncos a Gesnero appositos, diversos eos a signis parentheseos, diffisus ille est appendici huic etymologicae, quam rationem probat Lochmannus Progr. 1790, p. 4. Sed mox ostendit Qu. ipsa *appellationis paupertate* significari quam angustis limitibus contineatur haec ars, quae *literas* solas tractet. Hoc enim Graeco *grammatices* vocabulo, cui maiorem significationis ambitum tribuere consueverant Romani, non aeque apparebat.

cupari gaudeat pertinentem ad se laborem, quae, dum
opere cedit, iam paene possessione depulsa est. Nec in- 6
fitiabor, ex iis aliquem, qui *grammaticen* profitentur,
eousque scientiae progredi posse, ut ad haec quoque
tradenda sufficiat; sed quum id aget, rhetoris officio
fungetur, non suo. Nos porro quaerimus, quando iis, 7
quae *rhetorice* praecipit, percipiendis puer maturus
esse videatur. In quo quidem non id est aestimandum,
cuius quisque sit aetatis, sed quantum in studiis iam
effecerit. Et, ne diutius disseram, quando sit rhetori
tradendus, sic optime finiri credo, quum poterit. Sed 8
hoc ipsum ex superiore pendet quaestione: nam si gram-
matices munus usque ad *suasorias* prorogatur, tardius
rhetore opus est. Si rhetor prima operis sui officia non
recusat, a narrationibus statim, et laudandi vituperan-
dique opusculis, cura eius desideratur. An ignoramus 9
antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus
exercitationis, ut *theses* dicerent, et *communes locos*,
et cetera citra complexum rerum personarumque, qui-
bus verae fictaeque controversiae continentur? Ex quo

*Gramm. profitentur*) Guelf. et Turic. *gramm. profiteantur*, cum Goth. Voss. 2, et plerisque edd. vett. — *Suasorias prorogatur*) Ita Guelf. et Turic. cum Goth. Voss. 2, 3, Bal. Bodl. Ioann. Alii codd. silentur, et edd. paene omnes post *suasorias* inserunt haec: *quae sunt apud rhetorem materiae inter rudimenta dicendi.* Obr. ea eiecit, fortasse codice suo Argentoratensi auctore, Gesnerus uncis inclusit, glossam putans. Malui in tanto codd. consensu, (nam ceteri, qui non memorantur, neglecti videntur a conferentibus) imitari Obrechtum. — *Citra*) Guelf. et Turic.

*Possess. depulsa*) Eo, quem modo memoravimus, Ciceronis loco: *nos* (patroni) *de nostra possessione depulsi.*

*Vsque ad suasor.*) H. e. si Grammaticus omnia docet, quae sunt ante suasorias.

*A narrationibus—desideratur*) Cave *a* hoc loco explices *post.* Iam in ipsis narrationibus scribendis et primis generis demonstrativi periculis discipulo adesse rhetorem vult Quint. Cf. I, 9, 6, ubi, quales *narratiunculas a* Grammatico tractari suadeat, ostendit; maiores rhetoribus assignat.

palam est, quam turpiter deserat eam partem rhetoric̄es institutio, quam et primam habuit, et diu solam.
10 Quid autem est ex iis, de quibus supra dixi, quod non tum in alia, quae sunt rhetorum propria, tum certe in illud iudiciale causae genus incidat? An non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit vel plu-
11 rimum. Non laus ac vituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? Non communes loci, sive qui sunt in vitia directi, quales legimus a Cicerone compositos; seu quibus quaestiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio: ut, *Sitne parvis argumentis credendum?* et *pro testibus*, et *in testes* in
12 mediis litium medullis versantur? Arma sunt haec quodammodo praeparanda semper, ut iis, quum res poscet, utaris. Quae qui pertinere ad oratorem non putabit, is

*circa*, cum edd. a Stoer. ad Gibs., male. — *Quid aut. est ex.*) Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2 omittit *est*, ut et Locat. Rusc. Bad. Cervicorn. Non prorsus male.

*Vt iis*) Ita Goth. (tac. Gesn.) cum vett. edd. plerisque; *his* recentiores, ut Gesn., non aeque convenienter.

*Theses*) His opponuntur *hypotheses*, quae sunt *cum complexu rerum* etc. Cf. II, 4, 24; III, 5, 5, 7; it. Cic. Orat. c. 14, 36; Topic. c. 21.

*De quibus supra*) Modo §. 8 in fine. *Supra* igitur de brevissimo intervallo dicit. Cf. I, 5, 41.

*Quales — compositos*) Rectissime Gesn. videtur ad partes vocare locum in fine Praefationis paradoxorum, ubi significat Cicero, se fuisse solitum exercitationis causa, ea, quae dicantur in scholis θετικὰ (h. e. in genere proposita *citra compl. rerum person.*), ad suum illud oratorium transferre dicendi genus; *legimus* utrum ad ipsos, quos legerit Qu., locos communes spectet, an ad mentionem eorum ab aliquo scriptore iniectam (quod mihi verisimilius videtur), in neutram partem certa sunt argumenta. Potuit, sicut prooemia in futurum orandi usum Demosthenes, ita locos communes Cicero componere.

*Quinto quoque Hortensio*) Displicet *quoque*, quum de aliis huiusmodi locorum auctoribus actum non sit, nisi forte inest admiratio, tantum virum tam levi operi manus admovisse; cf. II, 4, 27. An *quoque* natum ex male repetito *Quinto*? Codd. quidem non variant.

*Pro testibus — in testes*) Eiusmodi in utramque partem argumenta ministrat Arist. Rhet. I, 15, 17.

*Pertinere ad oratorem*) Hoc loco non erat negligenda varietas scriptu-

ne statuam quidem inchoari credet, quum eius membra fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumnietur, tanquam eum, qui sit rhetori tradendus, abducendum protinus a Grammaticis putem. Dabuntur illis tum quoque tem- 13
pora sua; neque erit verendum, ne binis praeceptoribus oneretur puer. Non enim crescet, sed dividetur, qui sub uno miscebatur, labor: et erit sui quisque operis magister utilior: quod adhuc obtinent Graeci, a Latinis omissum est, et fieri videtur excusate, quia sunt, qui labori isti successerint.

*Tradendus*) Guelf. a prima manu *traditus*, cuius postremis syllabis superscriptum est *dendus*. — Illud etiam Goth. Ioann. Voss. 1, 2, 3, et aliquot edd. probante recte Gesnero. Vel sonus enim receptae displicet, et magis consentaneum est, credere *abducendum a Gr.* postquam *traditus* iam sit rhetori, quam quum *tradendus* adhuc. — *Omissum est et*) Guelf. om. *est*.

*Labori isti*) Goth. (tac. Gesn.) *huic labori*, cum Voss. 2.

*Successerint*) Ita Goth. cum Iens. (tac. Gesn.) et Voss. 3, quibus accedunt edd. Tarv. Loc. Venet. Rusc. Ald. Bad. Cervic. et astipulantur Bal. et Guelf. per errorem dantes *succensuerint* ille, hic *succenserint*. Vulgo, ut et Gesn., *successerunt*.

rae Turic. *orationem*. Quod quanto praestet recepto, facile sentias, si *statuam*, non *statuarium*, comparari attenderis. Eadem similitudo repetitur in prooemio lib. VII, §. 2. Faciunt autem cum Turic. Codd. Alm. Ioann. Bal. Voss. 2, edd. ante Ald. sec. meae omnes, excepta Ald. pr. Revocavit *orationem* Obr. quod et ipse facere debebam, nihil moratus auctoritatem Guelferbytani, quem appello ad III, 5, 12 in not. crit.

*Neque hanc*) Apparet male continuatas hoc loco paragraphos, quum nova et generalior ordiatur disputatio. Sed nolui turbare numeros iam receptos.

*Tradendus*) Vid. not. crit.

*Quod adhuc — excusate*) Quid igitur *obtinent adhuc Graeci, omiserunt Latini*? Scilicet, ut, dum apud rhetorem est puer, Grammaticus eundem doceat. At potestne dici *fieri* aliquid, quum *omittitur*? Nam aliter vix te expedias, quam ut *omissio* ista dicatur *fieri excusate*, ubi pro *omissum est* malim certe *omittitur*, si *fieri* eo est referendum. Et quomodo facit ad excusandam omissionem moris eius, quo duobus simul magistris vacabat adolescens, quod *isti labori* (cui autem?) *successerunt quidam*. Haereo in loco, qui, si non aliunde, ab interpunctione certe laborat. Neque tamen ullam ego diremptionem comminiscor, quae ab omni parte placeat. Cf. I, 9, 6, ubi, quid latini rhetores omiserint, quoque tractando

II. Ergo quum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut, quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus eius artis magistris
2 erit, quorum in primis inspici mores oportebit; quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum libro priore; sed quod magis necessariam
3 eius rei mentionem facit aetas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur, et apud eos iuvenes etiam facti perseverant, ideoque maior adhibenda tum cura est, ut et teneriores annos ab iniuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a
4 licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est summam praestare abstinentiam, nisi disciplinae severitate convenientium quoque ad se mores astrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi
5 tradantur, existimet: ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei

*Sibi — tradantur*) Ita Guelf. cum Turic. Alm. et multis edd. vett. (praeter Burmanno memoratas: Iens. Tarv. Venct. Rusc. Bad.) flagitante latinitate ob *sibi*. Gesn. cum recentt. *tradantur*.

levaverint eos Grammatici, longe est apertius. Sunt enim narrationes et genus eloquentiae demonstrativum, de quibus si noster quoque locus agit (quod suspicor), corruptus ille sit necesse est. Aliquam Codd. in hisce fluctuationem vide in nott. critt. sed non capitalem illam.

*Libro priore*) Cf. I, 5.

*Ab iniuria*) Cf. I, 3, 16, 17, et hui. ips. cap. §§. 14, 15, it. XI, 1, 53: *si de morte filii sui, vel. iniuria, quae morte sit gravior, dicendum patri fuerit.* Ib. §. 84: *ubi quis pudenda quaeritur, ut stuprum, praecipue in maribus.*

*Mores astrinxerit*) Cave adhuc trahas ad *astrinx.*, pertinet ad *convenientium*: *astringere* opponitur dissolvendis moribus. Ita, sed alio destinata translatione, X, 4, 1, *luxuriantia astringere*. Similiter Liv. XXXIX, 1, 6: *inops regio, quae parsimonia astringeret milites.* Similia et noster I, Prooem. 24, et II, 4, 5.

de honesto ac bono sit sermo. Nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus; nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator: simplex in docendo; patiens laboris; assiduus potius, quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, 6 non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus; quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. In emendando quae corrigenda erunt, non acerbus, 7 minimeque contumeliosus; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa, quotidie di- 8 cat, quae secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox* alit plenius, praecipue-

*Quo saep.*) Goth. (tac. Gesn.) *quod*, non sine sensu, etsi deteriore.

*Simplex in docendo*) *Simplicitas* saepissime apud veteres cernitur promendo ea, quaecumque aliquis cogitat. Sic loco Ciceronis festivissimo Orat. c. 69: *virum simplicem, qui nos nihil celet.* Intelligas igitur doctorem, qui nihil eorum, quae novit, invideat discipulis suis (cf. I, 4, 23); sed et is, ex usu veterum, est *simplex*, qui nil, praeter eam, quam quum maxime agit, rem, sibi proponit, qui itaque, dum docet adolescentes, eorum unice utilitatem, non suam gloriolam, ostentanda erudition-e, spectat. Sic I, 12, 11: *simpliciter* docentem sequuntur, de pueris, nihil aliud, nisi quod mandatur, agentibus.

*Dictionibus*) I. e. declamationibus, *ῥήσεσι*; cf. II, 4, 27, ubi orationes forenses intelligendae.

*Malignus*) Nimium *Parsimoniam* in laude tribuenda solam intelligi, nullam aliam *malignitatem*, monendi videntur tirones. Docent Lexica in *benignus* et *malignus*.

*A proposito — fugat*) Cave, nimis ex nostra loquendi forma interpreteris. Id quidem solum interesse videtur, quod Quintiliano et aequalibus *studere* est *literas tractare diligenter;* cf. II, 7, 1 nobis hodie, *vitae genus sequi, ubi victum quaeras ex literis.* Cf. Gesn. ad Plin. Epp. III, 5, 5.

*Viva — vox*) Proverbium Graecis et Latinis usurpatum de *viva voce*, est apud Ciceronem v. c. ad Att. II, 12: *Vbi sunt qui aiunt ζώσης φωνῆς?* Imperfectum, ut sit, affertur proverbium, ubi haec fere desunt: *μείζων ἐστὶν ἐνέργεια.* Vide plura de eo ap. Erasmum Chiliad. I, Cent. 2, 17, et consule, sis, Bentleium ad Hor. Art. Poët. vs. 318, in quem ex Codd. inducit *vivas voces*, qui et nostro loco

que eius praeceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant, et verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus.
9 Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exultandique in laudando licentia; quin

*Praecipueque eius praec.*) Guelf. et Turic. omittunt *eius*, cum Goth. et plerisque edd. ut Iens. (tac. Gesn.) Tarv. Dant illud tamen codd. Pal. et Bal. cum quibusdam edd. ut Andreana. Fateor me libentius eo carere, quamquam insuavem fieri sonum, omisso *eius*, et sentio et doleo. Sententia tamen eo deducit, ut *praeceptoris* in genere, non *certi* alicuius praeceptoris, auctoritatem magnam significari intelligamus; neque video quid opus sit illis *si modo — instituti*, si retinetur *eius*. At si quemcumque praeceptorem amare dicuntur discipuli, commode et paene necessario additur id, *si modo* etc.

*Amant — verentur*) Guelf. *ament*, quod malim, si retinetur *eius*. Pro *verentur*, Voss. 2, *venerantur* (quocum hic non facit Goth.) ex glossa, *vereri* enim est pro *venerari*, quod exemplis ideoneis docet Drakenb. ad Liv. V, 28, 4. Huc maxime facit Cic. ad Quint. fratr. I, 3, *et amabat — et, — ut maiorem fratrem, verebatur.*

utitur. Seneca Rhet. Controv. lib. I, Praef. p. Bip. 63: *quod vulgo — dici solet, sed de* (Cicerone) *proprie debet, potui vivam vocem audire.* Vavassor *de vi et usu verbb.* p. 49 acute suspicatur Tulliano tempore nondum latine dictum hoc proverbium.

*Eius praeceptoris*) Vid. not. crit.

*Amant — verentur*) Vid. not. crit.

*In laudando licentia — modicum — testimonium*) Ex serie orationis, *laudari* hic magistrum, qui, *ipse aliquid dicat*, eique dari *testimonium*, putabimus, sicut et Gesnerus est interpretatus *de plausu, quem dicenti praeceptori tribuunt auditores.* Quae tamen sequuntur *Ita fiet* etc. usque ad §. 12 male *sentiant*, alia omnia docent et ostendunt, improbari morem discipulorum *se invicem* laudantium, quem sensum expressit Gedoynus: *les plus avancés témoignent—ce qu'ils pensent, de ce qu'ils entendent des autres.* Huic confusioni optimam medicinam afferri posse arbitror, si §. 8 loco suo moveatur, postque 12 relegetur. Sic recte procedit consiliorum a Quintiliano datorum ratio et series. Monet primum, leniter esse reprehendendas discipulorum dictiones, sed vetat idem condiscipulorum, inniorum praesertim, immodicum ferre plausum, qui quare sit perniciosus, docte in primis et eleganter persequitur. Deinceps ipsum iubet coram discipulis dicere magistrum, sed et eum, quomodo in admittendo auditorum plausu versari debeat, praeceptis instruit. Ita commodissime rationem reddere mihi videor et τοῦ *vero* §. 9, et τοῦ *sed* §. 13, quamquam, nisi alia obstarent, *posteriora*, vel in recepta constitutione, idonea reperitur interpretatio; *prioris* non item, ut quidem opinor. Iam autem quomodo fidem faciam tantae librariorum socordiae, ut integras sententias alieno loco posuerint, nullo praesertim codice auctore facto, non magnopere invenio. Id saltem in nostro scripto-

etiam iuvenum modicum esse, quum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex iudicio praeceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitiosissima, quae iam 10
*humanitas* vocatur, invicem qualiacumque laudandi: cum est indecora et theatralis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videntur cura ac labor, parata, quidquid effuderint, laude. Vultum igitur praeceptoris 11
intueri, tam qui audiunt, debent, quam ipse qui dicit; ita enim probanda atque improbanda discernent: sic stilo facultas continget; auditione iudicium. At nunc 12
proni atque succincti ad omnem clausulam non exsur-

*Quae iam*) Turic. Alm. Bodl. Andr. *qu. etiam.*

*Supervacua — videntur*) Guelf. eum Goth. *videtur*, et haec plerumque ante Burm. edd. scriptura. Adsunt tamen non pauci codd. et aliquot edd. vett. receptam dantes, quae sola vera est.

*Sic stilo*) Guelf. et Turic. *si st.*, cum Voss. 1. Non prorsus displicet, sed obstat codd. et edd. consensus, et potest ferri anaphora *ita — sic*, quam de industria variaverit scriptor.

re coniecturam nostram nonnihil adiuvat, quod insignem ordinis perturbationem ostendit Codex Guelferbytanus, qui VII, 3, 7 omittit verba haec, *Diversum — appellanda sint* (integram §.) quorum deinde partem ponit VII, 8, 2; partem VIII, 2, 21 ex quo ipso loco aufert illa, *At — interpretandum sit*, quae infercit VII, 8, 2. Si reputamus conditionem operis Quintilianei, qualem exponit in epistola ad Guarinum Poggius (Fabr. Bibl. lat. Ern. vol. II, p. 259), fortasse minus a tali suspicione abhorrebimus, quae tamen ut in hoc loco falsa sit, fieri sane potest.

*Theatralis*) Qualis a theatro, h. e. spectatoribus, solet acclamari; vid. I, 2, 9.

*Stilo — auditione*) Ostendit posterius, quo casu accipiendus *sit stilus*. De *stilo* vid. Epist. ad Tryph. 1. Est autem is h. l. ipsius dicentis, qui scriptam domo affert orationem, *auditio* ceterorum, qui intersunt recitationi. Perperam edd. quaedam dant *auditioni*.

*Clausulam*) Etsi de fine cuiusvis sententiae saepe apud rhetores usurpatur *clausulae* nomen, tamen longioris circuitus arguta et concinna conclusio proprie dicitur, petita a scena significatione, ubi est *clausula* petentis plausum histrionis et finem fabulae imponentis. Inde est quod Cicero dicit *Clausula est difficilis in provincia tradenda*, ad Att. VI, 3, ubi provinciae administrationem fabulae comparat, et ad Div. II, 4, *utar ea clausula, qua soleo.* Item simili modo

gunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exsultatione conclamant: id mutuum est, et ibi declamationis fortuna: hinc tumor et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a praeceptore laudentur, ipsi de illo male
13 sentiant. Sed se quoque praeceptores intente ac modeste audiri velint; non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quae quisque, et quomodo laudet; et placere, quae bene dicet, non suo magis quam eorum nomine
14 delectetur, qui recte iudicabunt. Pueros adolescentibus sedere permixtos, non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque praepositum, modestam habere potest etiam iuventutem; tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est; et carendum non solum crimine turpitudinis, verum etiam
15 suspicione. Haec notanda breviter existimavi: nam ut absit ab ultimis vitiis ipse praeceptor, ac schola, ne praecipiendum quidem credo. Ac si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filii praeceptore non vitet, iam hinc sciat, cetera quoque, quae ad utilitatem iu-

*Dicere — mag.*) Guelf. praepostera scriptura *legere — imag.*

noster XI, 3, 181: *Huius quoque loci clausula sit eadem*; et loco in primis manifesto Seneca Epist. LXXVII, (p. 270, vol. III Bip.); *Quomodo fabula, sic vita — quocunque* (loco) *voles, desine: tantum bonam clausulam impone.* Oratores autem in *clausulis* maxime captasse argutias, significat noster VIII, 5, 13, 14: *Sed nunc illud volunt ut — omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem ac prope nefas ducunt, respirare ullo loco, qui acclamationem non petierit.* Eo igitur morbo iam discentes in scholis infectos discimus ex nostro loco. Est apud Senecam patrem p. Bip. 165 ad dictum aliquod ingeniosum, *scholasticorum summus fragor*, nimirum plaudentium. Vid. et p. 266, ubi gemina Quintilianeis.

*Ibi*) Non autem in iudicio praeceptoris.

*Quae — et quomodo laudet*) Sic Latro apud Senecam patr. p. 234 invehitur in discipulos se ipsum prave laudantes.

*Iuventutem*) Oppositam pueritiae i. e. adolescentes robustiores.

ventutis componere conamur, esse sibi, hac parte omissa, supervacua.

III. Ne illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui, etiam quum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent, tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas praeceptoris, cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu labo 2
randum, ut ostendam, quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis, quae semel insederint, vitiis, difficultas consequatur; quum geminatum onus succedentes premat, et quidem dedocendi gravius ac prius, quam docendi. Propter quod Timotheum clarum in 3
arte tibiarum, ferunt duplices ab iis, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quam si rudes tra-

*Quantaque*) Guelf. et Turic. omittunt *que* cum Goth. (tac. Gesn.) et aliquot edd., non male.

*Timotheum*) Milesium, tragicum, διθυραμβοποιὸν et musicum clarissimum, Euripidis aequalem, quem ob auctum chordarum in cithara numerum urbe expulerunt Lacedaemonii, hic agnoscunt interpretes; sed is tibiis cecinisse non dicitur. Intelligendus igitur est alter, hoc paulo recentior, Thebanus, quo canente Alexander ad arma prosiluit, narrantibus Suida et Basilio Magno p. 180, vol. II, ed. Bened. pag. 60 edit. hui. Hom. Sturz. qui et sedatum dicit iisdem tibiis Alexandri impetum. Vid. Lucian. in Harmonide. Bip. vol. IV, p. 137, ibique Solanum. Confudit Milesium cum Thebano Suidas, sed et Harles Biblioth. Graeca vol. II, p. 325, Not. ooo). Qui enim apud Athenaeum pag. 565 promissa barba canit tibiis coram Alexandro, is non potuit cum Archelao versari; vid. Plut. Apophthegmm. p. 177 B. Ceterum historia illa de Alexandro ad arma concitato et sedato rursus, Drydeno, poëtae, ansam dedit incendium Persepolitanum Timothei cantibus tribuendi, cuius apud Curtium et Plutarchum nulla mentio (vid. Alexander's Feast.). Qui hoc, de duplici mercede, narraret praeter Quintilianum, inveni neminem.

*Duplices — quam*) *Quam* post vocem similem comparativo, qualis est *duplex*, frequens scriptoribus. Consulant tirones Tursell. ed. Ern. pag. 755 seq. quibus adde nostrum IX, 2, 50: *contraria dicendi, quam quae intelligi velis.* Livii locum VII, 8, 1, *multiplex quam* non Pithoeus (ut

derentur. Error tamen est in re duplex: unus, quod interim sufficere illos minores existimant, et bono sane
4 stomacho contenti sunt; quae, quamquam et ipsa reprehensione digna, securitas tamen esset utcunque tolerabilis, si eiusmodi praeceptores minus docerent, non peius: alter ille etiam frequentior, quod eos, qui ampliorem dicendi facultatem sunt consequuti, non putant ad minora descendere; idque interim fieri, quia fastidiant praestare hanc inferioribus curam; interim, quia
5 omnino non possint. Ego porro eum, qui nolit, in numero praecipientium non habeo; posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo: primum, quod eum, qui eloquentia ceteris praestet, illa quoque, per quae ad eloquentiam pervenitur, diligentissime perce-

*Illos minores*) Goth. *illis min.* cum Voss. 2, non *illi*, ut refert Gesn. — *Alter ille etiam*) Turic. post *alt.* inserit *error* cum Bodl. ed. Andr. Iens. (tac. Gesn.) et meis ante Gryph. omnibus. Ex quo recte efficere videtur Burm. *alter, et ille etiam.* Nam neque vetusta illa, neque recepta plane procedit.

*Sunt cons.*) Guelf. *sint cons.* cum multis edd. neque displicet; sed mox pessime idem *possunt* pro *possint.*

est apud Burm. et Gesn.), sed Valla primus et post eum Badius attulerant. Tu vide ad eum Dukerum et Drakenb. it. Heusing. Emendd. p. 57.

*Quod interim sufficere*) *Interim* h. l. frugi est sensu, pro *interea*, *ad tempus*, etsi mox sui aevi more usurpat *interim — interim*. Cf. I, 1, 8.

*Bono sane — contenti*) Cave ablativos referas ad *contenti*, quod fieri recte iam vetuerunt Capperonnerius et Gesn. *bono stomacho*, est facili, cuivis cibo concoquendo pari; *contentum esse* est acquiescere, ἀγαπᾶν. Inest ironica gratulatio, quam insigni lepore conspergit *sane* istud, a quibusdam VV. DD. sollicitatum praeter necessitatem. Pinguius et minus dissimulato contemptu Horatius, *O dura messorum ilia.* Epod. III, 4.

*Ego porro*) Vis adverbii *porro*, est in oppositione; vid. I, 5, 46. Simillimus nostro locus II, 17, 8, ubi, praemisso adversarii (ut hic) argumento: *Nos porro — non laboramus.* It. III, 8, 59: *Ego porro —.* Item apud auctorem Declamatt. pag. 38, Vol. II in oppositione: *Negant — Ego porro — existimo.* Sed Ciceronis quoque aliquid eiusmodi affertur in fragmento orationis pro Scauro V, 13, 40: *Ego porro — clitellis*; pag. 1058, vol. IV, P. 2 Ern. ubi *clitellae* opponuntur *plaustris.*

*Eum, qui nolit*) Cf. I, 4, 23.

pisse credibile est; deinde, quia plurimum in praeci- 6
piendo valet ratio, quae doctissimo cuique planissima est; postremo, quia nemo sic in maioribus eminet, ut eum minora deficiant; nisi forte Iovem quidem Phidias optime fecit, illa autem, quae in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaborasset; aut orator loqui nesciet; aut leviores morbos curare non poterit medicus praestantissimus. Quid ergo? non est quae- 7
dam eloquentia maior, quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego vero confiteor; sed hunc disertum praeceptorem, prudentem quoque, et non ignarum docendi, esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis, ut velocissimus quisque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat, nec procedat ultra, quam comes possit.

*Planissima*) Guelf. *plenissima* cum aliquot codd. et edd. Recte nostram videtur defendere Badius, qui *manifestissimam* interpretatur. Confusioni apud librarios obnoxia in primis sunt *planus* et *plenus*. Vid. Drakenb. ad Liv. IV, 32, 10.

*Elaborasset*) Guelf. Turic. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *laborasset* et sic plerique codd. ut et edd. vett. neque exemplis caret usus *laborandi* transitivus, ut XII, 6, 5: *laboratam — dierum ac noctium studio actionem.* Statius Theb. III, 479, Marti Venus de Vulcano: *ipsique laboret Arma tibi.* Tacit. Germ. cap. 45, *Frumenta ceterosque fructus — laborant.* Sed et *elaborare* saepe noster.

*Ratio — planissima*) *Ratio* est *theoria*, opposita illa *praxi*; *planissima* haec est, quum prorsus ad artis formulam, regulis omnibus, instructa, accessit, neque quidquam habet obscuri aut incerti. Vid. not. Crit.

*Sic eminet*) Cave *sic* interpreteris *tantopere*, quasi gradus significetur. *Sic — ut* est cum ironia dictum pro his: tam miro, inaudito, modo — ut etc.

*Phidias — illa autem quae in ornamentum*) Obversatus Fabio videtur locus Ciceronis De Or. II, 17 extr. Is autem, praeter miram et nimiam paene convenientiam, quae est ei cum proximi capitis conclusione, habet difficultatem, quam non videtur sustulisse Ernestus, etsi probatus Wittenbachio V. Celeb. in bibl. crit. vol. I, p. 19. Noster infra (II, 19, 3). Praxitele utitur exemplo, quo in loco verba fere illa, quae sunt impeditissima apud Ciceronem (De Or. II, 17), *illud idem artifex*, satis apte ponuntur. Spald. *in Praef. p.* 82.

*Loqui*, quod longe minus est quam *dicere*.

8 Quid? si plerumque accidit, ut faciliora sint ad intelligendum et lucidiora multo, quae a doctissimo quoque dicuntur? Nam et prima est eloquentiae virtus, perspicuitas, et, quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur; ut statura breves 9 in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur. Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozeliae genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur; et recto itinere lapsi plerumque devertunt. Erit ergo obscurior etiam, quo 10 quisque deterior. Non excidit mihi, scripsisse me in libro priore, quum potiorem in scholis eruditionem esse, quam domi, dicerem, libentius se prima studia tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum, quae facilior esset, erigere; quod a quibusdam sic accipi potest, tanquam haec, quam nunc tueor, sententia

*Tinnulos*) Guelf. *tremulos*, male. — *Cacozeliae*) Guelf. *cacexiae*, mire, neque speruendum, si iam nunc in translatione versaremur a valetudine petita. Sed est fortuitus error.

*Lapsi*) Turic. *lassi* cum multis. — *Scripsi. me in*) Guelf. cum Goth. omittit *me*, quod placet Gesn. et Heusingero in Hellenolexia pag. 121.

*Dilatare*) Fortasse subest tacita significatio fabulae de rana bovem imitante. Phaedrus I, 24, 5, *an bove esset latior*. Senec. de Benef. II, 15: *Nec exiguum* (beneficium) *dilatabo*.

*Tumidos — tinnulos*) Recte Rollinus *tumidos*, sublimitatis; *corruptos*, acuminis et ingenii; *tinnulos* compositionis et numerorum, perperam studiosos interpretatur. *Corruptum* proprie in primis appellatur quidquid in oratione, ostentandi ingenii causa, desciscit a veterum severitate. Sic liber de causis *corruptae* eloquentiae. 3 Prooem. VI, et VIII, 6, 76: *corruptas orat.*, II, 5, 10: *corruptissimus quisque poëtarum*; VIII, Prooem. 25: *nemo ex corruptis dicat me inimicum esse culte dicentibus*; VIII, 3, 7, Seneca pat. p. 285, *corruptae sententiae*; it. p. 183, *multa bene dicta sunt, multa corrupte*, et saepe.

*Devertunt*) Nempe in hospitia, et sic tardius veniunt ad destinatum locum, quem, si rectâm viam tenuissent, eo ipso die attigissent. *Recto itinere lapsi* (non *lassi*, ut est in aliquot Codd.) sic dicuntur, ut a Seneca de vita beata c. 1, *via lapsus*. Si *lassi* voluisset Qu. posuisset ante *recto it.*

*Libro priore*) C. 2, 26.

priori diversa sit. Id a me procul aberit; namque ea 11
causa vel maxima est, cur optimo cuique praeceptori
sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque,
melius instituti, aut dicent, quod inutile non sit imi-
tari; aut, si quid erraverint, statim corrigentur: at in-
doctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, et placere
audientibus iudicio suo coget. Sit ergo, tam eloquen- 12
tia quam moribus, praestantissimus, qui ad Phoenicis
Homerici exemplum dicere ac facere doceat.

IV. Hinc iam, quas primas in docendo partes rheto-
rum putem, tradere incipiam; dilata parumper illa,
quae sola vulgo vocatur, *arte rhetorica;* at mihi op-
portunus maxime videtur ingressus ab eo, cuius aliquid
simile apud grammaticos puer didicerit. Et quia nar- 2
rationum, excepta qua in causis utimur, tres accepi-
mus species: *fabulam*, quae versatur in tragoediis atque
carminibus, non a veritate modo, sed etiam a forma

*Dicent*) Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *discent* cum sat multis codd., male; *dicent* enim spectat ad *dictiones discipulorum* II, 2, 6. Guelf. receptam dat.

*At mihi*) Ita Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 3, et quibusdam edd. vett. quibus adde Iens. Tarvis. et Venet. Etiam, qui primus *Ac* suasit legendum, Regius in suis, et procul dubio in Florentino, invenit *At*. Gesn. cum cett. recc. *Ac*. Sed inest oppositio spectans ad *quae sola vulgo vocatur*, ego autem, ait, non sentio cum vulgo isto sed *opportunus* etc. Hoc eo magis verum puto, quod transeuntis illius *Ac* vis est mox in *Et* quo minus credas formam hanc bis positam. Guelf. dat *Ac*.

*Accepimus species*) Turic. Guelf. Goth. (tac. Gesn.) *accipimus sp.* cum edd. meis a Gryph. inde usque ad Gesn. qui ex vett. praeteritum revocavit. Videtur aptius praesens, quia significatur recepta inter homines divisio narrationum, non ea, quam in prioribus scriptor ipse fecerit, quo possit deducere praeteritum hoc loco positum. Neque obstat mox comparens *dedimus*, quod proprie de se dicit respiciens ad I, 8, 18; I, 9, 2, 6. Peculiaris autem *argumenti* significatus in h. l. invenitur etiam apud Ciceronem de Inv. I, 19.

*Phoenicis Hom.*) Iliad. IX, 442, 3. — οἰδασκέμεναι τάδε πάντα, Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Cf. Aristid. contra Plat. pag. 97, vol. II Iebb.

*At mihi*) Vid. not. crit.

veritatis remotam; *argumentum*, quod falsum, sed verosimile, comoediae fingunt; *historiam*, in qua est gestae rei expositio; grammaticis autem poëticas dedimus: apud rhetorem initium sit historia, tanto robu-
3 stior, quanto verior. Sed narrandi quidem quae nobis optima ratio videatur, tum demonstrabimus, quum de iudiciali parte dicemus. Interim admonere illud satis est, ut sit ea neque arida prorsus atque ieiuna (nam quid opus erat tantum studiis laboris impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur?) neque rursus sinuosa, et arcessitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poëticae licentiae ducuntur, lasciva.
4 Vitium utrumque; peius tamen illud, quod ex inopia, quam quod ex copia venit: nam in pueris oratio perfecta nec exigi, nec sperari potest; melior autem est indoles laeta, generosique conatus, et vel plura iusto
5 concipiens interim spiritus. Nec unquam me in his discentis annis offendat, si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curae velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, et satiari velut quodam iucundioris disciplinae lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta aetas

*Remotam*) Turic. et Guelf. *remota* cum sat multis codd., non male. — *Tum demonstr.*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *tum*, cum Voss. 3, et edd. aliquot. — *Lasciva*) Guelf. *lasciviant*, quod in suis inveniebat Regius, qui coniectura expunxit *n*. Goth. (tac. Gesn.) *lascivia*, in quo latet multorum codd. ut Turic. et edd. scriptura *lasciviat*. Ego tamen receptam puto veram ob positum vocis *neque* post *sit*, et additum adverbium *rursus*

*Tanto robustior*) Quae tanto plus in narrante roboris et virium poscit, quanto remotior est a libertate fingendi, quum in illis poëticis narrationibus liceat quasi pueriliter lascivire. *Robustior* dicitur, quatenus *robustiorem* adolescentem decet; et spectat elogium ad omnem omnino historiam, non ad aliquem eius delectum a rhetore faciendum.

*Quum — dicemus*) Lib. IV 2, c. .

*Plenius — corpus*) Iungo et subiectum simul facio; non *plenius*, praedicatum. Est autem *plenius corpus* puerilis illa obesitas, succo abundans, quam, frequenti apud rhetores translatione, sibi dari optant magistri eloquentiae; cf. II, 10, 5, et Se-

astringat. Hinc spes roboris: maciem namque et infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat haec aetas plura, et inveniat, et inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca et severa. Facile remedium est ubertatis; sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris na- 7
tura minimum spei dederit, in qua ingenium iudicio praesumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorem atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo unde excidi possit, et quod exsculpi; erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et quam caelatura altior rumpat. Quod me de his aetatibus sentire minus mira- 8
bitur, qui apud Ciceronem legerit, *Volo enim se efferat in adolescente fecunditas.* Quapropter in primis evitandus, et in pueris praecipue, magister aridus; non minus, quam teneris adhuc plantis siccum et sine

propter quorum utrumque adiectivum *lasciva* adiectivo *arida* opponi potius expectes, quam verbum *lasciviat*, adiectivo *arida*.

*Exsculpi*) Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2, *sculpi* quod longe magis placet, quia sic abest molesta iteratio excidi, exsculpi.

*Legerit*) Goth. *leget* (non *legit* ut Gesn. ref.) cum Voss. 2.

neca rhet. p. Bip. 285: *in iis etiam, si minus insaniae, minus spei est. Illi, qui tument et abundantia laborant, plus habent furoris, sed plus etiam corporis.*

*Expressus*) Vbi artus singuli apparent, neque pingui carne amiciuntur.

*Materiam — rumpat*) Fateor displicere mihi hanc tam diligentem similitudinem, quae dum singulis rei comparatae partibus suas imagines reddere conatur, in argutias videtur abire. Obscuritate etiam, quae prima omnium abesse debet a comparatione, laborat aliqua, dum, *de coquentes aliquid e materia anni* oleris potius vel unguenti alicuius coquendi, speciem praebent quam metalli fusi, quod mox animo concipere iubemur, quamquam vel de metallo *decoquendi* vocabulum usurpatur. Ipse hic ergo nostri loeus cacozeliae crimine prorsus carere mihi non videtur.

*Exsculpi*) Vid. not. crit.

*Apud Cic.*) De Orat. II, 21, quem locum cum Quintilianeo conferre recte suadet Gesnerus.

9 humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, et velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. Macies illis pro sanitate, et iudicii loco infirmitas est; et dum satis putant vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic et annos fe-
10 rent, et vetustate proficient. Ne illud quidem quod admoneamus indignum est, ingenia puerorum nimia interim emendationis severitate deficere; nam et desperant, et dolent, et novissime oderunt, et (quod ma-
11 xime nocet) dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare fer-
12 rum videntur, et cicatricem nondum pati posse. Iucundus ergo tum maxime debet esse praeceptor, ut remedia, quae alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua; ferre quaedam; mutare etiam, reddita cur id fiat ratione; illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, totas ipsum dictare materias, quas et imitetur puer, et interim tan-
13 quam suas amet. At si tam negligens ei stilus fuerit, ut emendationem non recipiat, expertus sum prodesse, quoties eandem materiam rursus a me retractatam,

*Rursus — retractatam*) Guelf. *rurs. — tractatam.* Sed recte defendit receptam Burmannus. Eiusmodi enim pleonasmum a veteribus non fuisse vitatum multis exemplis apparet, apud Suetonium in primis, et hic ubi repetitionem magnopere commendat, parum erat, *tractandi* verbum sine

*Quas et imitetur — amet*) *Interim*, donec imitatus fuerit has a magistro profectas materias, h. e. declamationes integras, amabit eas, tanquam suas, quippe sibi a praeceptore donatas.

*Tam negligens stilus*) Vid. I, 1, 28: (stilus) *rudis et confusus intellectu caret.* Neque tamen nego vel de cogitatis ipsis posse intelligi, quae discipulus domi negligenter nimis conscripserit. Is enim est *stilus additioni* oppositus v. II, 2, 11.

*Rursus — retractatam*) Vid. not. crit.

scribere de integro iuberem; *posse enim eum adhuc melius:* quatenus nullo magis studia, quam spe, gaudent. Aliter autem alia aetas emendanda est, et pro 14
modo virium et exigendum opus, et corrigendum. Solebam ego dicere pueris, aliquid ausis licentius aut laetius, *laudare illud me adhuc; venturum tempus, quo idem non permitterem*: ita et ingenio gaudebant, et iudicio non fallebantur. Sed ut eo revertar, unde sum 15
egressus; narrationes stilo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo. Nam, ut primo, quum sermo instituitur, dicere quae audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem; ideoque et retro agere expositionem, et a media in utramque partem discurrere sane merito cogantur; sed ad gremium praeceptoris, et dum aliud non possunt, et dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment; ita quum iam formam rectae atque emendatae orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio, et vix surgendi mora, circulatoriae vere iacta-

praepositione dimittere. — *Dum aliud non possunt*) Guelf. et Turic. omittunt *aliud*, cum Goth. et multis al. Immo dubito an omnes codd. ignorent vocem. Quum enim vett. edd. ea careant pleraeque ne conferentium quidem codices Criticorum satis tuta est observatio, quo nomine et Gibsoni de suis codd. silentium non magni facio. Sensus non omnino nullus est, proscripto isto *aliud*. Tum pueri iubebuntur ita exerceri, quamdiu nondum possunt narrare; simulac vero eius rei facultatem adepti fuerint, omittetur ea exercitatio, ne abeat in *circulatoriam iactationem*. Attamen, si idonea codd. auctoritate defenderetur, facile unusquisque acquiesceret in recepta. — *Connectere*) Guelf. *nectere*.

*Rectae — orationis*) Goth. (tac. Gesn.) *recte loquendi atque emenda-*

*Nullo magis*) Idoneis exemplis docet Burmannus de industria sic *nullo* dici pro *nulla re*. E. g. II, 16, 12, *nullo magis*; III, 8, 52, *nullo alio — distant*; V, 4, 14, *nullo differt*.

*Expositionem*) Tirones observent idem esse prorsus ac *narrationem*.

*Cogantur*) Coniunctivus est praecipientis scriptoris, neque enim pendet a structura orationis.

*Ad gremium*) Praesente et regente praeceptore, ne quid pravi inolescat.

*Dum aliud non possunt*) Vid. not. crit.

*Vere iactationis*) Malim *fere iact.* Cf. I, 2, 10.

16 tionis est. Hinc parentum imperitorum inane gaudium; ipsis vero contemptus operis, et inverecunda frons, et consuetudo pessime dicendi, et malorum exercitatio, et, quae magnos quoque profectus frequenter perdidit,
17 arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum parandae facilitati tempus, nec a nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est, si puer omni cura et summo, quantum aetas illa capit, labore aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, huius rei naturam sibi faciat. Ille demum in id, quod quaerimus, aut ei proximum, poterit evadere, qui ante discet recte dicere,
18 quam cito. *Narrationibus* non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευὴ et κατασκευὴ vocatur. Id porro non tantum in fabulosis et carmine traditis fieri potest, verum etiam in ipsis annalium monumentis; ut, si quaeratur: *An sit credibile, super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret?* sit
19 in utramque partem ingens ad dicendum materia: ut

*tae orationis* cum Voss. 2, quibus accedunt aliquot edd. vett. — *Facilitati*) Ita non pauci codd. et forte ita dederant Bipontini, quare reliqui, quamquam Gesn. cum Burm. et plerisque recent. *facultati*, exiguo discrimine. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *facilitatis* cum Voss. 2, Bodl. et plerisque edd. Guelf. *felicitatis* per errorem.

Ανασκ. et κατασκ.) Goth. (tac. Gesn.) ἀνασκ. καὶ κατασκ. ut Ven. et

*Malorum exerc.*) *Mala* h. l. sunt vitiose, nullaque eloquentia, dicta. Agitur de artis pravitate non de animi, quo nomine ludit in *mali* vocabulo Horat. Serm. II, 1, 83. Sic X, 1, 119, *velle optima*; et ibid. §. 131, *meliora vellet*. Sed offendit quod *pessime dicendi consuetudo* non videtur differre a *malorum exercitatione*, quare alterum omisit interpres Gallicus.

*In id quod quaerimus*) Summam nimirum eloquentiam; cf. I, 10, 4. *In* cacumen montis *evadere* frequens locutio. Vid. Drakenb. ad Liv. IV, 34, 1; cf. supr. I, 2, 26.

Ανασκ.—κατασκ.) Eae inveniuntur in progymnasmatis Hermogenis (ap. Cl. Heerenium p. 15), it. Aphthonii.

*Non in fab.*) Eiusmodi autem fere sunt exempla rhetorum Graecorum: ut Aphthonii de mutatione Daphnes et Libanii de Chryse filiam redimente, et Achille.

*de serpente, quo Scipio traditur genitus*; et *lupa Romuli*, et *Egeria Numae*: nam graecis historiis plerumque poëticae similis est licentia. Saepe etiam quaeri solet de tempore, de loco, quo gesta res dicitur; nonnunquam de persona quoque, sicut Livius frequentissime dubitat, et alii ab aliis historici dissentiunt. Inde 20
paulatim ad maiora tendere incipiet, laudare claros viros, et vituperare improbos; quod non simplicis utilitatis opus est. Namque et ingenium exercetur multiplici variaque materia, et animus contemplatione recti pravique formatur; et multa inde cognitio rerum venit, exemplisque, quae sunt in omni genere causarum potentissima, iam tum instruitur; quum res poscet, usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit *comparatio-* 21
*nis*, *uter melior*, *uterve deterior?* quae quamquam versatur in ratione simili, tamen, et duplicat materiam, et virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat. Verum de ordine laudis, contraque, quoniam tertia haec rhetorices pars est, praeci-

Ald. quod placet. Guelf. omittit Graeca, lacunam relinquens. — *Historiis*) Guelf. *historicis*, cum nonnullo, ni f., elegantiae detrimento. Goth. autem tuetur receptam, contra quam narrat Gesn.

*Nam Graecis*) Mera Romanae historiae exempla attulit, quum Graecae nimis essent frequentia, quam ut oratione indigerent: *Quid enim non Graecia mendax Audet in historia?* Iuvenal. X, 174, 75.

*Sicut Livius*) Non quidem *de persona* sola, sed de ceteris item. Is sensus distinguendo obscurabatur, sed restitui diremptionem veterum editionum.

*Laudare — vituperare*) Sunt itidem Graecorum progymnasmata. Hermogenis apud Heer. p. 3 (Bibl. d. alt. Lit. St. 9) ἐγκώμιον, cui subiicitur ψόγος, seorsim tractatus ab Aphthonio. Sunt eiusmodi ἐγκώμια et ψόγοι inter Libanii opera.

*Exercit. comparationis*) Σύγκρισις Hermog. p. 10, it. Aphthon. Etiam Libanii συγκρίσεις supersunt ut Navigationis et agriculturae, Achillis et Diomedis etc.

*Etiam modum*) *Mensuram* intellige *modum*, non rationem.

*Tertia — rhetorices pars*) Quatenus ea continetur tertium eloquentiae genus, demonstrativum. Praecipit autem de eo lib. III, c. 7.

piemus suo tempore. *Communes loci* (de iis loquor, quibus, citra personas, in ipsa vitia moris est perorare, ut in *adulterum*, *aleatorem*, *petulantem*) ex mediis sunt iudiciis, et, si reum adiicias, *accusationes;* quamquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quasdam deduci species solent, ut, si ponatur *adulter caecus*, *aleator pauper*, *petulans senex*. Habent autem nonnun-
quam etiam defensionem. Nam et pro *luxuria*, et pro *amore* dicimus; et leno interim parasitusque defenditur
sic, ut non homini patrocinemur, sed crimini. *Theses* autem, quae sumuntur ex rerum comparatione, ut *rusticane vita*, *an urbana potior? iurisperiti*, *an militaris*

*Petulantem*) Guelf. *peculatorem*, cum marg. ed. Basileensis. Apud Cic. de Orat. III, 27, est *depeculator*. sed cum aliis coniunctus quam hic. — *Theses*) Guelf. *Thesis* cum Goth. et edd. vett. plerisque. Nimirum latt. litt. scriptum fuit graecum vocabulum.

*Communes loci*) Hermogenes Heer. p. 16, (St. 8). Inter exercitamenta rhetorum autem ii soli intelliguntur *loci communes*, qui vitiorum aut virtutum habent cum amplificatione incusationem aut commendationem, a quibus differt aliud genus, quod in tractatione generalium quarundam quaestionum versatur, de quo mox noster §. 27; cf. II, 1, 11. Cicero neque ac Qu. virtutes inter *locos communes* non memorat, quasi in sola vitia dirigantur; de Orat. III, 27. Etiam exempla Hermogenis, Aphthonii, Libanii sunt *incusationis*, neque in iudiciale sane genus, quod in accusando et defendendo versatur, cadit ista *laudatio*, nisi forte quum praemia petuntur viro forti, quare et ἀριστέα memorat in hac doctrina Hermogenes.

*Ili quoque*) Etiam dum personis carent, neque dum *accusationes* sunt factae.

*Pro luxuria — amore*) Gesnerus Ciceronem in Coeliana tale quid, sed caute et modeste admodum, fecisse monet. Et est sane eiusmodi vitiorum excusatio c. 17—21. Quin rhetoricam locorum communium tractationem exprobrat accusatori, qui, *quos aculeos habeat iudicum severitas gravitasque, eos erexerit in rem, in vitia, in mores. Facile enim esse, accusare luxuriem.*

*Vt non homini*) Tum enim desineret esse *locus communis*, fieretque *causa*.

*Theses*) Hermog. Heer. p. 17 (St. 9) Aphthonii haec definitio: Θέσις ἐστὶν ἐπίσκεψις λογικὴ θεωρουμένου τινὸς πράγματος, quibus addit Hermog. ἀμοιροῦσα πάσης ἰδικῆς περιστάσεως. Exempla fere εἰ γαμητέον, εἰ ῥητορευτέον, εἰ πλευστέον. Prius tractavit Libanius. Illud *de rustica vita an urbana* Gesn. monet tangi pro Rosc. Am. c. 27 extr.

*viri laus maior?* mire sunt ad exercitationem dicendi speciosae atque uberes, quae vel ad suadendi officium, vel etiam ad iudiciorum disceptationem iuvant plurimum. Nam posterior ex praedictis locus, in causa Muraenae copiosissime a Cicerone tractatur. Sunt et illae paene totae ad deliberati- 25
vum pertinentes genus, *ducendane uxor, petendine sint magistratus?* Namque hae, personis modo adiectis, suasoriae erunt. Solebant praeceptores mei, neque inu- 26
tili, et nobis etiam iucundo, genere exercitationis, praeparare nos coniecturalibus causis, quum quaerere atque exsequi iuberent: *Cur armata apud Lacedaemonios Venus?* et: *Quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer, et sagittis ac face armatus?* et similia: in quibus scrutabamur voluntatem, cuius in controversiis frequens quaestio est, quod genus chriae videri potest. Nam locos quidem, quales sunt de testibus, *semperne* 27
*his credendum?* et de argumentis, *an habenda etiam*

*Et quid ita*) Sic Guelf. Goth. (Turic. *quod i.* per errorem), neque dubito quin codd. ad unum omnes, cum edd. quidem ante Burmannum nulla aliter. Is nescio quo errore, quem propagavit Gesnerus, *et ita*, *Quid*. Nota forma quaestionis *Quid ita*, cum admiratione vel indignatione, pro solo *Quid*, de qua tirones videant Turnell. pag. 816.

*Coniecturalibus causis*) De his vide VII, 2. Sunt autem eae, in quibus quaeritur, factum sit aliquid necne.

*Armata — Venus*) Repetit armatae apud Lacedaemonios Veneris originem Lactantius (Divin. Institut. I, 20, p. Bip. 70) a fortitudine mulierum Spartanorum, quae, fugatis Messeniis, urbem viris vacuam adortis, etiamnum armatae obviam factae viris suis, ad urbem liberandam appropinquantibus, ipsi hostes visae fuerint, nec nisi nudandis corporibus pugnandi propositum iis excusserint, quo facto inter ipsa arma concubuisse, et in rei memoriam aedem Veneri armatae simulacrumque posuisse. Imaginem ipsam tangunt scriptores sat multi ut Pausan. lib. III, c. 15 extr. et Antipater Sidonius in Epigrammate ap. Brunk. vol. II, p. 15, cuius clausula haec: Οὐ γὰρ χρὴ τευχέων εἶναι δίχα τὰν παράκοιτιν Θραικός Ενυαλίου καὶ Λακεδαιμονίαν; et aliquot praeterea epigrammata ut vol. II, p. 15, p. 195.

*Quid — Cupido*) Cf. Propertii lib. II, el. 9.

*Genus chriae*) Nempe *activae*; cf. I, 9, 4, 5.

*parvis fides?* adeo manifestum est ad forenses actiones pertinere, ut quidam, nec ignobiles in officiis civilibus, scriptos eos, memoriaeque diligentissime mandatos, in promptu habuerint, ut, quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornaren-
28 tur. Quo quidem (neque enim eius rei iudicium differre sustineo) summam videbantur mihi infirmitatem de se confiteri. Nam quid hi possint in causis, quarum varia ac nova semper est facies, proprium invenire? quomodo propositis ex parte diversa respondere? altercationibus velociter occurrere? testem rogare? qui etiam in iis, quae sunt communia, et in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante praeparatis,
29 prosequi nequeant. Necesse est, his, quum eadem iudiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant velut frigidi et repositi cibi; aut pudorem deprehensa toties audientium memoria, infelix suppellex, quae, sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus et diversis officiis conte-

*Necesse est*) Guelf. et Turic. *Nec vero*, quod quibusdam praeterea codd. firmatum recepit Obr., nullo, quantum video, sententiae emolumento. Neque enim ea, qua locus laborat, difficultas tollitur, quod *ipsis dicentibus* movetur *fastidium*, quum exspectes *audientibus motum iri*. *His* enim in utraque scriptura ad *moveant* referatur necesse est.

*Nec ignobiles*) Huiusmodi fuit Hortensius; cf. II, 1, 11.

*Dictiones*) Cf. II, 2, 6.

*Differre*) Quum proprie huius nondum sit loci tale iudicium; conf. §. 32, *evagari*.

*Altercationibus*) Quales sint, vide VI, 4. Tacitus Histor. IV, 7, narrat in senatu: *per altercationem ad continuas et infestas orationes protectos esse;* et Livius VIII, 33, 10: *non tam perpetuas orationes quam altercationem exauditam*.

*Necesse — conteratur*) Locus elegantissimus, sed distinguendo obscuratus in omnibus paene edd. *his* dativus pendet a verbo *moveant*, non a *necesse*. *Frigidi isti et repositi* (id est denuo appositi) *cibi*, ipsi faciunt subiectum ut deinceps, *infelix supellex toties deprehensa ab audientium memoria*. Movetur cum fastidium tum pudor *ipsis dicentibus*, non audientibus *fastidium*, dicentibus *pudor*. *Infelix* autem supellex ista dicitur mirifico cum lepore, quasi sensum habeat. Si *velut — cibi* sepis virgulis et comparationem accipis, omnia turbantur neque habes iustum subiectum. *Velut* solùm, si tanti, poterat includi. *Ambitiosi* dicuntur significatu, de quo egi ad I, 2, 22.

ratur: cum eo quidem, quod vix ullus tam communis 30
locus, qui possit cohaerere cum causa, nisi aliquo pro-
priae quaestionis vinculo copulatus; appareatque, eum
non tam insertum, quam applicitum; vel quod dissimi- 31
lis est ceteris, vel quod plerumque assumi etiam parum
apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est;
ut quidam sententiarum gratia verbosissimos locos ar-
cessunt, quum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt, 32
autem speciosa haec et utilia, si oriuntur ex causa: ce-
terum quamlibet pulchra locutio, nisi ad victoriam ten-
dit, utique supervacua, sed interim etiam contraria est.

*Appareatque*) Guelf. *appareat at quae*, in quo nihil praesidii. Vnde pendeat coniunctivus, incertum est. Ad *nisi* si referas, quod expeditissimum videatur, ut fit a multis turbatur sententia, propterea quod locus aliquis non potest videri cum causa cohaerere, quem apparet non tam esse insertum, quam applicitum. Nimirum obliti sunt VV. DD., locum communem *insertum* laudari, vituperari *applicitum*. Gesnerus dum suadet *apparetque*, neque leniter magnopere emendat, neque rationem reddit contortae structurae ubi dicitur: *accedere ea difficultas, quod vix ullus — copulatus*, et quod, *apparet eum — applicitum*. Itane in genere apparet in *omni* loco communi, *eum* esse applicitum? Puto ferri posse receptam. si *appareat* accipiatur potentiali modo (φαίνοιτο ἄν) pro eo: potest facile apparere h. e. agnosci, ita ut pendeat vox ista (*appareat*) a *quod*, non a *nisi*, neque coniunctivus sit a regimine sed ab incerto, graeco, quem demonstravi, more.

*Supellectilem* autem Porcius Latro vocabat sententias, *de fortuna*, *de crudelitate*, *de seculo*, *de divitiis*. Senec. Rh. p. Bip. 68. Vid. not. crit.

*Cum eo quidem*) De mutatione, quam certatim tentarunt VV. DD. non est cogitandum. Satis enim nota et scriptoribus frequentata forma *cum eo*, cui plerumque subiicitur *tamen*, pro quo hic est *quidem*. Consulant tirones Tursellinum p. 184, 185, sed et lexica. Explices h. l. *quo quidem et hoc accedit, quod* etc. Similis usus in Declamatt. Quint. XIII, p. (edit. Bip.) 263: *cetera animalia — usibus — haec* (apes) *etiam deliciis, cum eo quod* etc.

*Appareatque*) Vid. not. crit.

*Assumi*) H. e. mutuo sumi, ne quis de mutatione cogitet cum Burmanno. Proprium etiam verbum de *petitis extrinsecus*; vid. Clav. Cic. Ern. in h. v. Sic usurpat Cic. de Invent. I, 11, et II, 24. Infra etiam c. 5, 23, *assumatur* significatu mutuandi.

*Sententia*) Non quaevis sententia, sed acuta illa, quales venari solebant Quintilianei aevi oratores de quibus VIII, 5 egit. Seneca rhet. pag. Bip. 68: *hae tralatitiae, quas proprie sententias dicimus*. Sic et I, 8, 9 etc.

33 Verum hactenus evagari satis fuerit. *Legum laus* et *vituperatio* iam maiores, ac prope summis operibus suffecturas, vires desiderant, quae quidem, suasoriis magis an controversiis accommodata sit exercitatio, consuetudine et iure civitatum differt: apud Graecos enim lator earum ad iudicem vocabatur; Romanis pro concione suadere ac dissuadere moris fuit. Vtroque autem modo pauca de his, et fere certa dicuntur. Nam et ge-
34 nera sunt tria, *sacri*, *publici*, *privati iuris*. Quae divisio ad laudem magis spectat, si quis eam per gradus augeat, quod *lex*, quod *publica*, quod *ad religionem deûm comparata* sit. Ea quidem, de quibus quaeri so-
35 let, communia omnibus. Aut enim de iure dubitari potest eius, *qui rogat*, ut *de P. Clodii*, *qui non rite creatus tribunus arguebatur*; aut de ipsius rogationis, quod est varium, sive *non trino* forte *nundino* promulgata, sive *non idoneo die*, sive *contra intercessiones*, *vel auspicia*, *aliudve quid*, *quod legitimis obstet*, dicitur lata

*Quid quod legitimis*) Guelf. *quidquid legibus*, posterius cum Bal. Goth.

*Apud Graecos — vocabatur*) Constituebantur a concione populi iudices certi, nomothetae dicti, apud quos nova lex rogaretur, cui adversarii, veteris legis per novam abrogandae defensores, itidem a populo creabantur quinque viri. Vid. Wolfium in Prolegg. ad Demosthenis Leptineam p. 135 — 145, qui et nostro loco utitur.

*Fere certa*) Opponuntur haec ad *ea* (§. 34) *de quibus quaeri solet*, h. e. dubitari. Plerumque igitur ea tantum de lege, aut vituperanda aut commendanda, dicuntur, quae possunt in unam tantummodo partem disputari, ut vel manifeste egregia vel vitiosa item demonstretur; raro, quae in utramque partem possunt versari.

*Ad laudem*) Potest autem nonnisi vetus lex ita laudari, non ea, quam quis rogat cummaxime; ea enim, tum quum dicitur, non est *lex*.

*Ea quidem — omnibus*.) Quaecumque *incerta* sunt in lege aut suadenda aut dissuadenda, referre videtur ad solum rogandae eius modum, non ad ipsam legem. Vtrum enim bona an mala sit lex, id ipsa uniuscuiusque indole apparere: De quibus possit ambigi, ea, quum ad formam pertineant, omnibus legibus, qualescumque tandem rogentur, esse communia.

*De P. Clodii*) Patricius ortu Clodius non poterat fieri tribunus plebis nisi adoptione plebeius factus antea. Hanc eius adoptionem ratam esse negavit Cic pro. Domo. C. 13 — 17, ubi etiam *auspicia* tanguntur et *trinum nundinum*, de quo vide, sis, Ern. Clav. Cic.

*Legitimis*) Vid. not. crit.

esse, vel ferri; sive *alicui manentium legum repugnare.* Sed 36
haec ad illas primas exercitationes non pertinent; nam sunt eae citra complexum personarum, temporum, causarum. Reliqua eadem fere, vero fictoque huiusmodi certamine, tractantur. Nam vitium aut *in verbis* est, aut 37
*in rebus.* In verbis quaeritur, *An satis significent? an sit in iis aliquid ambiguum?* In rebus, *An lex sibi ipsa consentiat? An in praeteritum ferri debeat, an in singulos homines?* Maxime vero commune est quaerere, *An sit honesta? an utilis?* Nec ignoro, plures fieri a 38
plerisque partes; sed nos *iustum, pium, religiosum,* ceteraque his similia, *honesto* complectimur. *Iusti* tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quaeritur, ut *dignane poena,* vel *praemio, sit?* aut de modo praemii, poenaeve, *qui* tam *maior,* quam *minor* culpari potest. Vtilitas quoque interim *natura* di- 39
scernitur, interim *tempore.* Quaedam *an obtineri pos-*

*quidquid* (non *quid*, ut refert Gesn.) *legitime*, et sic multi. Turic. *quidquid legitimis.* Nec male. Sed et recepta habet codd. cognitores et recte defenditur, *legitima* dici pro *solennibus*, quae, ut ad Nepot. XIX, 4, 2, dicit Cellarius, in publicis actibus omitti non possunt. — *Eae*) Guelf. et Turic. *haec*, cum multis codd., pessime. Vulgo, ut et Gesn., *haec* sed malui *eae* cum Goth. (tac. Gesn.) quod facilius distinguitur ab *haec* antecedente. — *Iis*) Ita pro *his* dedi ex Voss. 2. — *praet. ferri*) Turic. et Guelf. *praet. referri.* — *An utilis*) Turic. et Guelf. *an inutilis* cum plerisque codd. Sed defendit receptam Goth. cum Voss. 2, et Bal.

*Manentium*) Quae nova ista lege ipsa non sint abolitae.

*In singulos homines*) Leges XII tabb. tab. nona *Privilegia ne inroganto.* Intelliguntur autem leges, poenam statuentes, quod ostendit usus verbi *irrogare.* Vide Cic. pro Domo c. 17, de Legg. III, 19; Brut. 23.

*Poena vel praemio*) Non est *disiuncta* quaestio, sed *coniuncta*, quod ostendit *vel*, pro quo alioquin oportebat dici *an*; vid. I, 5, 49. Eiusmodi dubitationem, ubi membra non *opponuntur* sed *coniunguntur* vide V, 14, 13: *an sit immortalis, vel ad tempus certum maneat.*

*Quaedam*) Intellige *leges.* Demosth. in Timocratem p. Reisk. 721: οἶομαι — πάντας ἂν ὑμᾶς ὁμολογῆσαι — δεῖν — εἶναι δυνατὰς τὰς πράξεις, ἃς δεῖ γίγνεσθαι διὰ τοῦ νόμου. εἰ γὰρ αὖ καλῶς μὲν ἔχοι, μὴ δυνατὸν δέ τι πράζοι, εὐχῆς, οὐ νόμου, διαπράττοιτ' ἂν ἔργον.

*sint*, ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando *totas*, aliquando *ex parte* reprehendi solere, quum exemplum rei utriusque nobis claris ora-
40 tionibus praebeatur. Nec me fallit, eas quoque leges esse, quae non in perpetuum rogentur, sed de honoribus aut imperiis, qualis *Manilia* fuit, de qua Ciceronis oratio est. Sed de his nihil hoc loco praecipi potest. Constant enim propria rerum, de quibus agitur, non communi,
41 qualitate. His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen a dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere, circa Demetrium Phalerea insti-
42 tutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum, (ut alio quoque libro sum confessus), parum comperi: sed ne ii quidem, qui hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse, Cicero auctor est; quorum insignis maxime Plotius fuit.

V. Sed de ratione declamandi post paulo: interim,

*Constant*) Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *Constat*, cum aliquot. edd. vett. *Paulo*) Goth. (tac. Gesn.) *paulum* cum Voss. 2, minus bene; cf. not. crit. ad II, 17, 26.

*Aliquando ex parte*) Fateor me quidem orationem veterem, qua nonnisi pars legis alicuius impugnetur, meminisse nullam. De *aliquando* vid. Prooem. 17. Sic et Tacitus Histor. II, 74, 4, *modo — aliquando*; cf. II, 20, 10.

*Circa Demetr.*) *Circá*, pro *κατά*, de aetate viri alicuius, cf. II, 17, 7; XII, 10, 6. Seneca Rhetor. pag. 61 Bip. *circa Ciceronem effloruit*. Sequioris esse aevi docet Tursell. pag. 163.

*Vt — confessus*) Se hoc ignorare *confessus* est, ne quis interpretetur, confessum esse Quint., inventum Demetrii esse hanc exerc. Si libro de causis corruptae eloquentiae scripto id est *confessus*, ne hoc quidem in eo, quem versamus, dialogo invenitur.

*Fortissime*) Vid. I, 5, 72 ea enim est significatione. Cf. XII, 3, 3, *fortiter affirmare*.

*Cicero auctor*) De Orat. III, 24, L. Crassus: *Etiam Latini*, inquit, *si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt*. Sic et auctor Dial. de Orat. XXXV, 1. De *Plotio* cf.

quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittendum videtur id quoque, ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si, quemadmodum a grammaticis exigitur poëtarum enarratio, ita ipse quoque historiae, atque etiam magis orationum, lectione susceptos a se discipulos instruxerit; quod nos in paucis, quorum id aetas exigebat, et parentes utile esse crediderant, servavimus. Ceterum sentientibus iam 2
tum optima, duae res impedimento fuerunt, quod et longa consuetudo aliter docendi fecerat legem; et robusti fere iuvenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec tamen, si quid novi 3
vel sero invenissem, praecipere in posterum puderet. Nunc vero scio id fieri apud Graecos, sed magis per adiutores, quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis praeire semper ipsi velint. Et hercle 4
praelectio, quae in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur; etiam illa, quae vim cuiusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, si quando ita incidat, vi- 5

Suet. de clar. Rhetor. cap. 2. Seneca Rhet. pag. Bip. 134. Varro in fragm. pag. Bip. 289. Noster XI, 3, 143.

*Quorum — aetas*) Plerique enim, pro more Latinorum, de quo II, 1, 1 et 8, tardius ad eum venerant. Dolet tamen quodammodo, ut apparet mox §. 2, hoc nonnisi in *paucis* a se esse factum.

*Exemplum — sequebantur*) Rectissime cum Regio Gesnerus explicat de discipulis, et ipsum Quintilianum declamantem audientibus, et sua eum declamatione imitantibus cf. §. 16, ne quis de loco sollicitando cogitet, quae fuit aliquot VV. DD. sententia.

*Vel sero*) *Sero* h. l., ut saepissime, *nimis sero*. Sic ad Herenn. II, 25, *sero atque acto negotio*. Petron. c. 7, *tarde*, *imo iam sero*; cf. Liv. VIII, 5, 8 ed. Drak.

*Nunc vero*) *Nunc* opponitur ei, quod praecedit, *Iam tum* §. 2.

*Adiutores*) Suet. de clar. Gramm. cap. 10: *Atteius — nobilis grammaticus Latinus, declamantium deinde adiutor*. Cic. Epp. ad Div. IX, 18: *Sella tibi* (Paeto) *erit in Ludo, tanquam hypodidascalo* (quum ipse Cicero in ludo isto rhetorico, quem se aperuisse, narrat per iocum, esset πρωτοδιδάσκαλος) *proxima*.

tia, id professionis eius atque promissi, quo se magistrum eloquentiae pollicetur, maxime proprium est; eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, ut ad gremium revocatis, cuius quisque
6 eorum velit libri lectione, deserviant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis videtur utile, facto silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pro-
7 nuntiationi quoque assuescant; tum exposita causa, in quam scripta legetur oratio (nam sic clarius, quae dicentur, intelligi poterunt), nihil otiosum pati, quodque in *inventione*, quodque in *elocutione* annotandum erit; quae in *prooemio* conciliandi iudicis ratio; quae *narrandi* lux, brevitas, fides; quod aliquando consi-
8 lium, et quam occulta calliditas; namque ea sola in hoc ars est, quae intelligi, nisi ab artifice, non possit: quanta deinceps in *dividendo* prudentia; quam subtilis et crebra *argumentatio*; quibus viribus inspiret, qua iucunditate permulceat; quanta in *maledictis* asperitas, in *iocis* urbanitas; ut denique dominetur in *affectibus*, atque in pectora irrumpat, animumque
9 iudicum similem iis, quae dicit, efficiat. Tum in ra-

*Quo se mag.*) Hoc, quod, e Goth. et aliquot praeterea, recepit Gesn. pro vulg. *qui se mag.* etiam Guelf. dat.

*Lectione*) Ita Guelf. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) pro *lectioni*. Acceduut multi et codd. et edd. placetque *revocatis* dativo casu intelligi. Est difficultas in eo, quod singuli pueruli diversos libros afferre ad praeceptorem videntur, quare blandiatur fortasse alicui, quod est in codd. Alm. et Bodl., *liberis* pro *libri* (Turic. utrumque *liberis libri* sed servato *velit*) et (in Bodl.) *cuiusque* pro *cuius quisque*, omisso *velit*. Sed durissimum in ea scriptura, *eorum* referre ad *parentes* §. 1, quod suadet Lochmannus Progr. anni 1790, pag. 11.

*Vt ad gremium — deserviant*) *Gremium* significat tenerae aetatis institutionem, cf. I, 1, 24; I, 2, 15; II, 4, 15. Eo *revocari* est puerili rursus institutioni tradi; vid. not. crit.

*Crebra argum.*) Vbi ingeminantur, cumulantur, argumenta ut adversarius exire ea, iisque resistere, plane nequeat.

tione *eloquendi*, quod verbum proprium, ornatum, sublime: ubi *amplificatio* laudanda, quae virtus ei contraria; quid speciose *translatum*; quae *figura* verborum; quae levis et quadrata, sed virilis tamen *compositio*. Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando 10
et vitiosas orationes, quas tamen plerique iudiciorum pravitate mirentur, legi palam pueris, ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata sint, quae non laudantur modo a plerisque, sed (quod peius est) propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, 11
et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur; illa vero, quae utcumque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur, non aliter quam distortis, et quocumque modo prodigiosis corporibus apud quosdam maius est pretium, quam iis, quae nihil ex communis habitus bonis perdiderunt, atque etiam qui 12

*Levis — sed*) Ita Guelf. Vulgo, ut et Gesn. *lenis*. Equidem *compositionis* magis *levitatem* esse puto quam *lenitatem*, et addicunt praeterea Voss. 2, et Alm. et edd. Tarvisina et Veneta. Etiam infra X, 1, 52, *levitasque compositionis* existimo legendum pro *lenitasque* etc. Goth. autem, quem carere narrat Gesn. τοῖς *quadrata sed*, nonnisi *sed* omittit, quod ab aliis quoque abest codd.

*Mirentur*) Ita Guelf. cum Voss. 1, 3, Bern. Praetuli vulgatae *mirantur*, neque enim *omnes corruptas* et *vitiosas orationes* mirantur plerique.

*Quae virtus — contraria*) Vbi extenuando sit opus per μείωσιν.

*Levis et quadrata*) In *levis* ne corripe priorem. *Quadrata* opponitur *hiuleae*, et *confragose*, et intelligitur eiusmodi compositio (h. e. verborum structura, soni rationem habens) cuius commissurae bene coëant, ubi (quod dicit Persius I, 64, 65) *per leve severos Effiundat iunctura ungues*. Sic IX, 4, 69, *quadratum* itidem in compositione opponitur *soluto*; vid. not. crit.

*Virilis*) Cf. quae monuimus ad I, 8, 6.

*Palam*) pro *coram* praepositione cf. I. Fr. Gron. ad Liv. XXV, 18, 9, mox §. 16, pro *coram* adverbio.

*Distortis — pretium*) Apposite afferunt locum Declamationis inter Quintilianeas 298: *Habent hoc quoque deliciae divitum — Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorta corporis placet*. Et Plutarchi περὶ πολυπραγμοσύνης, pag. 520, C. V. 2: ἐν Ῥώμῃ τινὲς — τὰ κάλλη τῶν ὠνίων παίδων καὶ γυναικῶν ἐν μηδενὶ λόγῳ τιθέμενοι περὶ τὴν τῶν τεράτων ἀγορὰν ἀναστρέφονται, τοὺς ἀκνήμους καὶ

specie capiuntur, vulsis, levatisque, et inustas comas acu comentibus, et non suo colore nitidis, plus esse formae putant, quam possit tribuere incorrupta natura, ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus. Nec solum haec ipse debebit docere praeceptor, sed frequenter interrogare, et iudicium discipulorum
13 experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec, quae dicentur, superfluent aures, simulque ad id perducentur, quod ex hoc quaeritur, ut inveniant ipsi, et intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper
14 docendi sint? Hoc diligentiae genus ausim dicere plus collaturum discentibus, quam omnes omnium artes, quae iuvant sine dubio multum; sed, latiore quadam comprehensione, per omnes quidem species rerum quo-
15 tidie paene nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari quamquam sunt tradita quaedam praecepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent praece-

*Malis moribus*) Guelf. *malis morum* cum Ioann. scriptura non plane spernenda, quoniam inest maior concinnitas, referendo ad *pulchritudo corporis*. — *Superfluent*) Guelf. *perfluent* cum multis edd. Sed recepta plurimos codd. habet auctores. Puto tamen *perfluendi* verbum bene posse usurpari de liquore, qui a vase, cui infunditur, non retineatur. Si *superfluit*, ne intrat quidem, et aptum est loco nostro hoc quoque.

τοὺς γαλιάγκωνας καὶ τοὺς τριοφθάλμους καὶ τοὺς στρουθιοκεφάλους καταμανθάνοντες.

*Vulsis levatisque*) Conf. I, 6, 44. Eodem redit utrumque, *evulsis* enim pilis *levatur* (h. e. levigatur, prima enim producitur. Sic Horat. Epist. II, 2, 123, Aeneid. V, 306) corpus; cf. V, 9, 14, et, VIII Prooem. 19. *Aeus* est organon inter comendum adhiberi solitum Ovid. Amm. I, 14, 30; Iuv. VI, 498. Intelliguntur autem mares, non feminae. Sic Seneca pater Controv. lib. I, pag. 62: *in istis vulsis atque expolitis, et nusquam, nisi in libidine, viris.*

*Superfluent*) Vid. not. crit.

*Artes*) Rectissime Gesnerus accipit de libris ita inscriptis, vid. I Prooem. 24.

*Latiore comprehensione*) quoniam latius comprehendunt materiam oratoris, neque ad singula descendunt.

pta, quam experimenta. An vero declamabit quidem praeceptor, ut sit exemplo suis auditoribus: non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? corrigetur palam, si quid in declamando discipulus erraverit: non potentius erit emendare orationem? quin immo etiam iucundius. Aliena enim vitia quisque reprehendi mavult, quam sua. Nec deerant plura, quae dicerem: sed neminem haec utilitas fugit: atque utinam tam non pigeat facere istud, quam non displicebit. Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quaestio, qui legendi sint incipientibus? Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii floridius genus, ut ad alenda primarum aetatum ingenia magis accomodatum. Ego optimos quidem, et sta- 19
tim, et semper, sed tamen eorum candidissimum quem-

*An vero*) Ita Guelf. Turic. et Goth. et omnes, puto, codd. Regius, pro *An*, malebat *At*, quod receperunt Locat. Rusc. Bad. Tarvisina quidem editio (1482), quam textum Iensonianum, sed admistis multis operarum vitiis, exhibere narrat Ernestus (pag. 268 Bibl. lat. vol. II), *An* praefert, sed et ipsa Ienseniana, quam falso *At* dare narrat Gesn.; neque opus erat mutatione, ut vidit etiam Capperonnerius. Sunt coniunctae istae quaestiones: *Hoccine* fiet, non autem *illud?* ubi posterius altero etiam est verisimilius. Idem illud *An* mente repeti debet ante *corrigetur*: Similis fere ratio, nisi quod abest interrogandi figura, I, 10, 6, 7: *Nisi forte — nos mirabimur*, quo retrospice. Nam et hic, in apodosi: *non plus* etc. desideres *autem*, vel tale quid, quo clarior fieret sententia. *An vero* etiam infra cap. 8, 11, ubi iterum male sollicitat Regius, *non* suadens pro *vero*, nec locum intelligens. — *Ac Dem.*) Guelf. *aut Dem.* cum multis codd. — *Corrigetur*) Guelf. *corrigitur* cum Goth. Turic. et Alm., male. — *Fac. eorum int.*) Turic. omittit *eorum*.

*An vero*) Vid. not. crit.

*Pigeat displicebit*) Bona Gesn. coniectura inserentis *fecisse* inter *quam* et *non*; cf. III, 1, 6, *did.* — *disc.*

*Candidissimum*) I. e. simplicissimum, significatu, quem enarravimus II, 2, 5. Intelligitur autem h. l. non tam animus scriptoris quam dicendi genus, quod nihil oblique significet, sed omnia liquido exponat, quale tamen nonnisi ab animo etiam simplici proficiscatur. Pari ratione *sententias albas vocabat Pollio Asinius*, *simplices*, *apertas*, *nihil occultum*, *nihil insperatum afferentes*. Sen. Rh. pag. 198. Sic *candide* et *simpliciter* iunguntur XII, 11, 8, ubi tamen animus designatur. De genere di-

que, et maxime expositum, velim, ut Livium a pueris magis, quam Sallustium: et hic historiae maior est auctor, ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus, incipientibus quoque, et apertus est satis, nec prodesse

*Expositum*) Guelf. *compositum* quod ex edd. quibusdam vett. affertur, ex cod. quidem nullo. Etiam Ienson. *compositum*, Tarvisina autem *expolitum* praefert cum Venet. Aldo et Colinaeo, quod si codd. auctoritate niteretur, equidem non prorsus spernerem.

*Maior*) Ita Guelf. cum multis et codd. et edd. quibus a VV. DD. memoratis adde Tarvisinam. Goth. tamen, cum sat multis edd., et aliis

cendi est apud Cic. Orator. c. 16: *Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui duritatem et severitatem quandam verbis, et orationis quasi moestitiam sequuntur.* Apud nostrum X, 1, 73: *candidus — Herodotus.* Cf. ibid. §. 100: *Herodoto aequari Livium — clarissimi candoris.* Ibid. §. 113, *Messala — candidus.* Quum tamen candor ille orationis magnopere, ut dixi, pendeat ex animi, ab invidia, simulatione, alieni, candore recte Seneca pater (p. 41 Bip.) Livium dicit: *natura candidissimum magnorum ingeniorum aestimatorem;* quem antea *benignius* (h. e. liberalius) *omnibus magnis viris praestitisse funebrem laudationem* monuerat. Alio loco *Livium* valde iniquum Sallustio ostendit p. 274. Hic autem causa, quare primi legendi sint scriptores Livii similes, oratio est eorum, non animus, et eadem fere est virtus quam in Livio laudat noster, quum (X, 1, 32) *lacteam* ei tribuit *ubertatem*, oppositam et ipsam *Sallustianae brevitati.*

*Expositum*) Facilem intellectu, quasi dicas *apertum*, εὐπρόσιτον. Ea translatio est apud Cic. pro Quintio c. 30: *domus patens atque — exposita* ubi est pro *aperta.* Sic Stat. Silv. I, 2, 24, *limen expositum*; et Theb. II, 188, *Expositi animi*, ubi Scholiastes priscus: *Faciles oppido, obvii, parati.* Noster X, 5, 11, *exposita* videtur dicere pro *communibus, vulgo notis*, ut Iuvenal. VII, 54; vid. not. crit.

*A pueris*) Regium, qui praepositionem putat expungendam, nemo reprehendit. Equidem iungo *a pueris* et adverbialem locutionem accipio, quo expeditior sit structura, quam si *pueri* ipsi legentes intelliguntur.

*Et — auctor*) Vid. not. crit. Locus profecto corruptus, quae etiam Morhosii de Patavinitate Livii (pag. 78 ap. Drakenb.) est suspicio. Velim doceri a Gesnero luculentis veterum locis, *et* usurpari pro *etsi*, nisi forte quum praemittitur adiectivis significatque *etiam.* Esse autem opus vi istius coniunctionis, ultro sentio. Quum igitur in multis edd. neque in nullo Cod. inveniatur *maioris* pro *maior*, Barthianae maxime faveo emendationi, qua *maioris* dispescitur in *maior is;* sed, ut sensus existat probabilis, *et hic* mutari velim in *etsi.* Sententia autem ea est, Sallustii maiorem esse in historia auctoritatem. Hoc de eo iudicium fere probatum

tantum, sed etiam amari potest: tum (quemadmodum Livius praecipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus. Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: unum, 21
ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisque, et aliorum similium lectione durescere velit: fient enim horridi atque ieiuni: nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur: et elocutione, quae tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur. Alterum, quod huic diversum 22
est, ne recentis huius lasciviae flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ut praedulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem iudiciis, iamque extra periculum 23
positis, suaserim et antiquos legere (ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet) et no-

sine dubio codd. *maioris*. — *Livius praecipit*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *Liv. praecepit*, ne sic quidem male. *Plinium* autem quem edd. praeferunt multae vett., ut et Tarvisina, nullus videtur codex agnoscere.

*Ne quis eos*) Guelf. *ne quis eorum* cum Bodl. et Bal. et aliquot edd. vett. — *Aliena*) Guelf. *aliena est* cum multis codd. Et concinnius est sane, quum referatur ad *erat*.

*Huic div.*) Goth. (tac. Gesn.) *hinc div.* Sed amat Qu. iungere dativum huic adiectivo, ut IX, 2, 15, *cui div.* et §. 45, *sermoni sensus div.*

fuisse veteribus ostendit Martialis, noto epigrammate XIV, 191: *ut perhibent doctorum corda virorum — primus in historia*. Et praeter Quint. ita loquuntur Vellei. II, 36; Tacit. Annal. III, 30; Seneca Rhet. p. 274, *maior auctor* est fide dignior, sic Claudian. bell. Gildonic. vers. 499: *Certa fides caeli, sed maior Honorius auctor*.

*Quemadm. Livius*) Vid. X, 1, 39, ubi idem Livii praeceptum memorat, additque, inveniri id in epistola ad filium scripta. Intercidit autem haec epistola.

*Gracch. Cat.*) Illorum orationes interciderunt, huius solus *de agricultura* superest liber, de multis, quos scripsit.

*Recentis huius*) *Huius* eam significat, quae hodie sit in usu, qua de forma post Gronovium ad Liv. XXV, 40, 2 agit Ruhnkenius ad Vellei. I, 11, 5, ita mox, *noster hic cultus*, §. 23; et c. 6, 3, *in his — moribus*.

*Praedulce — genus*) Sic Petron.

24 vos, quibus et ipsis multa virtus adest. Neque enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis, quam oportebat, indulsimus: ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere: sed curandum erit, ne iis, quibus 25 permixta sunt, inquinentur. Quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter non concesserim modo, verum etiam 26 contenderim? Sed ii qui sint, non cuiusque est pronuntiare. Tutius circa priores vel erratur: ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio iudicium antecederet.

VI. Fuit etiam in hoc diversum praecipientium propositum quod eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequebantur: nec solum probationibus 2 implebant, sed etiam affectibus. Alii, quum primas modo lineas duxissent, post declamationes, quid omi-

VIII, 6, 55, *div. orationi volunt.* — *Neque*) Ita Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) edd., ut Gesn., fere *Nec.* Plenius et ante *enim* frequentius *neque*.

*Ii*) Ita Guelf. et magis placet vulgato *hi.* — *Cuiusque*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *cuiuscumque*; cf. I, 3, 11.

*Circa prior. vel erratur*) Guelf. *circa prior. imitatio est vel oriatur*; cum plerisque codd. nisi quod proprius Guelferbytani est error *oriatur* pro *erratur*. Pro recepta spondere videntur Ioannensis, nisi forte h. l. est mutilus, item Voss. 1, 3 et Beru., quorum tamen solitus cum Guelf. consensus facit ut minus fidam silentio eorum qui contulerunt, atque Alm. cum Turic. Edd. vett. certatim dant importuna haec *im. est*, quibus adde Tarvisinam. Rectissime neque inelegantes Badius, monens in solo Regii codice (excusum intelligit) desiderari haec verba, ait, se, quia Regius eradenda ea non dicat, dubitare an eradenda sint. Verissime ille; neque enim, lectore non monito, omisisset ea Regius, nisi a MSS. eius afuissent. Satis tuto colligas inde, ne in Florentino quidem codice legi. Quam autem sint aliena nemo non sentit, et Badius ne hoc quidem male: *Tutior dixisset Qu., non tutius.*

*Quid om.*) Ita Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) Sed videtur sphalmate mero initio operis: *mellitos verborum glo- bulos et omnia dicta — quasi papavere et sesamo sparsa.*

*Ne — inquinentur*) Ne quidquam ex deterioribus iis, unde ea promimus, adhaerescat electis istis.

sisset quisque, tractabant; quosdam vero locos non minore cura, quam quum ad dicendum ipsi surgerent, excolebant. Vtile utrumque: et ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantum alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore iam lapsos. Primum, quia emendatio- 3
nem auribus modo accipiunt, divisionem vero ad cogitationem etiam et stilum perferunt: deinde, quod libentius praecipientem audiunt, quam reprehendentem. Si qui vero paulo sunt vivaciores, in his praesertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, et taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia aperte coarguenda sunt. Habenda enim ratio ceterorum, qui recta esse, quae 4

irrepsisse *quod* in Gesneri editionem, quam Regii coniecturam, a Capperonnerio receptam, improbat in nota ipse. Turic. siletur.

*Et ideo neutrum*) *Et* hoc, natum e postremo eo, quod antecedit, *utrumque*, abiiciendum duco.

*Divisionem — ad stilum*) Scribunt enim discipuli eam tractandae materiae divisionem, quae dictatur a magistro, domumque secum asportant. Huiusmodi *divisiones* (*sermones* etiam vocantur, ut in Declamationibus Quintilianeis), alii aliis pleniores dabant. Exemplum est Albutii apud Senecam patrem Controv. l. III, praefat. p. 197, cuius orationis scholasticae, *tanquam declamationi multum deerat, tanquam divisioni multum supererat*. Seneca ipse in controversiis solet *divisiones* dare singularum causarum, quibus apparet, praeter earum partes, argumenta etc. discipulis iudicanda, etiam aliorum eiusdem causae tractationem cum iis communicare moris fuisse; cf. I, 2, 13.

*Vivaciores*) Frustra repugnat Burmannus, quo minus recentiorem et Francogallicum fere significatum agnoscamus in hoc vocabuli usu; cf. quae diximus ad I, 2, 20. Neque tamen protinus *vivacitas*, VI, Prooem. 3, eodem est intellectu accipienda. Vsus, qualis est noster, originem deprehendere mihi videor in loco Gellii V, 2 de Bucephalo, ubi equus, quamquam *moribundus* — regem dicitur *vivacissimo* cursu retulisse. Significatur cursus, qualis sit animantis vita plenissimi, obliterata *diuturnitatis* significatione, quae alias plerumque intelligitur. Gellius aliquot praeterea locis celeritatem *vivacissimam* dicit, ut XV, 22: *Cerva — vivacissimae celeritatis;* et IX, 4, *vivacissimae pernicitatis*. Sicut et Apulei. Florid. pag. Elm. 363, *vivacis* pern. Simile quid L. Seneca Consol. ad Marciam c. 26: *quam magno et quam vivaci animo scripsissem* quamquam ibi *vivax* Cremutii Cordi *animus* potest videri oppositus ipsius *morti*. Item Flav. Vopiscus in Au-

praeceptor non emendaverit, credent. Vtraque autem ratio miscenda est, et ita tractanda, ut ipsae res po-
5 stulabunt. Namque incipientibus danda erit velut praeformata materia secundum cuiusque vires. At, quum satis composuisse se ad exemplum videbuntur, brevia quaedam demonstranda vestigia: quae persequuti, iam
6 suis viribus sine adminiculo progredi possint. Nonnunquam credi sibi ipsos oportebit: ne mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari et quaerere sciant. Quod si satis prudenter dicenda viderint, iam prope consummata fuerit praecipientis opera: si quid erraverint adhuc, erunt ad ducem reducendi.
7 Cui rei simile quiddam facientes aves cernimus, quae teneris infirmisque foetibus cibos ore suo collatos partiuntur: at, cum visi sunt adulti, paulum egredi nidis et circumvolare sedem illam, praecedentes ipsae, docent: tum expertas vires libero caelo, suaeque ipsorum fiduciae permittunt.

*Velut praef.*) Guelf. *vel praef.*

*Sibi ipsos*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *sibi eos*, et pleraeque edd. *Ipsos* Obr. Burm. Capp. et Gesn. receperunt ex Alm. (Turic. *ipsi ipsos*, male) Bodl. et ed. Andr., neque tamen necessario; et elegantior fere mihi videtur ratio, quae *ipsos* istud, quod facile intelligitur, non adeo inculcat.

reliano c. 4: *a prima aetate ingenio vivacissimus*, quod proxime ad nostrum locum accedit. Intelligemus ergo et hic: *alacriores*, *animosiores*. Vid. Gronovii Observ. III, 4, pag. Platn. 352, qui idem probat. Similiter vergentem ad usum Francogallicum vocem legemus III, 8, 59, ubi *civilis et humanus ingressus* opponitur *quiritando*. Sic Ratgers. Var. lect. p. 234 in auctore Dial. de corr. eloq. c. 29, 2, pro *et libertati* scribit *ut vivacitati* ex vetere libro, ubi inveniebat: *et bibacitati*, non utique necessario, eleganter tamen.

*Vtraque — ratio*) Repetit, quod modo (§. 2) praeceperat.

*Sibi ipsos*) Vid. not. crit.

*Expertas vires*) Suspicor, quamquam in libris nulla varietas, *expertos*, masc. gen. dedisse Qu. Etsi enim sexcenties apud optimos scriptores passive usurpatur participium *experiendi*. Vid. Voss. de Vitiis serm. p. 146, et Drak. ad Liv. V, 546; elegantius tamen h. l. *ipsi suas vires experti* videntur *libero caelo permitti*, quam *vires istae expertae*, neque bene coit *suae ipsorum fiduciae*, quae de alio intelligere cogeris.

VII. Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nunc disserimus, aetatibus, ne omnia, quae scripserint, ediscant, et certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt, atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt; quum profectus praecipue diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimum- 2
que esse in hoc opere plane velim: sic ediscere electos ex orationibus vel historiis, aliove quo genere dignorum ea cura voluminum, locos, multo magis suadeam. Nam et exercebitur acrius memoria, aliena comple- 3
ctendo, quam sua: et, qui erunt in difficiliore huius laboris genere versati, sine molestia, quae ipsi composuerunt, iam familiarius animo suo affigent: et assuescent optimis, semperque habebunt intra se, quod imitentur: et iam non sentientes formam orationis illam,

*Ne omnia*) Guelf. *ne omnino.* — *Hui. laboris genere*) Ita Guelf. Bodl. Ioann. Alm. Voss. 1, 3, Bern. Ceteri edd. et praeter Obr., omnes *hui. generis labore*, quod minus clarum et videtur sapere recentiorem manum. Obrechtus nostram dat scripturam, nisi quod omittit *huius*; quare, nescio. — *Familiarius*) Guelf. et Turic. *familiari* cum tribus Britt. Alm. Voss. 1. Neque recte omnino procedit recepta; quid enim est *familiariter affigere?* Equidem verissimum puto, quod dedit Obr., fortasse e cod. Argent., *familiaria*. Nolui tamen ponere, quod in cod. nullo invenissem; quamquam *a* ante *a* facillime excidebat. Mecum facit Lochmannus Progr. 90, pag. 12. — *Et iam*) Ita Bodl. et dedit Obr. Ceteri, ut et Gesn., continua scriptura *etiam*, quo abrupta fit et salebrosa oratio: *iam non sentientes*, ut mox §. 4, *iam non quaesitis*.

*Certa — die*) Iuvenal. VII, 160, 61: *sexta Quaque die miserum dirus caput Annibal implet. Annibal* est suasoria toties dicta. Noster X, 5, 21.

*Patres exigunt*) Persius Sat. III, 45, 47: *verba — Quae pater adductis sudans audiret amicis.* Vetus Scholiastes ad Iuvenal. X, 167: *Vt de te pueri studentes dicant.* Apparet invaluisse usum istum verbi *studendi*, quem patres sequebantur, ut *declamare*, esset *studere*; cf. II, 2, 7.

*Diligentia*, *accuratione* dicendi, non *frequentia. Constet*, comparetur; ne forte interpreteris, *contingatur*.

*Multo magis suadeam*) Non *ediscere electos locos* multo magis quam *scribere* suadet Qu. sed *electos locos* potius quam *sua ipsorum scripta ediscere*. Hoc apparet sequentibus: *aliena complectendo quam sua*.

*Familiarius*) Vid. not. crit.

4 quam mente penitus acceperint, expriment. Abundabunt autem copia verborum optimorum, et compositione, ac figuris iam non quaesitis, sed sponte et ex reposito velut thesauro se offerentibus. Accedit his et iucunda in sermone bene a quoque dictorum relatio, et in causis utilis. Nam et plus auctoritatis afferunt ea, quae non praesentis gratia litis sunt comparata, et laudem saepe maiorem, quam si nostra sint, conciliant.
5 Aliquando tamen permittendum, quae ipsi scripserint, dicere, ut laboris sui fructum etiam ex illa, quae maxime petitur, laude plurimum capiant. Verum id quoque tum fieri oportebit, quum aliquid commodius elimaverint: ut eo velut praemio studii sui donentur, ac se meruisse, ut dicerent, gaudeant.

*Sponte et ex*) Guelf. omittit *et*. Placet haec ratio. — *Bene a quoque*) Ita et Guelf. quum multi codd. (ut et Turic.) edd. autem vett. fere omnes, dent *idonea quoque*, vel, paulo melius, *idoneaque*. Vera tamen scriptura iam in Locat. ed. legitur et a recent., praeter Obr., est servata. Rusc. mire contaminat utramque orationem: *bene ydonea quoque*, vid. not. crit. ad Prooem. 4. — *Laudem — mai.*) Ita Guelf. cum omnibus praeter Goth. (nam in Ienson. quoque esse falso narrat Gesn.) qui dat *gratiam — mai.* quod quare placuerit Gesn., non video. Insuavis est et iteratio *praes. gratia litis — gratiam — mai.*, neque facile alio referas *gratiam* istam nisi ad *utilitatem* quam consequitur qui gratia pollet apud iudices; de ea autem modo iam egerat. Tarvisina tuetur *laudem*, neque e Voss. 2 quidquam varietatis affertur. — *Fructum — plurimum*) Quum nonnisi raro hoc fieri velit Qu., potest alienum videri, quod *plurimum* fructum ex laude pueris promittit. Alm. (Turic. siletur), fortasse ex mero omissi apicis in *i* errore, *plurium*. Sed, si tollis comma post *laude*, existit non spernenda sententia: laus *plurium* contingit declamanti sua; nonnisi *unius* magistri, scribenti tantum. Sed ferri potest recepta, si intelligitur *fructus plurimus*, quantus, salvis ceteris docendi legibus, maximus potest percipi.

*Elimaverint*) Guelf. *limaverint*, cum Voss. 1. *Limaverit* Vosss. 3; cf. *elaborasset* II, 3, 6.

*Iucunda — utilis*) Simile quid de poëtarum locis orationibus inserendis I, 8, 10.

*Fructum — plurimum*) Vid. not. crit.

*Commodius*) H. e. melius, elegantius. Ea potestate *commoditas* interdum apud veteres, ut Cic. pro Rosc. Am. c. 4: *commoditati ingenium — est impedimento*. Quare non erat

VIII. Virtus praeceptoris haberi solet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorum, et quo quemque natura maxime ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quaedam varietas, nec pauciores animorum paene, quam corporum, formae. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, 2 qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint. Vtile deinde plerisque 3 visum est ita quemque instituere, ut propria naturae bona doctrina foverent, et in id potissimum ingenia, quo tenderent, adiuvarentur: ut si quis palaestrae peritus, quum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit praeparandus: ita prae- 4 ceptorem eloquentiae, quum sagaciter fuerit intuitus, cuius ingenium presso limatoque genere dicendi, cuius acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita se commodaturum singulis, ut in eo, quo quisque eminet, provehatur: quod et adiuta cura natura 5 magis evalescat; et qui in diversa ducatur, nec in iis,

*Paene*) Guelf. *fere*. — *Probabant*) Guelf. *probant* cum vett. edd. quibus recensitis adde Tarvis. Venet. Rusc., male.

*Praeceptorem*) Guelf. cum Goth. *praeceptor*. Nec male, si comma tollas post *eloquentiae*. — *Qui in div.*) Guelf. et Turic. *si in div.* cum multis codd. et edd. vett. fere omnibus, praeter Ald. Sed defendere receptam videntur aliquot, qui non memorantur codd. et aptior est propter masc. quod sequitur *aptus*.

quod sollicitaret vocabulum hoc Ernestus Inv. I, 2: *commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix*. Cf. Script. ad Herenn. III, 8, *commodissime*, dexterrime; ib. IV, 4, *commode scripta*. Cic. de Inv. I, 41: *nos commodius, quam ceteros attendisse*; ib. II, 50: *eum commodissime scribere, qui curet* etc. et multis locis, quae etiam lexica demonstrant.

*Praeceptorem — commodaturum*) Pendet accusativus a verbo, quod in illo *utile visum est* §. 3, latet, sive *aiunt* intelligis, sive simile quid. Aliorum sermonem referri apparet etiam coniunctivis istis post *quod: evalescat, possit, faciat*; cf. ad II, 17, 6.

quibus minus aptus est, satis possit efficere, et ea, in
6 quae natus videtur, deserendo faciat infirmiora. Quod
mihi (libera enim, vel contra receptas persuasiones,
rationem sequenti sententia est) in parte verum vide-
tur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus ne-
7 cessarium est. In his quoque certum studiorum facere
delectum nemo dissuaserit. Namque erit alius historiae
magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis
studio iuris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. Sic di-
scernet haec dicendi magister, quo modo palaestricus
ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve
8 quid ex iis, quae sunt sacrorum certaminum. Verum
ei, qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam,
sed in omnia, quae sunt eius operis, etiam si qua diffi-
ciliora discenti videbuntur, elaborandum est. Nam et
omnino supervacua erat doctrina, si natura sufficeret.
9 An si quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique
sunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? aridum atque
ieiunum non alemus, et quasi vestiemus? Nam si quae-
dam detrahere necessarium est, cur non sit adiicere
10 concessum? Neque ego contra naturam pugno. Non

*Nat. videtur*) Goth. (tac. Gesn.) *nat. fuerit.*
*Alemus et*) Turic. inserit *certe eum* cum Alm. Guelf. *eum certe.*

*Palaestricus*) Cf. quae dicta sunt ad I, 11, 15.

*Sacrorum certaminum*) Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα. Τέσσαρες ἱεροί. Vid. Anthol. Ep. pr. apud Brunck. Annal. vol. III, p. 247. Sed Qu. Romana certamina intelligere magis est putandus, quam Graeca, ad quorum aemulationem August. Neapoli (Suet. Aug. 98), Nero autem Romae (ib. Ner. 12) gymnicos ludos instituit, et Domitianus (ib. Domit. 4) Capitolino Iovi eiusdemmodi certamen quinquennale adornavit, cuius ipsius mentionem facit noster III, 7, 4 *sacrum* et ipsum vocans. Cf. et IX, 4, 11. — *Sacrorum certaminum.* Certamina sacra, nulla loci temporisve quo instituantur ratione habita, promiscue dicuntur omnia corporis exercendi spectacula, ut Digest. III, 2, 4, 1, aliisque multis Pandectarum locis.

*Ing. corruptus*) Vid. ad II, 3, 9.

*In hoc — ire*) Eadem locutio est II, 10, 5, *in corpus eant.*

enim deterendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque quod cessat. An 11
vero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, quum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret, ut *alteri frenis, alteri calcaribus opus esse* diceret; aut in illo lentiore torditatem, aut in illo paene praecipiti concitationem adiuvandam docendo existimavit? quum alterum alterius natura miscendum arbitraretur. Imbecillis tamen ingeniis sane 12
sic obsequendum sit, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod solum possunt, melius efficient. Si vero liberalior materia contigerit, et in qua

*Deterendum*) Guelf. *disserendum*, per errorem pro *deserendum* quod est in plerisque, ut Goth. Sed, auctorem nactus Alm., recte *deterendum* vindicat Burmannus, quod et Obr. recepit, fortasse ex Argentoratensi. — *Ingenitum*) Turic. et Alm. *ingenium*. — *An vero*) Ita et Guelf. cum omnibus codd. praeter Goth. Edd. quidem multae ex Regii coniectura *Annon*, cui adest unus Goth. *Adiuvare* quid esset h. l. Regius non intellixit, qui putavit significare *curare*, *emendare*, quum sit *augere*, *promovere*.

*Illo paene*) Ita Guelf. et Goth. et plerique codd. (Turic. siletur) et edd. vett. Recte bis poni pronomen *ille*, defendit Burm. et hic et ad Ovid. Heroid. II, v. ult. ubi etiam nostrum docet idem loquutum XI, 3, 168: *Demosth. atque Aesch.* — *neque ille* — *nec ille*. Recentiores *hoc paene*. Apud Liv. III, 64, 10, quoque in antiquo rogationis carmine, *ut illi* — *ut illi* diversi sunt. — *Imbecillis*) Turic. *imbecillibus*, cum Alm. Bodl. Bal. Andr. Obr. — *Possunt*) Goth. (tac. Gesn.) *possint*, quod corrigendo factum est ex *possunt*. Accedit Voss. 2, dans *possit*, omisso apice. Neque alienus est modus potentialis.

*De Eph.* — *Theop.*) Vid. Cic. de Orat. III, 9; et Brut. c. 56; et nostrum X, 1, 74. Cf. et Ruhnkenium in historia Oratorum p. 87.

*Aut in illo paene praec.*) Vid. not. crit.

*Materia* — *aggressi*) Haec sine varietate dant codd., nisi forte unus Britannicorum (Ioann.) pro *mat.* praefert *natura*, quod Regius coniiciebat. Equidem cum Burm., *natura* si auctores haberet codd. mallem sane, quum quod legitur, praesertim quum antecedat *imbecillis ingeniis* quibus aptius *nat.* iungitur, quam *materia*, cui ne *liberalior* quidem magnopere convenit. Ferri tamen potest recepta scriptura et defenditur a Gesnero in primis loco Ciceroniano Verr. III, 68, de quo vide Ernestum in Clav.

merito ad spem oratoris simus aggressi, nulla dicendi
13 virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, ceteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis, in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia, quae sunt eius certaminis. Erit qui ex his aliqua non possit?
14 In id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt haec duo vitanda prorsus: unum, ne tentes quod effici non possit: alterum, ne ab eo, quod quis optime facit, in aliud, cui minus est idoneus, transferas. At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur)
12 invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro

*Nulla dicendi*) Guelf. et Turic. *nulla discendi* cum quibusdam codd. male. — *Eminebat*) Guelf. et Turic. *eminebit*, cum multis et edd. ut Iens. (tac. Gesn.) et Tarv. *eminebat* Vallens.

voc. *mat.* Structura haec: *in qua — aggressi* offendit Burmannum, immerito tamen, ut opinor. *Aggredi ad spem* dicitur ut I, 2, 26, *se tollere ad spem.* Fortitudine opus esse videtur ad tantam spem concipiendam animo. *In qua* autem explica: *qua oblata, cuius occasione*, vel eo sensu accipe, quo e. g. Cic. de Or. II, 61, *quod in bono servo dici solet*, ubi hodie usurpant *de bono servo.*

*Nexus*) « Proprium palaestrae verbum. » Seneca de Benef. VII, 1, « magnus luctator — non qui omnes — *nexus* — perdidicit. Ovid. Met. IX, 58, Achelous de Hercule: *vix solvi duros a corpore nexus.* Gesn. Etiam Declam. Qu. III, p. 48: *implicitus, infando nexu:* imago petita a lucta.

*Nicostratus*) Rem narrat Pausanias lib. V, c. 21, p. Kuhn. 432: Νικόστρατος ἐπὶ ἡμέρας ἀνειλέτο τῆς αὐτῆς παγκρατίου καὶ πάλης νίκην. Contraxi verba Pausaniae. Eiusdem, ut clari athletae, sed hominis valde deformis, meminit Lucianus de scribenda historia p. 169, vol. IV Bip. Proverbium ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον est bis apud Suidam in vocc. ἐγὼ et Νικόστρατος. Sed is Comoedus fuisse perhibetur, quamquam Vaticana paroemiarum Appendix (ap. Schottum Cent. I, 65, p. 270) tra-

providendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis, quam phonasco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat.

IX. Plura de officiis docentium loquutus, discipulos id unum interim moneo: ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament: et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium, credant. Multum haec pietas 2 confert studio: nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent: in ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres convenient: emendati non irascentur, laudati gaudebunt: ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est 3 docere, sic horum praebere se dociles: alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et frustra sparseris semina, nisi illa praemollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia.

X. In his primis operibus, quae non ipsa parva sunt sed maiorum quasi membra atque partes, bene instituto ac satis exercitato, iam fere tempus appetet aggrediendi suasorias iudicialesque materias: quarum antequam viam ingredior, pauca mihi de ipsa declamandi ratione

*Id un.*) Guelf. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *in un.* miro multorum codd. consensu.

*Sufficiet*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *sufficit*, cum aliquot codd. e edd. vett. quas vidi omn. Videntur tamen et receptae, quae utique praestat, esse auctores codd.

*Anteq. — ingredior*) Guelf. et Goth. *ingrediar* cum vett. edd. ut Iens. (tac. Gesn.) Vtrum praestet, ego non dixerim. Alm. nostrae scripturae auctor, quam et Obr. dat.

goedum facit. Vide et Dial. de causs. corruptae eloquentiae c. 10, in quo et ipso Nicostratus memoratur, ibique Lipsii not.

*Parentes — credant*) Cf. Iuvenal. VII, 209.

dicenda sunt: quae quidem, ut ex omnibus novissime inventa, ita multo est utilissima. Nam et cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, et veritati proximam imaginem reddit: ideoque ita est celebrata, ut plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere. Neque enim virtus ulla perpetuae dumtaxat orationis reperiri potest, quae non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter praecipuas, quae corrumperent eloquentiam, causas licentia atque inscitia declamantium fuerit. Sed eo, quod natura bonum est, bene
4 uti licet. Sint ergo et ipsae materiae, quae fingentur, quam simillimae veritati: et declamatio, in quantum maxime potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est. Nam *magos*, et *pestilentiam*, et *responsa*, et *saeviores tragicis novercas*, aliaque magis

*In quantum*) Guelf. omittit *in*. Sed hanc structuram et Burmannus defendit ad nostrum locum, et Ruhnkenius ad Vellei. (cui est frequentissima) I, 9, 3; vel Virgilii et Livii auctoritate tuetur. Vtriusque Senecae haec exempla adde Patris pag. (Bip.) 126, *in tantum tenaces*; 192, *in tantum ornata*; 249, *in quantum posset*. Filii de benef. II, 23: *in tantum producenda — in quantum declaratura est*. Ep. 95, *quando et in quantum et in quo*. Plinii Hist. Nat. II, 106, *Aetnae — flagrantis — in tantum*.

*Novissime inventa*) Cf. II, 4, 41, 42.

*Celebrata*) I. e. frequentata, ut X, 1, 96: *Iambus non — a Romanis celebratus*.

*Perpetuae — orationis*) Vid. II, 20, 7.

*Meditatione*) Quum Francio (sed quid non huic?) in mentem venerit etiam corrigere *velitatione*, operae pretium fuerit monere post Capper. esse hanc Graecorum μελέτην.

*In quantum*) Vid. not. crit.

*Nam magos — novercas*) Conf. Scriptorem Dialogi de causis corr. el. c. 35, ubi item exagitantur vanae declamationum materiae, isque locus possit legenti persuadere Quintilianum eius dialogi auctorem. Sed obstant alia multa. Ceterum et ibi tanguntur *pestilentiae remedia*. Habet multam speciem Parei coniectura, in nostro loco pro *et pestilentiam et responsa*, tentantis *et in pestilentiam responsa*, cui stabiliendae ad partes vocat Petronium c. 1, similia de declamantium ineptiis conquerentem, ubi haec, *responsa in pestilentiam*

adhuc fabulosa, frusta inter *sponsiones*, et *interdicta* quaeremus. Quid ergo? Nunquam haec supra fidem, et poëtica (ut vere dixerim) themata, iuvenibus pertractare permittemus, ut expatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? Erat optimum: sed certe sint 6
grandia et tumida, non stulta etiam, et acrioribus oculis intuenti ridicula: ut, si iam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, ut quadrupedes,

*Pertractare*) Guelf. et Turic. *tractare* cum Bodl. et Andr. Praestat sane ob eundem, qui mox est in *permitt.* sonum.

*Vt, si iam*) Sic Guelf. et codd., puto, omnes. Etiam edd. vett. Mirum igitur, in vulgatis (meis quidem a Gryphio 1544 inde) legi *ac si iam*, quam ego scripturam ne memorarem quidem nisi placeret et sponte, tale quid huic loco convenire, sensissem. Quomodo enim haec procedunt: *sint grandia — ut — impleat se declamator?* Immo *Sint gr. — et*

*data*. Apparet tamen contortius dici *responsa in pest.* pro *responsa in pest. data*. Exempla huiusmodi materiarum Declam. inter Quintilianeas 326: *Qui pestilentia laborabant, miserunt legatum ad oraculum petendum; responsum est ei, filium ipsius immolandum esse.* 384: *In pestilentia responsum est, virginem immolandam.* Inter Calpurnianas 19: *In pestilentia responsum est* etc. 43: *Lues orta est, respondit oraculum.* Neque apparet, quomodo *pestilentiae* mentio possit fieri in materiis scholasticis, nisi adiuncto hoc de eius remediis. Saltem seorsim posita debent iungi cogitatione: *pestilentia, responsa*. *Magorum* et ceterorum, quae hic tanguntur, exempla inveniet, qui Declamationum Quintilianearum, Calpurnianarum, item Senecae controversiarum indices voluerit percensere. Magi promissum pestilentiae compescendae (inter Libanii μελέτας, 43, p. Morel. 898 seqq.) si filio, quem sors mactandum obtulerat, parcatur, duas harum iungit materias.

*Magis adhuc*) Cf. ad I, 5, 22.

*Sponsiones — interdicta*) Vocabula haec iuris civilis (vid. Lexica) ipsum forum demonstrant, ubi scholastica ista nullius sint utilitatis futura. Sic Dial. de corr. el. l. c. *quidquid in schola quotidie agitur; in foro raro, vel nunquam*. Petron. c. 1: *hoc tantum proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.* Etiam Cic. de Orat. II, 24: *Hoc in ludo, non praecipitur — At vero in foro* etc.

*Erat opt.*) Imperfectum, prae futuro quod dant aliquod codd. (ut et Turic. neque tamen Guelf.) et edd. pleraeque ante Leidensem, fortiter retinendum. Hodie dicimus fere, *esset*, in hoc sensu. Hor. Sat. II, 1, 6, 7: *Peream male, si non Optimum erat.*

*In corpus eant*) Cf. ad II, 4, 5.

*Vt, si iam cedendum*) Non igitur plane vetat eiusmodi materiis uti, quare certum ex hac reprehensione argumentum peti posse, quo minus a nostro *declamationes* illae *Quintilianeae*

quum viridi pabulo distentae sunt, sanguinis detractione curantur, et sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt, ita sibi quoque tenuandas adipes, et quidquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sa-
7 nus ac robustus volet. Alioqui tumor ille inanis primo cuiusque veri operis conatu deprehendetur. Totum autem declamandi opus qui diversum omnino a forensibus causis existimant, ii profecto ne rationem quidem, qua
8 ista exercitatio inventa sit, pervident. Nam, si foro non praeparat, aut scenicae ostentationi, aut furiosae vociferationi, simillimum est. Quid enim attinet iudicem praeparare, qui nullus est? narrare, quod omnes sciant falsum? probationes adhibere causae, de qua nemo sit pronuntiaturus? Et haec quidem otiosa tantum: affici vero, et ira vel luctu permovere, cuius est ludibrii, nisi quibusdam pugnae simulacris ad verum discrimen
9 aciemque iustam consuescimus? Nihil ergo inter forense genus dicendi, atque hoc declamatorium, intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Vtinamque

(vel *ac*, quoniam interiicitur parenthesis a consona incipiens) *impleat se decl.* Ferrem *ut*, si post *impleat* sequeretur *non autem*, sicut modo opponuntur *grandia*, *non stulta*. A Burmanno quidem inde omnes retinent *ut*, quod et Obr. receperat; equidem reducere cupiam vulgatam; sed auctorem desidero, neque, unde se insinuaverit, novi.

*Tenuandas*) Turic. Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *tenuandos* et sic fere edd. vett. Vtriusque generis apud scriptores esse *adipem* Priscianus ipse docet pag. 657, 752. — *Cuiusque*) Turic. et Guelf. *cuiuscumque*, cum aliquot codd. et edd. vett. fere omnibus; cf. II, 6, 26.

*Permovere*) Guelf. *promovere*. Facile quidem cum Capper. et Gesn. *permoveri* legere, quum praesertim Goth. det *promoveri*, sed in tanto codd. ceterorum et edd., activum dantium, consensu, subit, *affici* referre ad declamantem, ad *permovere* autem intelligere imaginarios istos iudices, qui audiunt.

profectae fuerint, non videtur; nisi quod nullum fere sanioris materiae exemplum inter eas, quae quidem aetatem tulerunt, invenitur. Vid. not. crit.

*Deprehendetur*) Non *invenietur* et *agnoscetur*, sed in arctum deseretur et aestuabit, se expedire nesciens; Cf. ad I, 1, 30.

*Permovere*) Vid. not. crit.

adiici ad consuetudinem posset, ut nominibus uteremur, et perplexae magis, et longioris aliquando actus, controversiae fingerentur, et verba in usu quotidiano posita minus timeremus, et iocos inserere moris esset: quae nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tirones in foro inveniunt. Si vero in ostentationem comparetur declamatio, sane paululum aliquid inclamare ad voluptatem audientium debemus. Nam et iis actionibus, quae in aliqua sine dubio veritate versantur,

*Et iocos*) Goth. (tac. Gesn.) *ut ioc.* cum suo Voss. 2, male; sed cf. ad not. crit. §. 6.

*Inclamare*) Ita Guelf. et codd., ni fallor, omnes praeter Goth. qui praefert *inclinare*, quod, quum in edd. etiam vett. sat multis inveniretur, arripuit Gesnerus, se, quid esset *inclamare* h. l., non assequi confessus. Miror tamen, neque puto inspexisse eum, quem Capper. citat, Cresollium in theatr. rhet. pag. 353—56, qui, etsi de re critica non laborans, plurimis veterum locis, in utraque lingua, ostendit unice loco nostro convenire receptam. *Inclamare* (quod iam vidit Regius) est *μέγα φθέγγεσθαι*, *vociferari*, et usurpatur hic a Qu. cum quodam contemptus colore, quasi dicat: debemus sane paululum debacchari, ut auditoribus placeamus. Sic (etsi rarius, et fere de ope imploranda aut conquerendo) et alibi legitur. Tale enim fere est XI, 3, 172, de Cicerone, *quasi inclamaret aut testaretur* quamquam video ad *Albanos tumulos* posse referri, quos *inclamarit*; sed et ibi Goth. *inclinaret*, pessime. Cic. de Orat. I, 53, *nemo inclamavit patronorum* intransitive et absolute etiam ille, quamquam potest de mera querela accipi, cuiusmodi verba multa circumstant. Bentleius Horat. Sat. I, 9, 76, e codd. restituit *Inclamat* pro *Exclamat*. Sed hoc ipsum simili sensu usurpari recte monet Cresollius l. c. ut mox a nostro cap. 11, 2: *Hi* (*professores*) *multa etiam memoria digna exclamaverunt. Inclinare*, potestate deflectendi a recta via, quam recte interpretetur Gesnerus, equidem nescio. Ceterum error est Capperonnerii Alm. cod. testem citantis pro scriptura *inclinare*, neque enim Burmannus, qui solus contulit, eius facit mentionem. Turic., quem Sulzbergerus cum ed. Gesn. contulit, siletur. Vt hic Qu. *inclamare*, ita *intonare* L. Senecа Cons. ad Polyb. pag. 162 (Bip. vol. I): *quanto spiritu intonueris — pudebit — ex tanta orationis magnitudine decidere*, neque enim de ira ibi cogitandum.

*Nominibus*) Quae nulla sunt in declamationibus, nam *pater*, *tyrannicida*, *abdicatus*, *raptor* semper generatim dicuntur, quo ipso tota res fit frigidior et a veritate alienior. In *suasoriis* tamen certae sunt personae, sed de iis in hac disputatione fere non cogitare videtur, ut infra eam, quam nunc instituit, aetatem positis.

*Inclamare*) Vid. not. crit.

sed sunt ad popularem aptatae delectationem, quales legimus panegyricos, totumque hoc demonstrativum genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem (quae latere plerumque in iudiciis debet) non confiteri modo, sed ostentare etiam hominibus in hoc
12 advocatis. Quare declamatio, quoniam est iudiciorum consiliorumque imago, similis esse debet veritati: quoniam autem aliquid in se habet ἐπιδεικτικόν, nonnihil sibi
13 nitoris assumere. Quod faciunt actores comici: qui nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod esset sine arte: nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio: sed morem communis
14 huius sermonis decore quodam scenico exornant. Sic quoque aliqua nos incommoda ex iis, quas finxerimus, materiis consequentur, in eo praecipue, quod multa in his relinquuntur incerta, quae sumimus ut videntur, *aetates*, *facultates*, *liberi*, *parentes*, *urbium ipsarum*
15 *vires*, *iura*, *mores*, alia his similia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum vitiis ducimus. Sed haec suo quaeque loco. Quamvis enim omne propositum operis a nobis destinati eo spectet, ut orator instituatur:

*Ex iis*) Ita Goth. (tac. Gesn.) cum vett. fere edd. Gesnerus et plerique *ex his*. Iusuavior et obscurior ratio geminandi *ex his — in his*. — *Liberi*) Turic. et Guelf. *liberos* cum omnibus, ni f., codd. praeter Britannicos. Sed edd. consentiunt in nominativum. Equidem mollius puto, si pendent nomina ista: *aetates — mores*, a *sumimus* propiori, quam a *relinquuntur* remotiori. — *Alia*) Ita Turic. et Guelf. cum plerisque codd. et vett. edd. Melius recepto *aliaque*.

*Sic quoque*) Καὶ οὕτως. Ne sic quidem omnibus incommodis carebimus, ex talibus declamandi materiis natis.

*Sumimus*) Inter declamandum conditiones personarum nostrarum tales esse iubemus (quoniam in ipsa materia definitae non sunt) quales facillime nostro consilio accommodentur, quod est inertiae servire.

*Positionum*) Intelliguntur *themata*, sive *materiae*, non *theses* de quibus II, 1, 9, *vitia* autem eorum sunt, quae exprobrabat c. 10, 5, quod essent *fabulosa*.

*Orator*) Non declamator, opponuntur enim mox *scholae*.

tamen, ne quid studiosi requirant, etiam si quid erit, quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non omittemus.

XI. Iam hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent, qui priora omiserunt: quamquam video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere huiusmodi praeceptis eloquentiam putent: sed, natura sua, et vulgari modo, et scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram; exemplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus, quid esset σχῆμα et νόημα, nescire se quidem, sed, si ad rem pertineret, esse in sua declamatione respondit. Alius 2 percontanti, *Theodoreus, an Apollodoreus esset? Ego*, inquit, *parmularius sum.* Nec sane potuit urbanius ex

*Hinc*) Guelf. *hic* cum Voss. 1, Bern. et ed. Venet. sive ex errore omittendi apicis, sive consulto, quia sequitur *inchoare* (non *incipere*, ut II, 4, 1); cf. II, 1, 12. — *Nihil egere*) Turic. cum Alm. *nihil legere.*

*Obstaturos*) Quoniam operae pretium visum fuit Burmanno et Gesnero e Vossii Anal. lib. III, p. 90, 91, et Vavassore de usu verbb. p. 30 monere, usum hunc literae *a* in supinis et participiis verbi *standi* usitatum esse veteribus prae altero τῆς *i*, aliquot exempla addemus. Liv. X, 36, 3: *ni — instaturum — timuissent.* L. Seneca de clement. I, 19, (p. Bip. 27, vol. II), *ultionem magno constaturam.* De vita beata IX, (p. 87), *voluptatem praestatura virtus.* Sed contra Sen. Pater. p. 184: *cogitatio illi praestitura;* p. 337: *tunc quoque aliquid praestiturus.* Item Filius de benefic. III, 8, (p. 181), *ut plus praestiturus fuerit.* Cf. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 25, 2. Et sane tutior de hac re disputatio est in poëtis.

Νόημα) Cf. VIII, 5, 12.

*Ad rem pertineret*) Intelligo: si conduceret victoriae obtinendae, qua significatione saepe *pertinere.*

*Theodoreus — parmularius*) Rectissime Gesnerus videtur ioci aculeum demonstrasse. Declamandi ille magister, se, quid nomina haec sibi vellent, prorsus ignorare significavit: neque alius rei, quam faventium gladiatoribus, vocabula ratus (ut quidem videri voluit) etiam sic inaudita sibi ea testatus, notiore vocabulo, cui factioni ipse faveret, declaravit. *Parmularius* quid sit Lexica docent. *Theodoreus* et *Apollodoreus* designat vel Theodori vel Apollodori, clari utriusque rhetoris, disiplinae addictum. De appellatione ista ipsisque viris, vide III, 1, 17, 18.

confessione inscitiae suae elabi. Porro hi, quia et beneficio ingenii praestantes sunt habiti, et multa etiam memoria digna exclamaverunt: plurimos habent similes
3 negligentiae suae, paucissimos naturae. Igitur impetu dicere se et viribus uti, gloriantur: neque enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis: sed (cuius rei gratia plenum sit auditorium) sententiis grandi-
4 bus, quarum optima quaeque a periculo petatur. Quin etiam in cogitando, nulla ratione adhibita, aut, tectum intuentes, magnum aliquid, quod ultro se offerat, pluribus saepe diebus exspectant; aut, murmure incerto,

*Neque enim*) Ita Guelf. Gesn. cum cet. *Nec enim*; cf. II, 6, 24.

*Pluribus saepe diebus exspectant*) Ita Turic. Guelf. et codd. (quamquam aliquot silentur a conferentibus) puto omnes. Edd. quidem vett. usque ad Gryphium (1544) meae omnes, qui primus dedit *exspectantes*. Obr. revocavit antiquam scripturam. Qui praetulerunt participium, non meminerant, agi de eo, quod facerent declamatores *in cogitando*, non

*Sententiis*) Cf. II, 4, 31.

*A periculo petatur*) Cf. II, 12, 5: *in elocutione ipsa periculum*; VIII, 2, 20: *ex ancipiti diserta*; VIII, 6, 11: *audax proxime periculum translatio*; X, 1, 121: *tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia*; XI, 1, 32: *uberiora et paene periclitantia*. Elegantem multisque exemplis subnixam de eo, quod auderi debeat ab oratore, disputationem pete a Plinio Epistolarum IX, 26 integra. Graeci rhetores appellant τὸ παρακινδυνευμένον, τὸ παράβολον, τὸ κινδυνώδες quae explicat Io. Christ. Theoph. Ernestus in Lexico rhetorico, qui ad Plinium quoque ablegat lectorem. Etiam Seneca ad Lucilium Ep. LIX, (p. 177 Bip. vol. III): *Invenio—translationes verborum, ut non temerarias, ita quae periculum sui fecerint*. Periculum est, ne in nugas et dementiam abeat ista dicendi audacia.

*Tectum intuentes*) Nihil aliud significari puto, quam desidem nihil agentis, neque in certam rem animum intendentis, gestum, qualis solet esse eorum, qui, quum acriter aliquid videntur intueri, ne cogitant quidem de eo, quod quammaxime spectant. Eodem redit Iuvenalis illud, *doctus spectare lacunar* (I, 56). Simulat enim incundus iste maritus et uxori commodus, se, nescio quid nugarum agitantem totumque in illis, quae fiant, non attendere; quamquam id quoque, quod *sursum* spectat, magis eum avertit ab iis, quae *humi* peraguntur. Sic correctione non est opus, quam tentat Burmannus, *rectum*, et agnoscit Voss. 2, quamquam, quum in Gothano, gemello fere, hoc non compareat, potest esse error legentis *stilum confusiorem*; (cf. I, 1, 28). Vid. not. crit. ad *pluribus — exspectant*.

*Plur. — diebus*) Cf. XI, 3, 160. Hic magis etiam citandus erat locus

velut classico, instincti, concitatissimum corporis motum, non enuntiandis, sed quaerendis, verbis accommodant. Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum 5
invenerint, destinant, quibus aliquid diserti subiungendum sit: eaque, diu secum ipsi clareque modulati, desperata connectendi facultate, deserunt: et ad alia deinceps, atque inde alia, non minus communia ac nota, devertunt. Qui plurimum videntur habere rationis, 6

*in declamando*; errore nato ex re levicula, quod non erat incisum post *cogitando*, ut *in cogitando nulla ratione* iungerent, quasi, *nulla cogitandi ratione*. Eadem fuit causa, quare tantopere displiceret *pluribus saepe diebus*, quod, ut ὑπερβολικὸν, eiectum voluit Gallaeus, vir natus veterum sensibus eximendis cf. not. crit. ad I, 5, 60), neque (quod nolim) Gesnerus uncis pepercit. Sed nulla est ὑπερβολὴ si cogitantes, quid dicturi sint, accipimus declamatores in suo cubiculo, non in auditorio iam surgentes ad dicendum; neque enim necesse est continuum eam *tectum intuentium* exspectationem intelligere, sed quam *pluribus saepe diebus* repetierint successu nunquam respondente. Ostendit nobis Qu. eloquentes hosce viros, inter cogitandum, nunc nihil plane agentes et afflatum aliquem divinum opperientes, nunc murmure, tanquam cauda leonem, itidem inter cogitandum, semet excitantes, et eo in primis ridiculos, quod soli, neque dum inventis, quae dicant, debacchantur, tanquam in suggestu. Sic quoque *tectum intuentes* facilius fit explicatu, si sedentes solos, non coram auditoribus stantes, intelligimus. Haec omnia recte vidit et reddidit Gedoynus, nisi quod *enuntiandis — verbis* male vertit *pour aranger des mots*. At enim diffidentibus τῷ *plurib.* — *dieb.* astipulatur cod. Goth., qui ignorat haec verba. Eius equidem tantam auctoritatem, quae ceteros libros omnes praegravet, non agnosco, remotam praesertim a comite constante Voss. 2.

*Clareque modulati*) Guelf. *clarique meditati*. Turic. quoque *meditati*. *Modulati* ex solo Gothano primus recepit Gesnerus, et est sane appositissimum; quare doleo ne Voss. quidem 2dum eius scripturae vindicem adduci. Fortasse tamen *clare meditari*, modo (quod oportet) commentantes in cubiculo cogitemus, non fuerit alienum. — *Ac nota*) Ita

X, 3, 15, qui agit itidem de cogitando et scribendo, quod fit in conclavi, quum undecimi libri sensus actionem ipsam respiciat. Quamquam et ibi est *intueri lacunaria*, sed altero loco *spectantes tectum*, et plane repetuntur, quae hic legimus. Pro *tectum* non (ut dixi in nota) sine Gothano *rectum* hic dat Voss. 2; sed et X, 3, 15, ubi vicissim nulla Gothani mentio. Contra Iens. (II, 11, 4) *tectum*, non *rectum*, ut narrat Gesn.

*Classico instincti*) Participium accipe significatione medii Graeci, ipsi enim murmurant; et *classicum* cave *organon* interpreteris, sed *sonum* intellige.

non in causas tamen laborem suum, sed in locos intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quaedam, ut forte ad manum venere, iaculantur.
7 Vnde fit, ut dissoluta et ex diversis congesta oratio cohaerere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quae, aliis declamantibus, laudata sunt, regerunt. Magnas tamen sententias, et res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt: nam et barbari et servi: et, si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

XII. Ne hoc quidem negaverim, sequi plerumque hanc opinionem, ut fortius dicere videantur indocti: primum vitio male iudicantium, qui maiorem habere vim credunt ea, quae non habent artem: ut effringere, quam aperire; rumpere, quam solvere; trahere, quam du-

Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) cum Ald. et Obr. Ceteri fere *atque nota*, minus apte propter proxime antecedens *atque alia* ubi necessario ita legitur, ut et mox *atque in his* ob vocalem sequentem. — *Tamen*) Guelf. *tantum* cum aliquot codd. Sed saepissime haec confunduntur (vid. Drak. ad Liv. III, 46, 1) et alii codd. etiam hic receptam tuentur.

*Regerunt*) Guelf. *rigent*, per errorem, ut Venet. *regeret*, Tarvisina *regerent*. Recepta unice vera et codd. etiam defensa; vid. Lexica de *regerendo*.

*In his non corpori*) In locis eligendis non prospiciunt toti (*corpori*) causae, et universo suo consilio.

*Elidunt*) Verissima scriptura, quae est omnium codd. Imaginem petitam credo a nubibus fulmina elidentibus, sicut modo *jaculantur* a telis. Sic Ovid. Metam. VI, 696, *cavis elisi nubibus ignes*; vid. ibi Burm. Plin. Hist. nat. II, 43: *Posse* (*spiritum*) *conflictu nubium elidi ut duorum lapidum, scintillantibus fulgetris*. Seneca de Provid. c. 1: *elisorum fulminum iactus*. Alienum autem ab inconsiderata hac et fortuita iaculatione, *eligunt*, quod coniectat Burm.

*Nam*) Coniunctio suppressae sententiae index, qualis haec fuerit, *Fateor*: ut II, 20, 10. Sed notum hoc.

*Ratio*) Θεωρία; cf. II, 3, 6.

*Sequi plerumque*) Librorum quidem nulla varietas, neque habet, quo se defendat Francii coniectura, non magna profecto mentis contentione excogitata, *plerosque*. Intelliguntur autem, quos modo (neque enim ipse capita sic diremit, cf. not. exeg. ad I, 5, 1, *examinet*) designaverat in *elidunt*. *Sequi opinionem* h. l. est *aliqua opinione vulgo recepta se tueri*.

*Fortius*) *Vehementius maiore cum vi* (sic et infra §. 9), quod docent mox sequentia, ne quis hoc loco tribuat vocabulo significationem, de qua egimus I, 5, 72.

cere, putant robustius. Nam et gladiator, qui armorum inscius in pugnam ruit; et luctator, qui totius corporis nisu in id, quod semel invasit, incumbit, fortior ab his vocatur: quum interim et hic frequenter suis viribus ipse prosternitur, et illum, vehementis impetus, exci-

*In pugnam*) Guelf. et Turic. *in rixam*, et sic omnes fere codd. nisi quod a Burmanno silentur Vossiani et Bernensis, a Gibsono autem Ioann. et Baliolensis. Britannicos quidem codd. suspiceris tueri receptam, quum e Bodlei. afferat Gibs. *in rixam*, mox autem (hac ipsa §.) ad *incumbit* varietatem Ioann. et Bal. *incubuit* praeferentium, memoret; quo minus credas in nostro loco mutilum fuisse utrumque. Quin enim tres suos codd. inspexerit Gibsonus, dubitari nequit in reliqua viri diligentia. Vt igitur probabile fit in his saltem codd. duobus esse *in pugnam*, sic unde ea scriptura in edd. se insinuaverit non expedio. Veteres quidem omnes dant *in rixam* ad Gryphium usque, in quo meorum primo invenio *in p.* Obr. revocavit antiquam scripturam. Eam recte videtur praeferre Gesnerus, afferendis aliquot Columellae et Plinii locis, ubi *rixa* in animantium *cruentis* etiam pugnis usurpatur, alteroque Taciti, in quo *rixa* inter Batavos et legionarios manibus atque etiam armis non pepercisse satis significatur (Hist. I, 64, 4). Petronii quoque (incertae sane aetatis) auctoritas *rixam* esse demonstrat eam, ubi *vi geratur res*, et *vadant solida vi*; vid. cap. 95, 96. Addam nostri locum, in quo gladiatoriae temeritatis colorem aliquem agnoscere mihi videor; VI, 4, 13: *propositum tenentes in rixam non ibimus*. Si forte frequentata fuit eo tempore locutio, *in rixam ruere*, potuit eam tacite demonstrare Qu., etiam dum mitigat dicendo *ibimus*, non *ruemus*. Quae tentarunt Gebh. (*in noxam*) Burm. (*in sicam*) ingenio sane non carent; et prius aliis quoque locis cum *rixa* confusum, ut Liv. II, 59, 6, et Petron. cap. 96 fine. Manifesta igitur glossa videtur *in pugnam* pro *in rixam*, neque recuso timidius audire, quod illud in textu reliquerim. — *Nisu*) Guelf. *nixu*, cum multis codd. et ed. Badii. Parum refert, utrum retineas; quod est verum Heinsii decretum ad Ovid. Heroid. IV, 126. De *nexu* (vid. ad II, 8, 13) quod tentat Burm., h. l. non cogitandum. Vett. edd. fere *nissu*, solita τῶν *x* et *ss* confusione; vid. Drak. ad Liv. IV, 32, 10. — *Incumbit*) Guelf. *incubuit* cum sat multis codd.

*Illum, vehementis impetus*) Ita omnes, nisi quod hic iterum (cf. ad II, 10, 10) Alm. cod. (cuius nullam mentionem fecerat Burm.) ad par-

*In pugnam*) Vid. not. crit.

*Illum — impetus*) Non est quod corruptum putes locum. Genitivus *veh. imp.* pendet a pronomine *illum*, vel potius ab eo, quod intelligitur, *virum*, *hominem*, vel simili nomine. Eadem forma apud Livium III, 62, 6; *inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaeque alterum gloriae, alterum nuper nova victoria elatum*: ubi vide Dukerum in primis. Quamquam facilius ibi intelligitur *exercitus*, quam hic *gladiator*, paulo remotior.

3 pit adversarii mollis articulus. Sed sunt in hac parte, quae imperitos etiam naturaliter fallant: nam et *divisio*, quum plurimum valeat in causis, speciem virium minuit: et rudia politis maiora, et sparsa compositis numero-
4 siora, creduntur. Est praeterea quaedam virtutum vitiorumque vicinia, qua *maledicus* pro *libero*, *temerarius* pro *forti*, *effusus* pro *copioso* accipitur. Maledicit autem ineruditus apertius et saepius; vel cum periculo
5 suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert et ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea, quae dicere ipsi noluissent. Illud quoque alterum, quod

tes vocat Capper. qui det *illius vehementis impetus*. Sic iam Badius coniecerat, post eumque Gesn. Praeter defectum auctoris etiam hoc in ea displicet coniectura, quod obscuratur vis oppositionis, quam affectavit Qu., si non *hic* et *ille*, sed *hic* et *illius impetus*, opponuntur.

*Qu. dic. ipsi noluissent*) Guelf. *qu. dic. voluissent*. Male, quod omittitur *ipsi*. Alter quidem error, *vol.* pro *nol.*, tralatitius est in MSS. vid.

*Mollis articulus*) *Mollem* esse *mobilem* locus ipse docet, et Lexica exemplis firmant. *Articulus* est gladiatoris ferrum tenentis. Sic. L. Seneca de Benef. II, 6: *gladius idem et stringit et transforat: quam presso articulo venerit, refert. Pressus* opponi tamen videtur *molli*, alio, quam hic, sensu, qui magis est in altero nostri loco XI, 1, 70: *Quam molli — articulo tractavit* (Cic. pro Muraena) *Catonem*. Is enim parcentis est, ut II, 4, 12: *mollis manus*; X, 5, 16 *durescat articulus*.

*Fallant*) Non *lateant*; sed *decipiant*: *naturaliter* interpretor, necessario, natura.

*Numerosiora*) Plura. Sic Plin. Hist. nat. II, 46, *Numerosior ratio*, h. e. quae plures ventos agnoscit. Idem XV, 3, *errorem — numerosiorem*. Et notus versus Iuven. VII, 151: *Quum perimit saevos classis numerosa tyrannos*. Saepe ita noster, qui tamen et alteram significationem *numeri oratorii* frequentat.

*Virtutum — vicinia*. Qui vehementes volunt videri in malam plerumque partem trahunt haec virtuti an vitio tribuenda, quum, qui excusare conantur, mollibus et honestis, sed adiacentibus, vocabulis soleant appellare, quae negare non possunt. De ipsa re agit Qu. III, 7, 25 aliisque praeterea locis.

*Opinionem*) Cf. I, 2, 4; item XII, 1, 12: *ex contemptu opinionis*; XII, 9, 4: *cupidis opinionis*. Dial. de Orat. c. 10: *opinio — et fama cui soli serviant*. Et sic, sine additamento, pro fama, et quidem *bona* in primis, usurpatum vocabulum hac demum, nisi fallor, aetate. Intelligitur autem h. l. ut et ceteris (praeter eum qui primus est positus) opinio *ingenii*, non *morum*.

*Alterum — periculum*) Opponitur vero periculo, alterum per transla-

est in elocutione ipsa periculum, minus vitat, conaturque perdite: unde evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quaerit quod nimium est: verum et raro evenit, et certa vitia non pensat. Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia: doctis est et electio, et modus. His accedit, quod a cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaque illud quaestionum et argumentorum apud corrupta iudicia frigus evitant: nihil-

6

Drakenb. ad Liv. XXXIX, 15, 11. Goth. *nol.* quum Voss. 2 det *vol.* Edd. vett. fere *vol.*, etiam Tarvisina et Ienson. quoque, quamquam tacet Gesn. Primum Badium ex cod. Vallensi video dantem *nol.*, quod in textu quoque posuit Cervicornus (Colon. 1521), in margine alterum. Locat. etiam *valuissent*, de coniectura Regii, minime laudanda, quem deseruit Rusc. reponens *vol.* Vtrum praestet, *vol.* an *nol.*, qui nasum habet, facile decernat. — *Vnde ev.*) Aliquid de Gesneri scriptura mutandum erat, aut dirimendum aliter, aut *unde* scribendum pro *inde*. Hoc malui, auctoribus Turic. et Guelf. et plerisque codd. praeter Goth. et Voss. 2. Vett. edd. aliquot et quidem plures *Inde*, sed interpungendo antea. Frequentissima harum vocum confusio, vid. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 33, 5.

*Certa vit.*) Sic cum Goth. etiam Guelf. et vett. fere edd. quibus accedunt Tarvis. Veneta, Locat. Rusc. Bodl. Cod. *certe ea*, non prorsus male sane: sed vulgo, post Burm., *certe ea* dare narratur, quod non est apud Gibsonum. Turic. *certe avitia* vitiose. *Cetera*, quod videtur coniecisse Regius, an sit in codd., certo non dixeris. Credo tamen nonnullos, qui silentur, codd. tueri eam scripturam, quae quidem non displicet: quamquam video, cavillari posse aliquem, quia hoc ipsum tamen, quod *pensare* negetur, non sit *vitium*; sed *cetera vitia* dicuntur quasi, *cetera vitiosa*. *Certa vitia* cum Gesnero intelligas ea quae *certo* eveniant, quum *grandia* ista nonnisi *raro*, et (id enim addere cogitur) *casu*. *Certa* et *certa* vulgo commutantur in MSS. vid. Drakenb. ad Liv. XXXIV, 36, 4. *Certa* primus revocavit Gesn., postquam Badius iam in textu posuisset *cetera*, alterum in margine.

tionem ita appellatum; cf. II, 11, 3. *Certa vitia*) Vid. not. crit.

*Apud — frigus*) Similiter IV, 3, 2, *si — narrationis gracilitati coniunctâ argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigescat. Frigidum* est quod lepore et voluptate caret; *spinas* eodem sensu dicere poterat, opinor. Sed illud nonnisi *corruptis iudiciis* erat *frigus*, h. e. iis iudicibus, qui *corruptae* (vid. ad II, 3, 9) eloquentiae faverent ipsi.

que aliud, quam quo vel pravis voluptatibus aures as-
7 sistentium permulceant, quaerunt. Sententiae quoque ipsae, quas solas petunt, magis eminent, quum omnia circa illas sordida et abiecta sunt: ut lumina, non inter *umbras* quemadmodum Cicero dicit, sed plane in tenebris, clariora sunt. Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet contumeliose sic laudari disertum.
8 Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut limam rudibus, et cotes hebetibus, et vino vetustatem; sed vitia detrahit: atque eo solo minus est,
9 quod literae perpolierunt, quo melius. Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quaerunt. Nam et clamant ubique, et omnia *levata* (ut ipsi vocant) *manu*, emugiunt, multo discursu, anhelitu, iactatio-
10 ne, gestu, motu capitis, furentes. Iam collidere manus,

*Quo vel.*) Guelf. *quod ii*, quo sensu, equidem non video. Voss. 1, et Alm. *quod vel*; (Turic. non memoratur) hoc, si post *permulceat* scribatur pro *permulceant*, praetulerim. Gemini isti ablativi, *quo, pravis voluptatibus*, non magnopere placent.

*Plane in tenebris*) Guelf. *plana inter tenebras*, cum multis codd. quod attinet ad *int. ten.* Facili errore (vid. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 57, 6) hic etiam sequente *ten.*, si tamen est error, nam potuit consulto imitari illud *inter umbras*, et Burm. comparat *inter diem* apud Gell. IX, 7.

*Quemad. Cicero*) Acquiesco Almeloveniano invento, qui locum Ciceronis de Orat. III, 26 designari putat: *Sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus* (egerat modo c. 25 de *verborum sententiarum*que floribus, quae et ipse dixerat *lumina*) *umbram aliquam ac recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur.* Addit Gesn. *per iocum* eo respici a Quintiliano. Recte; simulat rhetor, se eos etiam magis probare, qui non *umbram*, sed *tenebras ipsas* admoveant istis suis sententiarum *luminibus*. Ciceronis igitur mentio ad solam *umbrae* vocem pertinet, quod typis ostendere sum conatus.

*Ingeniosi — contumeliose*) Apte Burmannus citat testem Martialem VII, 8: *Quum sexaginta numeret Cassellius annos, Ingeniosus homo est: quando disertus erit?*

*Levata — manu*) Sublata manus, admirandi gestus, ut multis exemplis docet ad Petron. c. 40, Heinsius. Ita Cic. Acad. IV, 19: *Hortensius — admirans — perpetuo — ut etiam saepe manus tolleret*; cf. XI, 3, 119, *sublata manu*. Sed videtur hoc, apud corruptos istos, artis quoddam vocabulum factum. De *pede* cf. XI, 3, 128.

terrae pedem incutere, femur, pectus, frontem caedere, mire ad pullatum circulum facit: quum ille eruditus, ut in oratione multa summittere, variare, disponere, ita etiam in pronuntiando suum cuique eorum, quae dicet, colori accommodare actum sciat: et si quid sit perpetua observatione dignum, modestus et esse, et videri malit. At illi hanc *vim* appellant, quae 11
est potius *violentia*: quum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) praeceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consequuti, omissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur, eosque, qui plus honoris literis tribuerunt, et ineptos, et ieiunos, et trepidos, et infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum occurrit, appellent. Verum 12
illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine

*Si quid sit*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt *sit*, cum Voss. 2. *Tribuerunt, et ineptos*) Guelf. et Turic. omittunt *et* cum Alm. Goth. Voss. 1, 2, et edd. Iens. (tac. Gesn.) omnibusque ante Gryph. meis, quod verum existimo. Alio tamen loco pluribus ita praemittitur *et*, II 17, 8.

* *Femur — caedere*) Καὶ ὁ μηρὸς παπαταίζω Lucian. in rhetorum praeceptore Bip. VII, 239, ironice ipse. Sed Cicero cum laude memorat Brut. c. 80 in fragmento. — Ne ipse quidem Qu., tempore si fiat, improbat vid. XI, 3, 123. De pede ibidem §. 128.

*Pullatum circ.*) Color, vel sordes, togae et magis etiam tunicae, qua sola utebantur fere pauperes, designat multitudinem ex infima plebe, ineruditam illam. Sic Plinius Epist. VII, 17: *Nonne, cum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipse diffidis? — Vtique si latior scena, et corona diffusior. Nam illos quoque sordides pullatosque reverentur.* Ipse noster VI, 4, 6: *pugnam — illam decreto-riam imperitis ac saepe pullatae turbae relinquunt.* Eadem significatione, sed alio vocabulo Dial. de Oratt. c. 7: *Quos saepius* (quam oratores) *vulgus imperitum et tunicatus hic populus.* (Horat. Epist. I, 7, 65 *tunicatum — popellum* vocat), *nomine vocat et digito demonstrat.* Etiam Seneca, De tranquillitate animi c. 11: *verba ad summam caveam spectantia* (*sanxit* enim Augustus *ne quis pullatorum media cavea sederet*, Sueton. Aug. 44) reprehendit in Publio Syro mimographo. Ipsum *pullat. circulum* a theatro mutuo sumptum ostendit Salmas. ad Hist. Aug. scr. T. I, p. 517.

*Eosque — appellent*) Apparet, ni fallor, ipsius scriptoris, talia iudicia

disciplina disertis: nos, quando et praecipiendi munus iam pridem deprecati sumus et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus, desinere dum desideraremur; inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum, quae futura usui bonae mentis iuvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

XIII. Nemo autem a me exigat id praeceptorum genus, quod est a plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges, immutabili necessitate constrictas, studiosis dicendi feram: utique *prooemium*, et id quale; proxima huic *narratio*; quae lex deinde narrandi; *propositio* post hanc, vel, ut quibusdam placuit, *excursio;* tum *certus ordo quaestionum*, ceteraque, quae, velut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam iussi
2 sequuntur. Erat enim rhetorice res prorsus facilis ac parva, si uno et brevi praescripto contineretur: sed mu-

*Iam pridem*) Hoc malui prae altero, quod est in plerisque edd. ut Gesn. *etiam pridem*. Auctores habeo Goth. Bal. edd., praeter aliis memoratas, Locat. Rusc. Bad. e Regii coniectura. Codd. (ut Guelf.) *et* videtur e vicinia male illatum.

*Constrictas*) Guelf. *constructas* cum Alm. male, sed ipso errore vindex sit bonae scripturae contra pravam illam tot codd. *conscriptas*. — *Iussi sequu.*) Guelf. *iussi sic sequu.* sed Turic. *tantum quantum i. sic s.* cum Bodl. et Alm. — *Vno et br.*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *et* cum

experti, dolor; quum praesertim sequatur, *nos*, *quando* etc.

*Deprecati*) Etiam hic sensum verbi esse latiorem, neque solitum illum et etymologicum, sed disertam *precum* mentionem nullam fieri, puto. Disputavit de eo verbo Gellius VI, 16, et, post VV. DD. ad nostri III, 6, 13, Ruhnkenius ad Rutil. Lupum p. 29; vide et Lexica.

*Honest. finem — desinere*) Minus prudenter Domitius Afer, de quo vide XII, 11, 3, ubi dicitur *malle deficere quam desinere*. Iulius Otho pater apud Senec. Rhet. p. 126: *Optimus virtutis finis est, antequam deficias desinere. Finem* vide ad Prooem. 22.

*Bonae mentis*) *Bonam mentem* de saniori in arte oratoria iudicio etiam Petronius c. 3. Alio, puto, sensu quam XII, 1, 42, *nocentes mutari in bonam mentem*; et XII, 7, 3 *simultates provocare — ex fiducia bonae mentis*. Is enim sane est frequentissimus.

*Vtique prooemium*) Non est quod abruptam putes orationem, cui praemitti velis, *ut sit*. Sic in praecipiendo solis nominativis utebatur Qu. II, 2, 5, *Minime — immodicus*, structurae reliquae non insertis.

*Propositio—excursio*) Haec de industria tractat IV, c. 3 et 4.

tantur pleraque causis, temporibus, occasione, neces-
sitate. Atque ideo res in oratore praecipua consilium
est, quia varie, et ad rerum momenta, convertitur.
Quid enim si praecipias imperatori, quoties aciem in- 3
struet, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat,
equites pro cornibus locet? Erit haec quidem rectissima
fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura
loci, si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus,
sylvis asperitate alia prohibebitur; mutabit hostium ge- 4
nus, mutabit praesentis conditio discriminis; nunc acie
directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pu-
gnabitur; nonnunquam terga etiam dedisse simulata
fuga proderit. Ita prooemium necessarium, an super- 5
vacuum; breve, an longius; ad iudicem omni sermone
directo, an aliquando averso per aliquam figuram, di-
cendum sit: constricta an latius fusa narratio; continua
an divisa; recta an ordine permutato, causae docebunt.
Itemque de quaestionum ordine, quum in eadem contro- 6
versia aliud alii parti prius quaeri frequenter expediat.

suo Voss. 2. Sed et Tarv. Venet. Loc. Rusc. Bad., male. — *Quid enim si*) Turic. et Guelf. *Quid si enim.* Sed ordinem faciliorem tuentur Goth. Voss. 2, et edd. Iens. Tarv. Venet. Locat. Rusc. Ald. Bad. Cervic. Gryph. (1544); quos imitati sunt Capper. et Gesn.

*Asp. alia*) Nihil equidem varietatis hic in codd. observavi. Fluctuant tamen edd., veteres praesertim, quae dant haec fere: *alia asp. aliqua, aliave asp. aliqua, aliave asp., asperitateve aliqua.* Equidem verum puto, etiam contra codd., *asperitate aliqua*, ut significet *aliqua, alia qua*, de qua significatione agemus ad IV, 3, 14; vide interim Ernest. ad Tac. Annal. I, 4, et Ruhnk. ad Vellei. I, 17, 7.

*Mutabitur Natura*) Etsi nihil hic varietatis in libris, verissimam tamen puto coniecturam Francii (cui quidem raro cedunt emendationes) suadentis: *mutabit*, leni profecto correctione. *Natura* enim ut nominativo accipiatur cognut paene, quae sequuntur, *genus, conditio*, ubi item *mutabit*, bis. Sic lenis et inoffensa fiet oratio, neque obstat *prohibebitur*, ubi intelligas ex antecedentibus, *imperator.*

*Per aliquam fig.*) Ea plerumque est ἀποστροφὴ de qua, in prooemio usurpanda, agit IV, 1, 63 — 70; sed memoratur ibi etiam *prosopopoeia.*

Neque enim rogationibus plebisve scitis sancta sunt ista praecepta, sed hoc, quidquid est, utilitas excogi-
7 tavit. Non negabo autem sic utile esse plerumque, alioqui nec scriberem: verum, si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc, relictis magistrorum auctoritatibus,
8 sequemur. Equidem id maxime

Praecipiam, ac repetens iterumque iterumque monebo:

Res duas in omni actu spectet orator, *quid deceat, quid expediat.* Expedit autem saepe, mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, et interim decet; ut in statuis atque picturis videmus variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia
9 est; nempe enim adversa sit facies, et demissa brachia,

*Iterumque iterumque*) Guelf. et Turic. semel tantum, solito errore. *Nempe enim*) Ita Guelf. cum Goth. et vetere Florentino, ut videor

*Rogationibus — scitis.* Vtrumque puto συνωνύμως dictum h. l. qualis est observatio Gellii X, 20. In genere leges designat Qu., plura earum vocabula coniungens, ut solemus, quum aliquid latius demonstramus; nisi forte rationem ipsam legis iubendae, significavit ut primum rogaretur, deinde plebs sciscceret, cui tamen obstat *ve*. In *rogationibus* proprie intelligi *Senatusconsulta* Capperonnerio non credo, quem non immerito irridet Burm. in Epistola p. 85 seq., quum nulla eius significationis mentio inveniatur, neque apud Gell. et Festum in *rogatio* neque apud ICtos.

*Sancta*) Consentiunt in hanc scripturam omnes libri, ne quis forte *sancita* scribi malit, quod est vulgarium libellorum praeceptum. Vid. Drakenb. ad Liv. X, 9, 3.

*Sic — plerumque*) *Vt antea posui* (§. 1), quo minus potest ferri Gallaei suspicio ἀσύνδετα ea ad §. 5 usque, tanquam spuria, proscribentis; cf. not. crit. ad II, 11, 4.

*Precipiam — monebo*) Versus. Virgilianus Aen. III, 436, sed consulto mutatum *praedicam* in *praecipiam*. Illud levius, quod *et* apud Virgilium, non *ac*.

*Vt in statuis — status.* Restitui vetustissimarum fere editionum diremptionem, ut *decet* referretur eodem quo *expedit*, non autem ad *variari*, quod equidem iungo cum *videmus*. Sic et Gedoynus; cui tamen non assentior, quod *habitum* intellexit vestitum, quamquam significatione, neque ab aetate nostri, neque ab ipso, aliena. Sed avertit me ab illa ratione praeter alia locus, ubi item *pictura*. XI, 3, 67: *pictura tacens opus et habitus semper eiusdem*; quamquam mox § 10: *nuda — velata*.

*Nempe — sit*) *Sit* est potentiale pro *fuerit*. Vid. not. Crit.

et iuncti pedes, et a summis ad ima rigens opus. Flexus ille, et, ut sic dixerim, motus, dat actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatae manus, et

colligere e Regii nota, item Britannicis tribus. Ceteri negliguntur fere a conferentibus (ut Turic. siletur), nisi quod Alm. *neque* dare narratur. Edd. post Regium et ante eum quoque, ut Tarvisinum, obsedit *neque*, quod suasit Regius. Rectissime Gesn. revocavit veterem scripturam, quae fuit etiam Aldi et videtur Andreanae fuisse. Quod autem Burmannum ei favere putat, in eo quidem fallitur (quod Lochm. quoque animadvertit), errore fortasse legendi τὸ *nempe*, pro eo quod est τῷ *nempe*, in nota Burm. Male ab iis, qui cum Regio sentirent, acceptus fuit coniunctivus *sit* praecipiendi sensu, quum nihil aliud nisi, quid in *recto corpore* necessario appariturum sit, demonstret. Quod Badius negat *nempe* locum habere ante *enim*, immemor erat loci gemini lib. VIII, Prooem. 6: *Nempe enim plurimum in hoc laboris exhausimus. Nempe* (cuius quidem varias potestates ex uno fonte deducere non caret difficultate) h. l. est affirmantis cum respectu ad antecedentia. Apte reddideris Germanico, *ia. — Nempe enim.* Eadem iunguntur ab auctore Dial. de corr. eloqu. c. 35: *Nempe enim duo genera. — Effictis*) Guelf. et Turic. *et factum*, et sic codd. haud dubie omnes (nam quod Voss. tres et Bern. dare narrantur *et foetum*, is levis aut scribentium aut conferentium est error); accedunt edd. meae quidem, usque ad Stoerium 1591 primum dantem *effictis*, omnes. Vnde igitur nata sit recepta, non dixerim, neque, quin ab erudito quodam excogitata fuerit, dubito. Quanto autem est facilior, tanto minus debebat secure propagari. Regius ceterique veteres interpretes ne haerent quidem in vocabulo sane miro. Ni forte ingeniosior aliquis criticus excogitet, quod propius ad veterem scripturam accedat, ego in illa acquieverim. *Factum* autem masculino genere dictum existimo ab illa *faciendi* significatione, quae est apud Ciceronem non infrequens, velut de Orat. III, 48: *oratio polita atque facta quodammodo*; itemque Brut. cap. 8: *accurata et facta quodammodo oratio.* Horat. Satir. I, 10, 58: *Versiculos — magis factos et euntes Mollius*; et V, 32, 33, *ad unguem factus homo;* ubi vide vet. Schol. Fateor destitui me simili verbalis nominis usu, nam *factus olei*, qui est apud Catonem LXVII, 1, et Plin. hist. XV, 6, nihil lucis sufficit. Paulo magis huc trahas quod dicit Varro de R. R. III, 1, 10, *villa ornatior fructu quam factu.* Et potest ob ipsam paronomasiam, qualis etiam apud Varronem, ignotius usurpasse vocabulum Qu., neque enim prorsus spernunt hoc veteres, quod hodie etiam frequentissimum est ut homoeoteleuta vocabula geminentur, velut *honoratus, oneratus; spes, res; nobilis, mobilis.* Fortasse latent me veterum loca, unde praesidium petatur scripturae codd., quam recepta saltem mutare non sustineam. *Factum* igitur explicaverim: summam in perfecto

*Vt sic dix*) Quoniam agit de *statuis* et *picturis*.. *Effictis*) Vid. not. crit.

10 in vultu mille species. Cursum habent quaedam et impetum, sedent alia, vel incumbunt: nuda haec, illa velata sunt: quaedam mixta ex utroque. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen, ut parum rectum, improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel praecipue
11 laudabilis est illa ipsa novitas ac difficultas? quam quidem gratiam et delectationem afferunt figurae, quaeque in sensibus, quaeque in verbis sunt. Mutant enim aliquid a recto, atque hanc prae se virtutem ferunt,
12 quod a consuetudine vulgari recesserunt. Habet in pictura speciem tota facies: Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quaedam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro di-

opere elegantiam. — *Quaedam*) Guelf. *quendam* cum vett. aliquot edd. *Mut. enim*) Turic. et Guelf. *Mut. etiam*, et sic omnes fere codd. et edd. vett. praeter Ald. qui habet receptam solam loco convenientem; nam *etiam* interpretari, *et ipsae*, *sicut flexus ille*, alienum credo a latinitate in hoc vocis positu. Goth. *autem*, paulo melius. Sed *etiam* et *enim* in codd. confundi solent; vid. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 41, 3; it. nost. I, 5, 37.

*Discobolos Myronis*) Meminit Plin. Hist. nat. XXXIV, 19, 3, p. Bip. 237. Sed ad vivum pingit Lucianus: Μῶν τὸν δισκεύοντα — φῄς, τὸν ἐπικεκυφότα κατὰ τὸ σχῆμα τῆς ἀφέσεως, ἀπεστραμμένον εἰς τὴν δισκοφόρον (intell. χεῖρα) ἡρέμα ὀκλάζοντα τῷ ἑτέρῳ (int. ποδί), ἐοικότα ξυναναστησομένῳ μετὰ τῆς βολῆς; Mox: τῶν Μύρωνος ἔργων ἓν καὶ τοῦτό ἐστιν ὁ δισκοβόλος, ὃν λέγεις. Philopseud. Bip. Vol. VII, p. 268.

*Quam — delectat*) Eandem varietatis voluptatem, quam flexus in statuis et picturis.

*Sensibus — verbis*) Σχήματα λέξεως καὶ διανοίας.

*Antigoni*) Vid. Plin. H. N. XXXV, 36, 14, p. 298; cf. eiusd. XXXV, 34, p. 289, quae duo loca inter se videntur pugnare, quum et Cleonaeo (p. 289) et Apelli (298) videatur tribui catagraphorum inventio. Id quod posteriori loco legitur *primus* (nisi abiicere forte malis, ut natum ex interpretamento τοῦ *excogitata*) interpreter, ut primus Apelles invenerit rationem *vitii condendi*, primus hoc Cleonaei invento usus ad vitium celandum. Sed durum hoc.


image
not
available

15 labefactari parte aliqua aut subrui possit. Sed de his plenius suo quidque loco tractabimus. Interim nolo se iuvenes satis instructos, si quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerint, et velut decretis technicorum tutos, putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, plurimis experimentis, altissima prudentia, praesentissimo consilio
16 constat ars dicendi. Sed adiuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam, monstrent: a qua declinare qui crediderit nefas, patiatur necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. Itaque et stratum militari labore iter saepe deserimus, compendio ducti: et, si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: et, si ianua tenebitur incen-

*Plurimis*) Ita Guelf. et Turic. cum Bodl. Ioann. Alm. Voss. 3. Praetuli receptae, a Gesn. quoque, *pluribus;* neque enim separatim spectata, neque relata ad *exercitatione*, placebat. Nostram habent et Griph. et Obr. — *Altiss.* — *cons.*) Gesn. omittit *prud. praes.* per errorem, sed masc. habet in *alt.* — *A qua*) Guelf. et Turic. *quae* cum Alm. Goth. (tac. Gesn.) *qua.* Gothano astipulantur Voss. tres et edd. meae ante Gryph. omnes, neque fortasse ignota veteribus structura *declinare aliqua re*, etsi exemplo destituor; nisi forte evanuit apex, ut fuerit *quam*; nam et sic struitur. — *Crediderit*) Goth. (tac. Gesn.) miro, et solus, errore, *didicerit.*

*Velut*) Ad *decreta* solum pertinet.

*Constat*) Significatione, quam vidimus ad II, 7, 1.

*Patiatur — tarditatem*) De funambulis agitur profecto. Quod autem tarditatem in iis memoratam miratur Gesnerus, ipsa nomina horum praestigiatorum apud veteres: σχοινοβάτας, *funambulus* (*funirepus* etiam Apulei. Florid. p. Elmenh. 359), tardum incessum videntur significare, comparata praesertim cum nostra appellatione; neque memini mirificae alicuius celeritatis in hac arte mentionem, quamquam Salmasius ad Vopisci Carinum c.19,p.817 eos etiam *saltasse* ait; et in veteri epigrammate: *Vix avibus facili tramite currit homo.* De difficili ad oratoris laudem via eadem imagine utitur Lucian. in rhetorum praecept. p. 228, Bip. vol. VII: φήσει εὐθαίμονά σε ἔσεσθαι — εἰ κατὰ (τῶν τοῦ Δημοσθένους καὶ τοῦ Πλάτωνος ἰχνῶν) ὀδεύσειας, ὥσπερ οἱ ἐπὶ τῶν κάλων βαίνοντες. Et Plinius Epist. IX, 26, 3: *Vides, qui per funem in summa nituntur* etc. In utroque loco nitens, et pedetentim incedens, fingitur schoenobates. *Patiatur* significatu dicitur, quem vidimus I, 2, 31.

dio, per parietem exibimus. Late fusum opus est, et 17
multiplex, et prope quotidie novum, et de quo nunquam dicta erunt omnia. Quae sunt tamen tradita, quid ex his optimum, et, si quid mutari, adiici, detrahi, melius videbitur, dicere experiar.

XIV. Rhetoricen in Latinum transferentes, tum *oratoriam*, tum *oratricem* nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani sermonis augere tentaverint. Sed non omnia nos ducentes ex Graeco sequuntur, sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. Et 2
haec interpretatio non minus dura est, quam illa Flavii

*Quae sunt*) Turic. *Q. sint*, cum edd. ante Bas. omnibus et revocavit Obr. — *Si quid mut.*) Turic. Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *si qua mut.* cum Bal. et edd. ante Gryph. omnibus meis.

*Ducentes ex Graeco*) Guelf. *dicentes Graeca*, prius solito errore, sed posterius eleganter. — *Flavii essentia*) Turic. *Plauti e.* Guelf. *Plauti est sententia*, impositum autem hisce in versuum intervallo, *at planities*. Error, qui est in *sententia*, similis est eius, quem in eodem vocabulo apud Senecam correxit Muretus (vid. not. excg.), quo apparet quantopere haeserint librarii in vocabulo inaudito; ceterum in reliquis duobus locis *essentia* incorrupta exstat. Quod attinet ad nomen proprium, omnes fortasse codd. consentiunt in hanc Guelf. scripturam, quum et edd. pleraeque ante Burm. eandem dent, ut codd. nulla potuerit notari varietas. Gryphius tamen meus 1544, cum paucis, *Flavii*. Idem *Plauti* nomen expressum est in Turic. et Guelf. III, 6, 23; sed in Goth. ibi *Planaus* (non *Plancius* ut refert Gesn.), ut in Voss. 2 solo, cetera enim omnes *Plautum* dant. Lib. VII, 4, 40, sine controversia in omnibus est *Flavius*, quo loco tamen, quum huius interpretationis nulla fiat mentio, morosior quis neget, eundem quem nostris locis designari. Lib. VIII, 3, 33, omnium quidem codd. scriptura videtur esse *Sergio Flavio*, sine *que* posteriori adiuncto, quod est fere in edd. vett., nisi quod Guelf. ibi dat *Fravio*, levi errore. Tantum igitur liquet, alterutro loco, aut nostro et tertii libri, aut octavi, errasse librarios. Magis autem est consentaneum errorem suspicari in duobus prioribus locis, quum Plauti, qui talia tractaverit, nulla usquam inveniatur mentio, Flavii vero libro, septimo memorati, ipsum quod affertur opus cum eiusmodi disputatione

*Tentaverint*) Sine codd. novare quidquam nolui; sed, meo quidem sensu, coniunctivus hic recte non procedit, et veteres fere edd. omnes dant *tentaverunt*.

*Flavii essentia — entia*) De viri nomine vid. not. crit. Verisimillimum quidem, esse hunc eundem, quem passim scriptores vocant Papirium Fabianum aequalem Senecae, phi-

*essentia* atque *entia*: sed ne propria quidem: nam *oratoria* sic efferetur, ut *elocutoria; oratrix* ut *elocutrix*.

non male conspiret. Accedit auctoritas Senecae (vid. not. exeg.) eandem interpretationem non *Plauto* tribuentis, sed *Fabiano*. At enim ne is quidem *Flavium* nominat. Adsunt viri doctissimi, Muretus Varr. Lect. XV, 20, et Iustus Lipsius ad Senecae Epist. ad Lucil. 58, nomen huius, de quo agimus, philosophi et rhetoris ita efferentes: *Ser. Flavius Fabianus* alter, alter autem *Ser. Flavius Papirius Fabianus*, quo quidem certo auctore, equidem non dixerim, nisi quod a verisimilitudine abhorret *eiusdem* aevi scriptores, Senec. et Quintil., designasse *eiusdem* vocabuli auctores diversos. Lenissima autem est emendatio mutandi *Sergio*, VIII, 3, 33 in *Servio* vel *Ser.* quam inducens ne excusare quidem dignatus est Muretus. *Sergius* enim et *Flavius*, gentilitium nomen utrumque, in unum hominem non cadunt, hac saltem aetate, ubi mos antiquus imponendorum nominum parcius deserebatur, quam serioribus seculis; sed Lipsii ratio, *Flavium Papirium* vocantis, eodem vitio teneri videtur: nisi forte adoptio fuit eodem modo declarata ut in C. Plinio Caecilio Secundo, qui debebat appellari *Caecilianus*, sicuti noster *Papirianus* pro *Papirio*; nam *Fabianus* potuit esse nomen adoptantis. An *Flavius* pariter et *Plautus* apud Quintilianum errore librariorum natus ex *Fabiano*? Ceterum non erat, quod aestuaret Burmannus in Papirio Fabiano, quem in Fabri Thesauro *essentiae* auctorem legebat, modo inspexisset locum Mureti a Pareo etiam in ipsa Burmanni editione citati ad III, 6, 23; neque debebat Fabri rationem deserere Gesnerus in utroque Thesauro. Budaeus, quem male reprehendit Vossius, Instit. Orat. lib. IV, pag. 19, sequebatur sui aevi libros, *Plautum*, duobus Quintiliani locis, dantes. — *Entia*) Guelf. hoc ipsum, sed tenuioribus literis superimpositum, *entitas*. — *Or. ut eloc.*) Turic. *o. et e.* cum Alm.

losophum et *naturae rerum peritissimum*, ut audit Plinio H. N. XXXVI, 24, 12, p. 367. De hoc copiose agunt, et pater et filius, Senecae; alter Praef. Controv. l. II, p. 132—134, alter Epistola ad Lucil. 100. Eiusdem *essentiae* vocabulum, si minus inventum, quoniam Cicero occuparat, proprium tamen fuisse narrat Seneca in Ep. ad Lucil. 58, post praeclaram Mureti emendationem, ex alienis et praeposteris verbis *quid sentiam* efficientis ingeniosissime *essentiam*, quod loco unice accommodatum est, et confirmatur Sidonii Apollinaris testimonio in Epistola ad Polemium Epithalamio in eundem praemissa, p. 372 apud Sirmond. Restant scrupuli duo, in loco Senecae, si cum nostro conferatur. Mirari primum subit, quod Ciceronis in hac vocis οὐσίας interpretatione non meminit Quintilianus, qui duobus, praeter nostrum, locis rem tangit III, 6, 23, et VIII, 3, 33. Nam quod in reliquis Ciceronis operibus non invenitur *essentia*, id quidem non magnopere moror. An interpretationem hanc Cicero tentavit in sermone familiari, ut posset eam ignorare Quintilianus? Quamquam vel e Seneca poterat cognoscere. Deinde Seneca, quomodo latine uno vocabulo reddat τὸ ὄν, se habere negat, neque alterum illud Fa-

Illa autem, de qua loquimur, *rhetorice*, talis est, qualis *eloquentia*: nec dubie apud Graecos quoque duplicem intellectum habet. Namque modo fit appositum, *ars* 3 *rhetorica*, ut *navis piratica*: altero nomen rei, qualis est *philosophia*, *amicitia*. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammatice *literatura* est, non *literatrix*, quemadmodum *oratrix*: nec *literatoria* quemadmodum *oratoria*. Verum in rhetorice non sic. Ne 4 pugnemus igitur, quum praesertim plurimis alioqui Graecis sit utendum. Nam certe si *physicos*, et *musi-*

*Qualis est phil.*) Guelf. Turic. et Goth. (tac. Gesn.) *quae est phil.* cum Voss. 2, 3, et Bern. At Voss. 1, *qua*, in quo est transitus ad veram scripturam, quae et in Britannicis videtur legi, et est in edd. omnibus. — *Non sic*) Turic. Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.) *non sit*, cum Bern. et edd. ante Gryph. omnibus.

*Ne pugn.*) Turic. Goth. Iens. (tac. Gesn.) *Non pugn.* cum omnibus paene edd. vett. Sed Guelf. receptam dat et puto aptiorem illi praecepto nostri I, 5, 50. Confunduntur in MSS. *non* et *ne* vid. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 38, 10. — *Si ph.*) Sic Turic. Guelf. et Goth. (ubi Gesn. ne-

biani inventum *ens* pro ὄν agnoscit. Id tamen Quintilianus, non solum VIII, 3, 33, sed et ipso nostro loco memorat, ut mihi quidem videtur. Puto enim *entia* esse pluralem vocis *ens*, quum nulla appareat causa versionis, unius vocabuli Graeci οὐσίας, duplicis, nec nisi una memoretur alibi. Pronomen *illa* in mea ratione neutro genere accipies. Haec autem, quam tetigi, discrepantia non impedit, quo minus eundem vocabuli *essentiae* auctorem intellexerint Seneca et Quintilianus.

*Talis — qualis*) H. e. eiusmodi est nomen, quod, si reddere velim, reddere debeam simili ei forma, quae est in *eloquentia*, ut ergo dicatur *orantia*.

*Appositum*) Plane pro *adiectivo*, sicut et IX, 4, 24, *ut — nomina appositis — essent priora*. Deinceps autem *nomen rei* rectissime dicitur pro *substantivo*.

*Verum — sic*) Abrupta est sententia, qua facile carebamus. Gesneri ratio haec est, ut dictum sit pro iis: *Talis autem qualem adhuc demonstravi, difficultas non est in vocabulo Graeco rhetorice*, cui bene respondet, quod sequitur: *Ne igitur* etc. An ita loquuti sint veteres *non sic*, quod mihi nostrum sermonem videtur olere, a peritioribus velim discere. Si *fit* legitur pro *sic* (vid. not. crit.) intelligam: *in rhetorice, vocabulo Graeco, non tam apta fit versio latina, quam in altero, grammatice*. Tum recte tollas interpunctionem ante *Verum*. Hoc dedit et Gedoynus.

*Si physicos*) Vid. not. crit.

*cos*, et *geometras* dicam, nec vim afferam his nominibus indecora in latinum sermonem mutatione; denique, quum M. Tullius etiam ipsis librorum, quos hac de re primum scripserat, titulis, graeco nomine utatur; profecto non est verendum, ne temere videamur oratori maximo de nomine artis suae credidisse. Igitur *Rhetorice* (iam enim sine metu cavillationis utemur hac appellatione) sic, ut opinor, optime dividetur, ut de *arte*, de *artifice*, de *opere* dicamus. *Ars* erit, quae disciplina percipi debet: ea est *bene dicendi scientia*. *Artifex* est, qui percepit hanc artem, id est orator, cuius est summa *bene dicere*. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id est *bona oratio*. Haec omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco: nunc quae de prima parte tractanda sunt, ordiar.

XV. Ante omnia, quid sit *rhetorice*: quae finitur qui-

glexit, quod omittitur *et*), nisi quod pro *physicos* dant *philosophos*. Praeferam fere *philosophos*, ut tritius in hoc genere nomen, quum et alii codd. accedant. Ceterum abstinui a Gesneriana mutatione *sic* pro *st*, etsi leni sane. Neque enim videtur necessaria, modo mecum dirimas sententias, non autem interpungas post *mutatione*. De se ipso usurpavit *st*, de Cicerone (ut in re facta, et prorsus certa) *cum*, eodem fere utrumque sensu. Sic et mollior structura, quam in Gesneri ratione, quae paulo videtur salebrosior. *Et* autem ante *ph.*, quod mei omittunt codd., alii retinent, malui expungere, neque necessarium, neque gratum h. l. — *Percepit*) Ita Guelf. et Bern. quibus duobus codd. malui obtemperare, quam ceteros sequi libros, quorum optimi dant *percipit*: nam *praecipit*, quod est in aliquot eorum (sicut et Tarvis. non autem, ut Gesn. ref. lens.) manifestus error. *Artifex* est ille, qui iam *percepit*, *discipulus* qui cummaxime *percipit*.

*Etiam ipsis — titulis*) Qui hodie *de Inventione* appellantur, *Rhetorici* inscripti fuerunt ab ipso Cicerone. Recte videtur Capperonnerius suspicari obliteratam inter *etiam* et *ipsis* praepositionem *in*, quam post *m* (hic praesertim sequente *i*) solere intercidere multis exemplis ostendit Drakenb. ad Liv. X, 13, 3: de *t* sequente vide cund. ad Epitomen lib. LXXXV.

*De arte — opere*) *De arte* hinc usque ad l. XII. *De artifice* a l. XII, c. 1 — 10. *De opere* l. XII, c. 10 et 11.

*Quid sit rhetorice*) Pendet hoc ab *ordiar*, praecedentis capitis extremo vocabulo. De nexu capitum cf. ad II, 12, 1.

dem varie, sed quaestionem habet duplicem: aut enim *de qualitate ipsius rei*, aut *de comprehensione verborum* dissensio est. Prima ac praecipua opinionum circa hoc differentia, quod alii malos quoque viros posse oratores dici putant: alii (quorum nos sententiae accedimus) nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem, qui dicendi facultatem a 2 maiore ac magis expetenda vitae laude secernunt, quidam rhetoricen *vim* tantum, quidam *scientiam*, sed non virtutem, quidam *usum*, quidam *artem* quidem, sed a scientia et virtute diiunctam, quidam etiam *pravitatem* quandam *artis*, id est, κακοτεχνίαν nominaverunt. Hi 3 fere, aut *in persuadendo*, aut *in dicendo apposite ad persuadendum*, positum orandi munus sunt arbitrati. Id enim fieri potest ab eo quoque, qui vir bonus non sit. Est igitur frequentissimus *finis*, *rhetoricen esse vim per-*

*Diiunctam*) Guelf. *seiunctam* cum quibusdam codd. Plures dant *disiunctam*, aliquot tamen, iique optimi, receptam extrusa *S* litera, quam rationem fere praeferunt VV. DD. quippe in antiquissimis codd. inventam, contra decreta tamen Grammaticorum Putschianorum vid. Drakenb. ad Liv. XLII, 59, 4.

*Apposite*) Turic. Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *apte*, quod quidem facile feras, alii *aperte* (ut Iens., tac. Gesn., et Tarv.) male. Receptae vindex nullus videtur codex, nam Alm. et Bern. qui silentur, solent conspirare cum Guelf. et Turic.; Aldus primus habet *apposite*, quod suasit Regius, ut et *apte*. Sed recepta se tuetur Ciceroniana definitione de Inventione I, 5, ubi bis *apposite ad persuasionem*, *apposite ad sanandum*; cf. mox §. 5, ubi nulla varietas. — *Rhetoricen persuadendi*)

*Habet duplicem*) Sed omnis haec varietas finiendi eo redit, ut a cuiusque definitionis adversariis reprehendantur aut *sententia de ipsa oratoris natura*, aut *vocabula*, quibus ea declaratur.

*Bonis demum*) Haec Catonis quoque Censorii sententia fuit, in libro de Oratore ad filium, ut refert Seneca pater praef. ad Controv. l. I, p. 62, hoc praeclare, et digno qui legatur a studiosis. *Orator est*, *Maree fili*, *vir bonus*, *dicendi peritus*. Sciungit virum bonum ab oratore apud Ciceronem Antonius de Orat. II, 20, et ipse Invent. I, 3, 4; cf. noster XII, 1, 1; item Procem. tot., op. 9. De *demum* vid. Procem. 3.

*Finis*) Potestas vocabuli apparet. Sic et Aristoteles et Euclides utuntur τῷ ὅρῳ ἀντὶ τοῦ ὁρισμοῦ. Ciceroni quidem haec *finis* significatio ignota,

*suadendi.* Quod ego *vim* appello, plèrique *potestatem*, nonnulli *facultatem* vocant: quae res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δύναμιν. Haec opinio originem ab Isocrate (si tamen re vera Ars, quae circumfertur, eius est) duxit. Qui, quum longe sit a voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens esse rhetoricen *persuadendi opificem*, id est, πειθοῦς δημιουργόν. neque enim mihi per-

Ita Guelf. et Turic. cum omnibus fere codd. et edd. vett. ante Gryphium, ut Iens (tac. Gesn.) Gesn. cum aliis: *rhetorices vis persuadendi.* Praepostera structura: *finis est vis.* Vnde natus error librariorum, facile apparet. — *Vim* — δύναμιν) Guelf. *vim dicere malim.* Miro errore, sed nato e latt. litt. quibus scriptum erat nomen graecum. Turic. *vim dico diun.* Goth. (tac. Gesn.) omittit articulum τὴν cum edd. vett. aliquot, neque opus eo.

*Vim dico* τὴν δύναμιν) Non propterea *dicit*, ne oriatur ambiguitas, sed *monet* se dicere *vim* pro Graeco δυνάμει, ne quis haereat. Δύναμιν etiam Aristoteles usurpat in hac re, sicut Rhet. I, 2 init. ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις κ. τ. λ.

*Si tamen — eius est.* Plutarchus (sive Pseudo-Plut.) Vol. II. p. 838: εἰσὶν οἱ καὶ τέχνας αὐτὸν λέγουσι συγγεγραφέναι, dubitans et ipse, neque ulla, ut quidem videtur, quae Isocratis nomen praeferret, *arte* aguita: τέχνας autem, plurali numero, dixit praecepta dicendi, quae unam efficiunt τέχνην. Quo significatu Cicero Brut. c. 12, videtur usurpasse, quum dicit *Isocratem — totum se ad artes componendas transtulisse.* Etiam Aristoteles non semel plurali sic utitur. Dubitatio ista Quintiliani non vana videbitur expendenti locum ipsius Isocratis *Contra Sophistas* versus finem: λοιποὶ — οἱ — τὰς καλουμένας τέχνας γράψαι τολμήσαντες, οὓς οὐκ ἀφετέον ἀνεπιτιμήτους. Improbat integra ista oratione Isocrates eos, qui se *dicendi* scientiam discipulis, neque ac *literarum*, tradituros polliceantur, et *philosophiam* (significat autem hoc vocabulo omnem methodum et theoriam, ut saepe) negat multum proficere in hoc genere, plurimum autem exercitationi et exemplo tribuit. Quo adducor, ut iis maxime credam οἱ (vid. Plutarch. l. c.) οὐ μεθόδῳ ἀλλ' ἀσκήσει χρήσασθαι αὐτὸν λέγουσι. Nisi forte sententiam mutavit, quod ex Aristotelis narratione a Cicerone (l. c.) expressa colligas. *Artem* tamen, quam constaret esse Isocratis ipsius, se invenisse negat Cicero de Invent. II, 2, qua de re docta est Manutii disputatio ad Epist. ad Div. I, 9, coniicientis exstitisse aliquam Isocratis iunioris Apolloniatae artem, discipuli magni illius magistri, quem memorant Harpocratio (in ἐπακτός) et Suidas. Vid. de Apolloniate etiam Ruhnk. Hist. Crit. Orat. Graecc. Rutilio Lupo praemissam p. 84 seqq.

*Dicens — δημιουργόν*) Hanc appellationem ergo mutuatus est scriptor artis Isocrateae ab ipso Platone vel Socrate in Gorgia p. 453, A. vol.

miserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum *Suadae medullam* vocat. Apud Platonem quoque Gorgias in libro, qui nomine eius inscriptus est, idem fere dicit: sed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non suam. Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, *dicere apposite ad persuadendum.* In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit *persuadere.* Verum et pecunia persuadet, et gratia, et auctoritas dicentis, et dignitas, et postremo aspectus etiam ipse sine voce, quo vel recordatio meritorum cuiusque, vel facies aliqua miserabilis, vel formae pul-

*Declinatione* ) Guelf. *declaratione* cum Voss. 2 ( Goth. non astipulante ), et edd. aliquot. Male.

*Dignitas et postr.* ) Guelf. et Goth. Iesn. ( tac. Gesn. ) omittunt *et* cum Voss. 2, et vett. fere edd. Eleganter.

Bip. IV, p. 17, et passim per totum Dialogum; cf. mox §. 5.

*Declinatione* ) I. e. formatione a primitivo *suadendi* facta. Apposite ad hanc *declinationis* significationem ostendendam Capperonnerius affert VIII, 3, 32 *in declinatione — qualia beatitas et beatitudo — nec a verbis modo sed a nominibus quoque derivata:* item Varronem de L. L. l. V, p. Bip. 61: *Primigenia dicuntur verba, ut lego — Contra verba declinata sunt, quae ab aliquo oriuntur.*

*Ennius* ) Fragmentum servatum a Cicerone Brut. c. 15, unde adornavit Columna in opere Enniano p. 89, 90; cf. et Cic. de Senect. c. 14 extr.

*Pluribus locis* ) De Or. I, 31: *Oratoris officium — dicere ad persuadendum accommodate.* Acad. Quaest. I, 8: *Oratoria vis — explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae.* De Invent. I, 5, initio. Haec fere sunt inventa a VV. DD. loca.

*Finem* ) Vid. de Invent. l. c. *finis* (oratoriae facultatis) *persuadere.* Qui locus est ex paucis illis, ubi nostram fere *finis* ( σκοποῦ ) significationem agnoscere cogimur. Vid. Heusingeri emendd. p. 407. Sed cf. ex fratre nepotem ad Cic. Off. I, 39, 1, Petr. Victorius ad Aristot. Rhet. l. I, p. 25 ( ed. 1579 ) suspicatur, Qu. male confundere *officium* et *finem.* In στοχαστικαῖς enim, qualis sit rhetorice, ea esse diversa ad Ciceronis ipsius mentem. De locutione *sine dubio* cf. dicta ad I, 6, 12. Improbat autem rhetoricos, sive de Inventione libros, *qui sibi exciderint* de Or. I, 2, init. cf. III, 1, 20; III, 6, 58, 63.

*Quo* ) Scil. *aspectu.* Sed videtur inesse scabrities, ut malim *quum*, si forte antiquitus scriptum fuerit *quom;* vid. I, 7, 5; cf. et Drakenb. ad Liv. XXIV, 34, 10, ubi haec confusio frequens ostenditur.

*Record. — fac. miser. — pulchr.* ) Habes singulorum exempla in Aquilio, Galba, Phryne.

7 chritudo, sententiam dictat. Nam et M'. Aquilium defendens Antonius, quum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc
8 ut absolveret reum, creditum est. Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in concionem produxerat, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione
9 testatum est. Et Phrynen non Hyperidis actione, quamquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa, speciosissimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam. Quae si omnia persuadent, non est
10 hic, de quo loquuti sumus, idoneus finis. Ideoque diligentiores sunt visi sibi, qui, quum de rhetorice idem senti-

*M'. Aquil.*) Praenomen expressi ex Alm. quum ceteri omnes libri dent M. Sed illius auctoritas defenditur locis Ciceronianis; vid. not. exeg. — *Servium*) Sic, non *Sergium*, et mei dant codd. duo, Turic. siletur. — *Concionem*) Turic. Guelf. Goth. Ieus. (tac. Gesn.) *concione* cum plurimis libris Mss. et excusis. — *Phrynen*) Sic Guelf. quod solum ferri debebat, non *Phrynem*.

*M'. Aquilium*) vid. Cic. de Or. II, 28, 47; Verrin. V, 1.

*Galbam — Catonis*) Lege Cic. de Or. I, 53.

*Phrynen — Hyperidis*) Cf. ad I, 5, 61. Athenaeus Deipnos. l. XIII, p. 590: ὁ Ὑπερίδης συναγορεύων τῇ Φρύνῃ, ὡς οὐδὲν ἦνυε λέγων, ἐπίδοξοί τε ἦσαν οἱ δικασταὶ καταψηφισόμενοι, προαγαγὼν αὐτὴν εἰς τοὐμφανὲς καὶ περιρρήξας τοὺς χιτωνίσκους, γυμνά τε τὰ στέρνα ποιήσας, τοὺς ἐπιλογικοὺς οἴκτους ἐκ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἐπερρητόρευσε, δεισιδαιμονῆσαί τε ἐποίησε τοὺς δικαστὰς τὴν ὑποφῆτιν καὶ ζάκορον Ἀφροδίτης ἐλέῳ κτσαμένους μὴ ἀποκτεῖναι. De hoc Phrynes iudicio, an fuerit in Areopago factum, docta est disputatio Clar. Gottl. Wernsdorfii in Commentatione ad Plutarchi Quaestiones Graecas I, p. 34 seqq.

*Quod illa*) Quamquam omnes hoc dant libri, suspicor tamen esse errorem librarii pro *quod ille*, ut vertit Gedoynus. Sic demum Quintiliani narratio conspirabit cum ceterorum. Tametsi Sext. Emp. p. Fabr. 289 etiam Phrynae ipsi tribuit.

*Alioqui*) Etiam, antequam nudandis pupillis, maiorem inculeret admirationem. — *Alioqui*. Eodem fere usu II, 1, 4.

*Nudaverat*) Quum libri omnes in

rent, existimaverunt eam *vim dicendo persuadendi.* Quem finem Gorgias in eodem, de quo supra diximus, libro, velut coactus a Socrate, facit: a quo non dissentit Theodectes; sive ipsius id opus est, quod de rhetorica scriptum consentiant, verissimam tamen puto unius veteris editionis (Tarvisinae) rationem, dantis *nudaverit.* Alienum est plusquamperfectum, et coniunctivus paene necessario flagitatur ab illo *putant.* Neque dubito, quin modo legendum fuerit: *produxerit, circumtulerit.*

*Existimaverunt*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *existimarunt*, cum omnibus Voss. et edd. vett. — *Vim dic.*) Turic. cum Alm. ins. *in* — *A Socrate*) Guelf. *ab Isocrate*, rariori errore, quum contrarius sit frequentissimus in codd.

*Dicendo persuad.*) Sed et Cicero de Inv. loco supra (§. 6) indicato finem facit *persuadere dictione.*

*Coactus a Socr.*) Socrates, non contentus responso Gorgiae: ῥητορικὴν εἶναι τέχνην περὶ λόγους (p. 10), aliasque artes oratione itidem uti monens, neque acquiescens eo, quod ille addit εἶναι ἐκείνους τοὺς λόγους περὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων καὶ ἀριστα (p. 14) hanc tandem elicit summi illius, quod profiteatur, boni definitionem: Τὸ πείθειν (φημὶ) ἔγωγ' οἶδντ' εἶναι τοῖς λόγοις καὶ ἐν δικαστηρίῳ δικαστὰς καὶ ἐν βουλευτηρίῳ βουλευτὰς καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐκκλησιαστὰς καὶ ἐν ἄλλῳ ξυλλόγῳ παντὶ ὅστις ἂν πολιτικὸς ξύλλογος γίγνηται. p. 16, Vol. IV, Bip. p. 452. E. Steph.

*Theodectes*) Vid. I, 4, 18. Cicero eius artem commemorat in Oratore c. 51, 57, 64 nulla dubitatione de auctore subiecta. Mira est Valerii Maximi narratio prodentis, libros de oratoria arte Theodectae discipulo ab Aristotele fuisse concessos, quos ederet, deinde autem ab eodem, quem gloriae ita amissae poeniteret, repetitos, eamque ob causam Theodecteos quidem appellatos, sed ita ut suos esse simul significaret (VIII, 14 extern. 3). Manifesto Valerius ob oculos habuit locum Aristotelis Rhet. III, 9, 9, in quo quum haereret, magis, quod coniiceret, quam quod comperisset, narrasse mihi videtur. Neque enim prorsus apparet, quo sensu Aristoteles τὰ Θεοδέκτεια dixerit, quamquam Valerii ratio tituli explicandi omnium minime est probanda. Praestat eum repetere ab homine, ad quem scriptus fuerit liber, sicut dicuntur eiusdem Aristotelis Νικομάχεια et Εὐδήμεια quorum et ipsorum tituli fraudi fuerunt summis viris, velut Ciceroni, ut crederent aliorum quam Aristotelis, esse opera. Mene opinioni confirmandae malo non adhibere locum Rhetorices ad Alex. c. 1 extr. ubi memorantur τέχναι Θεοδέκτῃ γεγραφῖσαι, quam inchoare hoc loco difficilem quaestionem de auctore epistolae isti opusculo praemissae. Neque tamen, si maxime τὰ Θεοδέκτεια sunt ipsius Aristotelis, protinus neges Theodecten quoque aliquid de arte oratoria composuisse, quem inter τεχνικῶν παραγγελμάτων συγγραφῖας recenset Dionys. Hal. ad Ammaeum tom. II, p. 120. Recte an corrupte Diogenes Laërtius et Anonymus Menagianus opus Aristotelis appellaverint τέχνην τοῦ Θεοδέκτου,

rice nomine eius inscribitur, sive, ut creditum est, Aristotelis: in quo est, finem esse rhetorices, *ducere ho-*
11 *mines dicendo in id, quod actor velit.* Sed ne hoc quidem satis est comprehensum: persuadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alii quoque, ut *meretrices, adulatores, corruptores.* At contra non persuadet semper orator: ut interim non sit proprius hic finis eius, interim sit communis cum iis, qui ab oratore pro-
12 cul absunt. Atqui non multum ab hoc fine abest Apollodorus, dicens iudicialis orationis primum et super omnia esse, *persuadere iudici, et sententiam eius ducere in id, quod velit.* Nam et ipse oratorem fortunae subiicit, ut, si non persuaserit, nomen suum retinere non
13 possit. Quidam recesserunt ab eventu, sicut Aristoteles, qui dicit, *rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia.* Qui finis et illud vitium, de quo supra di-

*Ne hoc quid* ) Sic Turic. et Guelf. quod quum forte dedissent Bipontini, praetuli Gesneri aliorumque scripturae *ne hic quid.* Vtraque bonis auctoribus defenditur, nisi quod *hic*, ut difficilius, Critico potest magis placere. Videtur tamen adverbium, *hic*, non esse pro cetera Quintiliani perspicuitate.

*Arist. qui dic.* ) Turic. et Guelf. omittunt *qui* cum multis.

non magni refert. Occasionem dubitationis Quintilianeae satis demonstrasse mihi videor. Ceterum, praeter Fabricium, adi Buhlium Opp. Aristot. vol. IV, p. 5 et 547. Theodectea non exstant.

*Satis — compr.* ) Cf. §. 1, *satis* intellige: *satis recte, ἱκανῶς.*

*Corruptores* ) Intelliguntur profecto, qui mares venantur. Sic Cicero Catil. II, 4: *mulier infamis — corruptor iuventutis.* Qui enim pecunia *corrumpunt*, ii non *dicendo persuadent*; et naturalis libidinis iam facta mentio in *meretricibus.*

*Apollodorus* ) Vid. II, 11, 22, et III, 1, 17.

*Quod velit* ) Si haeres in *velit* cuius subiectum desideres, habes geminum Ciceronis locum de Or. I, 8, init. *Neque — mihi quidquam — praestabilius videtur, quam posse dicendo — voluntates impellere, quo velit: unde autem velit deducere.* Intellige *aliquis*, vel *is qui dicit.* Vide autem Ernesto recte obstantes Heusingeros praef. ad Cic. de Off. p. 45; cf. nostr. II, 16, 19, *in quae velit ducere.* Sext. Emp. p. 304, τό δόξαν ἐμποιεῖν τοῖς δικασταῖς οἷαν οἱ λέγοντες θέλουσιν.

*Aristoteles* ) Rhet. I, 2, 1: δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν; cf. §. 3.

ximus, habet, et insuper, quod nihil nisi inventionem complectitur, quae sine elocutione non est oratio. Her- 14
magorae, qui finem eius esse ait *persuasibiliter dicere*, et aliis, qui eandem sententiam non iisdem tamen verbis explicant ac finem esse demonstrant, *dicere*, *quae oporteat omnia, ad persuadendum*, satis responsum est, quum *persuadere* non tantum oratoris esse convincimus. Addita sunt his alia varie. Quidam enim *circa res omnes*, 15
quidam *circa civiles* modo versari *rhetoricen* putaverunt: quorum verius utrum sit, in eo loco, qui huius quaestionis proprius est, dicam. Omnia subiecisse oratori vi- 16
detur Aristoteles, quum dixit, *vim esse dicendi*, *quid in quaque re possit esse persuasibile*. Et Patrocles, qui non

*Non iisdem tamen* ) Ita Goth. ( tac. Gesn. ) nisi quod antevertit *tamen*; cum Voss. 2. Regius et ipse *tamen* invenit, quod mutavit in *tantum* ut melius; quem sequuti sunt multi editores, ut Gesn., et defendunt aliquot codd., in tanta τῶν *tantum* et *tamen* fluctuatione. Sed aliud est *tantum non* ( de quo profecto cogitabat Regius ) aliud *non tantum*, neutrius autem hic locus, quum mera verborum, non rerum, diversitas ostendatur. Sic et Bad. in nota. Iens. ( tac. Gesn. ) *tamen* cum edd. ante Bas. omnibus praeter Loc. et Rusc.

*Hermagorae* ) Cf. I, 5, 61. De hoc vide in primis Cic. de Inv. I, 6, ubi bonus rhetor, infans orator, demonstratur. Sedulo est segregandus ab altero iuniore, Temnite, cuius meminit Suidas. De utroque vide III, 1, 16, 18. Contra nostrum Pompeius declamavit Rhodi, audiente Posidonio. Plutarch. 641. E. *eius* referendum profecto ad *rhetoricen*. Tribuitur tamen hic *finis* ab Hermagora oratori, ut diversus sit ab ipsa *rei definitione*; vid. Cur. Fortunatianus ap. Pith. p. 38; it. Augustinus p. 290, et Sext. Emp. p. 301.

*Qui proprius* ) De *materia* rhetorices c. 21 huius lib.

*Vim — dicendi* ) Quamquam omnes hoc dant libri, verum tamen esse nequit *dicendi*; cf. §. 13, ubi recte dicitur *inveniendi*, et apud Arist. est θεωρῆσαι; cf. not. crit. ad §. 22, *vis videndi*.

*Patrocles* ) Cf. III, 6, 44. Artis scriptorem fuisse, apparet nostri locis. Memoratur a Strabone et Plinio ( Hist. nat. VI, 21 ) Patrocles, Indicorum scriptor, praefectus classis Seleuci et Antiochi, alius sane a nostro. Suidam, in Ἀντίπατρος, idem nomen recensentem, inter oratores Antipatro ab Atheniensibus deditos, emendat Ruhnkenius ad Rutilium p. 33; reponens Στρατοκλέα, quod retractat p. Hist. crit. 82, sat laudis retinens in reliqua loci correctione. Contra Patroclem oratio Hyperidae citatur ab Harpocratione et Polluce. Patro-

quidem adiicit, *in quaque re:* sed nihil excipiendo, idem ostendit. *Vim* enim vocat *inveniendi*, *quod sit in oratione persuasibile:* qui fines et ipsi solam complectuntur inventionem. Quod vitium fugiens Theodorus, *vim putat inveniendi et eloquendi cum ornatu credibilia*, *in omni*
17 *oratione*. Sed, quum eodem modo credibilia, quo persuasibilia, etiam non orator inveniat, adiicendo: *in omni oratione*, magis quam superiores concedit, scelera quo-
18 que persuadentibus, pulcherrimae rei nomen. Gorgias apud Platonem, persuadendi se artificem in iudiciis et aliis coetibus esse ait; de iustis quoque et iniustis tractare: cui Socrates *persuadendi*, non *docendi* concedit
19 facultatem. Qui vero non omnia subiiciebant oratori,

*Quod sit* ) Gu. *quid sit.* — *Theodorus* ) Sic Guelf. cum sat multis, ut videtur, codd. Goth. tamen, Voss. tres, Ioann. Bern. et Vallens. dant *Eudorus*, errore, ut putat Gesn., e scriptura *Theudorus* orto. Mirum, mox §. 21 in eodem nomine non variari. *Eudorum* quidem rhetorem qui praeterea memoraret, inveni neminem; quamquam nihil impedit, quo minus Peripateticus eius nominis (an Pythagoreus) artem quoque scripserit; vid. Fabric. Harl. vol. I, p. 845. Magis tamen placet recepta, quum sic maxime appareat, quare mox §. 21 Qu. eidem nomini addiderit patriae significationem. — *Omni oratione* ) Guelf. *omni ratione*; non male, praesertim quum sibi constet, mox §. 17 quoque *ratione* dans, pro *oratione*. An fuit in Graecis: ἐν πάσῃ μεθόδῳ?

cles Demosthenis accusator est pro Corona p. 261, Reisk. Etiam Tragoediam scripsit aliquis hoc nomine; vid. Fabric. Harl. vol. II, p. 313. Item apud Xenophontem est hoc nomen in Hist. Graec. l. VI, vers. fin.

*Theodorus* ) Vid. not. crit. Eundem hoc loco intelligi, quem mox §. 21, equidem non puto. Neque enim secundo loco Qu. videtur additurus fuisse: *Gadareus*, nisi ab hoc voluisset segregare. Restat ergo, quem agnoscamus hic, Theodorus Byzantinus, Platoni in Phaedro memoratus, p. 266 E; itemque nostro III, 1, 11, artis et ipse scriptor, de quo vide Cic. Brut. c. 12, et Orat. c. 12.

*Omni oratione* ) Vid. not. crit.

*Gorgias* ) P. 19, Bip. 454 B. Steph. Ταύτης (τὴν ῥητορικὴν εἶναι τέχνην) τοίνυν τῆς πειθοῦς λέγω, ὦ Σώκρατες, τῆς ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὄχλοις — καὶ περὶ τούτων ἃ ἐστι δίκαιά τε καὶ ἄδικα. Deinceps p. 21, Bip. 454, E. Steph. Ἡ ῥητορικὴ ἄρα, ὡς ἔοικε, πειθοῦς ἐστι δημιουργός ἐστι πιστευτικῆς (pro quo Sext. Emp. p. Fabr. 288 affert πειστικήν, sed diversa quodammodo structura: convenientius Quintiliano) ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς, περὶ τὸ δίκαιόν τε καὶ ἄδικον. cf. §. 10.

sollicitius ac verbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorum fuit Ariston, Critolai Peripatetici discipulus, cuius hic finis est, *scientia videndi et agendi in quaestionibus civilibus, per orationem popularis persuasionis.* Hic *scientiam*, quia Peripateticus est, non, ut 20
Stoici, *virtutis* loco ponit: *popularem* autem comprehendendo *persuasionem*, etiam contumeliosus est adversus artem orandi, quam nihil putat doctis persuasuram. Illud de omnibus, qui circa civiles demum quaestiones oratorem iudicant versari, dictum sit, excludi ab his plurima oratoris officia: illam certe *laudativam* totam, quae est rhetorices pars tertia. Cautius Theo- 21
dorus Gadareus, ut iam ad eos veniamus, qui *artem* quidem esse eam, sed *non virtutem*, putaverunt. Ita enim dicit (ut ipsis eorum verbis utar, qui haec ex Graeco transtulerunt) *Ars inventrix, et iudicatrix, et enuntiatrix decente ornatu secundum mensionem eius,*

*Haec ex Gr.*) Ita Turic. Alm. Voss. 1. Ceteri *hoc ex Gr.* *Enuntiatrix decente*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *nuntiatrix*, cum

*Ariston*) Sext. Emp. p. 307: Ἀρίστων ὁ Κριτολάου γνώριμος (est hoc pro μαθητὴς) σκοπὸν μὲν ἐκκεῖσθαι φησὶν (τῇ ῥητορικῇ) τὴν πειθώ, τέλος δὲ τὸ τυχεῖν τῆς πειθοῦς. Iunior hic ergo est Ariston, ceteroqui vix memoratus, quum Critolaus ipse Aristoni alteri, Cio, successerit in docendo. Vid. Fabr. Harl. vol. III, p. 483.

*Stoici, virtutis*) Cic. de Or. III, 18: (Stoici) *soli ex omnibus eloquentiam, virtutem ac sapientiam dixerunt;* cf. Acad. I, 2. Haec Stoicorum sententia inde necessario nata est, quod *dialecticam — et Physicam — virtutum nomine appellant.* Cic. de Fin. III, 21, dialecticae autem, latius dictae pars est rhetorica. Omnes etiam virtutum definitiones Stoicae incipiunt ab hoc vocabulo: ἐπιστήμη. Vid. Stobaei Eclog. eth. p. 167, ed. Antv. et ipsa virtus finitur a Musonio Rufo, Epicteti magistro, ἐπιστήμη οὐ θεωρητικὴ μόνον ἀλλὰ καὶ πρακτική. Stob. Serm. p. 204, ed. Tigur. Si igitur a Stoico (non Peripatetico) profecta esset haec definitio, eo ipso, quod *scientiam* appellavit, *virtutem* quoque agnovisset. Omnis enim *scientia* apud Stoicos *virtus*, ut vicissim cf. et hui. lib. c. 20. Idem Xenocratis et Stoicorum discrimen in ἐπιστήμῃ apud Sext. Emp. p. 289.

*Theodorus Gad.*) Cf. II, 11, 22, et III, 1, 17.

*Ars — materia civili*) Vid. not. crit. *enuntiatrix — decente.*

*quod in quoque potest sumi persuasibile, in materia civili.* Itemque Cornelius Celsus, qui finem rhetorices ait, *dicere persuasibiliter in dubia et civili materia.* Quibus sunt non dissimiles, qui ab aliis traduntur; qualis est ille, *Vis videndi et eloquendi de rebus civilibus subiectis*

22

edd. vett. multis. Guelf. *decenti*, cum plerisque edd. vett. Goth. (tac. Gesn.) *docente ornatum* (pro *dec. ornatu*). Turic. *det cente* corr. *decenti*. Haec levis est varietas, neque multum ea proficitur, et verius potest videri *decente*, ex praecepto Verrii Flacci; vid. Bentl. ad Hor. Carm. I, 25, 17 dubitante Vossio Arist. II, p. 725; cf. Drakenb. ad Liv. VI, 14, 13. Sed haereo magnopere in ista *mensione*, et videntur ii, qui Theodorum transtulerunt, non magni fuisse dicendi artifices. Mallem suis verbis graecam definitionem nobis dedisset Qu. Quid enim est, quod substantiva illa, *inventrix* etc. (quorum fortasse Qu. adeo prodigus non fuisset cf. II, 14, 1, et II, 15, 4), non habent, quo referantur? Non magnopere definitur *ars*, si dicitur ea *inventrix*, neque demonstratur, cuius tandem rei. Huic quidem vitio mederi possis, si constituas locum ita, ut *eius* referatur ad *inv. iud. enunt.* Sed prius tollenda *mensio*, qua equidem libens caream. Insolens saltem vox, cuius unum exemplum adhuc invenerim Cic. Orat. c. 53, in bona quidem latinitate. Eo sane loco nemo mutatam velit; mollitur enim adiuncto: *quandam*, et aptior quodammodo videtur consueto vocabulo: *mensura.* Hic autem quid opus ea? Video Capperonnerium Graeca sic adumbrantem: Τέχνη εὑρετικὴ — εὐπρεπεῖ κόσμῳ κατὰ μέτρον. κ. τ. λ. ubi quam Graecum sit: εὐπρεπεῖ κόσμῳ, nescio equidem; iterumque genitivum desidero post εὑρετικὴ neque video, quid sibi velit κατὰ μέτρον. Saltem debebat aliis rhetorum definitionibus hic loquendi usus demonstrari. Est quidem *mensionem* in multis codd., neque tamen videntur deesse, qui *mentionem* praeferant, quod solum retinent vett. edd. ante Badium, qui ex Vallensi cod. recepit *mens.* In margine Venetae 1494 malit aliquis (Valla, puto) *inventionem* pro *mentionem.* Id recepit Aldus. Inde equidem commodissimum omnium sensum efficere mihi videor *secundum inventionem* interpretor: ita, ut ornatus tum demum ratio habeatur, quum inventioni satisfactum est. Nunc igitur *eius* refero ad *inventrix*, *iud. enunc.* Ne sic quidem inoffensam et elegantem orationem agnosco in hac Theodori versione, sed intelligo saltem quid sibi voluerit. Quid si ipse Qu. cum tacita quadam irrisione refert haec verba? — *Vis videndi*) Sic Turic. et Guelf. cum plerisque codd. et

*Corn. Cels.*) De hoc saepe noster. Qui non novit, adeat Fabric. Bibl. lat. ed. Ern. vol. II, p. 36 seqq. in primis de opere rhetorico ei falso tributo, p. 39; it. vol. III, p. 462.

*Vis videndi*, τοῦ θεωρῆσαι; cf. §. 16.

*Subiectis sibi*) *Oblatis forte*, ut *sibi* referatur ad eum, quicumque dicit, qui recurrit mox in iis: *quae dicet*; cf. c. 21, 4; 13 de *subiectis.* De indefinito autem *sibi* et *dicet* hui. cap. §. 12.

*sibi, cum quadam persuasione et quodam corporis habitu et eorum, quae dicet, pronuntiatione.* Mille 23
alia sed aut eadem, aut ex eisdem composita: quibus item, quum de materia rhetorices dicendum erit, respondebimus. Quidam eam neque *vim*, neque *scientiam*, neque *artem* putaverunt: sed Critolaus *usum dicendi*, nam hoc τριβὴ significat; Athenaeus *fallendi artem*. Plerique autem, dum pauca ex Gorgia Platonis, a prio- 24
ribus imperite excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neque alia eius volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque, eum in hac esse opi-

edd. quibus accedunt Iens. (tac. Gesn.) Tarv. Solus, quantum quidem novi, Goth. et ex edd. vett. Loc. Rusc. Bad. *vis dicendi*, in quorum sententiam pedibus ierunt recentiores, ut postremus quoque Gesn. Obrechtus tamen revocavit veterem scripturam, solam, si quid video, veram. Quis enim ferat *dicendi* et *eloquendi*? Sic et modo *dicendi* male (§. 16) ubi nullus erat liber verae scripturae vindex.

Τριβὴ) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) τριβὴν, neque male.

*Critolaus*) Celeberrimus Peripateticus, qui cum Carneade et Diogene Stoico Romam venit legatus Atheniensium; vid. Freinshemii Suppl. lib. XLVII Livii, c. 24, 25.

Τριβὴ) Cf. X, 7, 11, ubi *usus—irrationalis* ἄλογος τριβή. Plato in Phaedro p. 260 E. St. (ἡ τῶν λόγων τέχνη) οὔκ ἐστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή.

*Athenaeus*) Cf. III, 1, 16: (Hermagorae) *maxime par atque aemulus*. Ex Varrone de L. L. p. Bip. 124: « ab Atheneis *Athenaeus* dicitur *rhetor* nomine, etsi non sit Atheniensis » aetas eius apparet, simulque non esse natum Athenis. Videtur autem aequalis fere Varronis, quum Hermagoram (cf. §. 14) aemulatus dicatur, quo nomine miror, tam contumeliose loquutum de rhetorice, quam is, quem imitabatur, ipso Quintiliano sequente (§. 38), definierit *bene dicendi scientiam*, ut reddidit Curius Fortunatianus p. 38 apud Pithoeum; vid. quae diximus ad §. 14. Sext. Empiricus, qui et ipse Athenaeum protinus subiungit Hermagorae, hanc eius ponit definitionem (p. Fab. 301): λόγων δύναμις στοχαζομένη τῆς τῶν ἀκουόντων πειθοῦς. Apparet, longe hanc molliorem esse ea, quam refert Qu. An indignabundus noster, qui nil nisi fraudem tali definitione commendari putaret, duriora usurpavit vocabula? Mirum quoque, inter eos qui, *neque vim, neque scientiam, neque artem* putaverint, recenseri aliquem, qui *fallendi artem*. — *Athenaeus*. Quae et hic dico et repeto ad §. 34, pugnant cum iis, quae §. 14 diserte tribuuntur Hermagorae. Eius enim finitionem dum manifesto reiicit Quintilianus, non potuit eiusdem esse, quam reliquis omnibus praeferret. Neque enim rem dirimit, si il-

nione, ut *rhetoricen non artem, sed peritiam quandam*
25 *gratiae ac voluptatis* existimet: et, alio loco, *civilitatis particulae simulacrum*, et *quartam partem adulationis:* quod duas partes civilitatis corpori assignet, *medicinam*, et quam interpretantur *exercitatricem*, duas animo, *legalem*, atque *iustitiam: adulationem* autem *medicinae*, vocet *coquorum* artificium; et *exercitatricis*, *mangonum*, qui colorem fuco, et verum robur inani sagina mentiantur; *legalis*, *cavillatricem; iustitiae rhetoricen.*
26 Quae omnia sunt quidem scripta in hoc libro, dictaque a Socrate, cuius persona videtur Plato significare quid sentiat: sed alii sunt eius sermones ad coarguendos, qui contra disputant, compositi, quos ἐλεγκτικοὺς vocant,
27 alii ad praecipiendum, qui δογματικοὶ appellantur. Socrates autem, seu Plato, eam quidem, quae tum exercebatur, rhetoricen talem putavit: nam et dicit his verbis τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε. Et veram au-

*Et veram* ) Guelf. et Turic. omittunt *Et*, cum vett. edd. et omnibus codd. praeter Goth. Quod edd. habent multae eius loco, *Non*, auctoritate caret et sensu idoneo. *Et*, si est *Etiam*, unice accommodatum loco. Sed malim deinceps *atque* pro *et*, ne quis male hoc referat ad

lum §. 14 *oratoris*, hunc autem *rhetorices* finem esse dicas. Me in errorem deduxit Capperonnerius, qui ad III, 1, 16 affirmat Fortunatiani artem ex Hermagoreis praeceptis esse expressam. Ad notam crit. §. 34 erat excitandus locus huius capitis §. 4, unde appareret Isocratis non posse credi finitionem rhetorices. SPALD. *in Praef. p.* 83.

*Rhetoricen — voluptatis* ) Οὐδεμίαν ἔμοιγε δοκεῖ — (τέχνη εἶναι ἡ ῥητορικὴ) — ἐμπειρίαν (δ') ἔγωγέ τινα (λέγω αὐτήν). Plat. Gorg. p. 462 B, C, St. p. 35, 36 Bip.

*Civilitatis — simulacrum* ) Πολιτικῆς μορίου εἰδώλου; ib. 463 D. St.

*Partem adulationis* ) Κολακείας — μόριον, 466 A. Ceterum illa de quatuor partibus civilitatis, earumque simulacris ab adulatione effictis, longiora quam quae hic ponantur, iuvabit legere apud Platonem p. 464 B — 465 E, ut integrum illum praestantissimum dialogum, Gorgiae nomine inscriptum. Haec Platonica totidem prope verbis reddit Ammianus Marcellinus XXX, 4: *civilitatis particulae umbram vel adulationis partem quartam.*

Ἐλεγκτικούς ) Hodie in libris nostris Gorgias inscribitur ἀνατρεπτικός.

Τοῦτον — πολιτευσθε ) P. 500 C.

*Et veram* ) Vid. not. crit.

tem et honestam intelligit. Itaque disputatio illa contra Gorgiam ita clauditur, *οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράσσειν.* Ad quod ille 28
quidem conticescit, sed sermonem suscipit Polus, iuvenili calore inconsideratior: contra quem illa de simulacro et adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamen ad hanc perducitur clausulam, *τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων*: ut appareat, Platoni non rhetoricen videri malum, sed eam veram, nisi iusto ac bono, non contingere. Adhuc autem in Phaedro manifestius 29
facit, hanc artem consummari citra iustitiae quoque scientiam non posse: cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defensionem Socratis, et eorum, qui pro pa-

prius. — Δίκαια πράσσειν) Ita Turic. Goth. Alm. et edd. Platonis, quum ceteri Quintiliani libri, quod sciam, omnes inserant καί. Male. In Guelf. et ed. Iens. omittuntur graeca, lacuna relicta. — *Susc. Polus.*) Turic. et Alm. *s. populus* mira erroris similitudine.

Οὐκοῦν — πράσσειν) P. 460 C.

Τὸν μέλλοντα — τῶν δικαίων) P. 508 C. non autem ipse suis verbis hoc fatetur Callicles.

*Veram — non contingere*) Fortasse tamen aliter ac Qu. de tota arte sentiebat, quod Cicero quoque significat de Orat. III, 16. Honestam illam et *veram* rhetoricen οὐ πώποτε σὺ — εἶδες, ait Callicli Socrates p. 503 B.

*Hanc — non posse*) Non quidem discrte hoc et totidem verbis dicitur apud Platonem et vereor ut, vel in Phaedro, tantum faveat rhetoricae, quantum videtur Quintiliano. Quae maxime huc trahas, haec fere sunt: Φαῖδρον πείθετε ὡς ἐὰν (sic lego pro ἕως ἂν) μὴ ἱκανῶς φιλοσοφήσῃ, οὐδέ ἱκανός ποτε λέγειν, ἔσται περὶ οὑδενός; p. 261 A. St. 352, vol. X Bip. οἷς νῦν διάλθομεν πεισόμεθα· ὡς ἐὰν μή τις τῶν τε ἀκουσομένοιν τὰς φύσεις διαιρεθήσηται, καὶ, κατ' εἴδη τε διαιρεῖσθαι τὰ ὄντα, καὶ μιᾷ ἰδέᾳ συνακτὸς ἢ καθ' ἓν ἕκαστον περιλαμβάνειν, οὔποτ' ἔσται τεχνικὸς λόγων περί; p. 273 E. Iustitiam autem contineri iis, quae nosse debeat orator, apparet contraria sententia, quam supra posuit ὅτι οὐδὲν ἀληθείας μετέχειν δέοι δικαίων ἢ ἀγαθῶν περὶ πραγμάτων — τὸν μέλλοντα ἱκανῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι. Sed rhetoricen sibi cordi non magnopere esse, mox significat: τὴν πραγματείαν ταύτην οὐχ ἕνεκα τοῦ λέγειν καὶ πράττειν πρὸς ἀνθρώπους δεῖ διαπονεῖσθαι τὸν σώφρονα, ἀλλὰ κ. τ. λ. p. 273 E.

*Defens. Socr. — laudem*) Apologia Socrat. vol. I Bip. p. 39 seqq. Menexenus vol. V, p. 273 seqq. Initio huius dialogi Menexenus Socrati

tria ceciderant, laudem scripsisset? quae certe sunt ora-
30 toris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi male utebatur, invectus est. Nam et Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat: et tum maxime scribere litigatoribus, quae illi pro se ipsi dicerent, erat moris; atque ita iuri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur.
31 Doctores quoque eius artis parum idonei Platoni videbantur, qui *rhetoricen* a iustitia separarent, et veris credibilia praferrent: nam id quoque dicit in Phaedro.
32 Consensisse autem illis superioribus videri potest etiam Cornelius Celsus, cuius haec verba sunt: *Orator simile*

solemne esse ait προσπαίζειν τοὺς ῥήτορας. *Laudem* in hac re urget Aristides Πρὸς Πλάτωνα, p. 85, tom. II Iebb.

*Lysias*) Cf. Cic. de Orat. I, 54; it. noster XI, 1, 11.

*Iuri — agere*) Huius iuris, qui mentionem faceret, praeter Quintilianum inveni neminem, neque ullus interpres loci Quintilianei iustam habuit rationem. Rem ipsam veram esse, neque Athenis pro altero dicturum surgere moris fuisse, id ipsum videtur declarare quod in Graecorum oratorum operibus ipsi semper loquuntur litigatores. Quo in genere ea sola est exceptio, quum litigator ius dicendi non habet, qualis est Lysiae Orat. V pro Callia μετοίκῳ, quum ipse esset ἰσοτελής; (vid. Wolfii Proll. ad Lept. p. 69) alieneque pro impuberibus, vel feminis. Etiam lex illa: *Servus causam ne orato* significat, cuicumque licuerit orare causam, ius illud exercuisse. Apud Hesychium v. ἐπὶ ξένᾳ δίκῃ ea ipsa causa appellatur συνηγορικὴ quippe quae per patronum debuerit agi, reo in carcerem conjecto. Imperiti autem oratorum opera (τῶν λογογράφων) ediscebant et pronuntiabant. Obstat tamen, quo minus, ne licuisse quidem pro altero agere, Quintiliano credas, locus Sexti Emp. p. 304: Ἀθηναίοις (an Ἀθήνῃσι?) τὸ παλαιὸν οὐκ ἐπετέτραπτο συνήγορον παρίστασθαι τοῖς κρινομένοις ἐπὶ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς. In aliis ergo iudiciis licebat? Cf. Areopagi morem alio translatum a Qu. II, 16, 4. Meursius in Areop. c. 7 urget τὸ παλαιὸν et Lucianum citat vol. VII, p. 174 Bip. ἢ ῥήτορας ἀναβιβάζονται τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ αὐτῶν. Sed tam recentis scriptoris non magna auctoritas. Saepe συνήγοροι memorantur in oratt. ut et ὑπὲρ ἑτέρων ἠγωνίσθαι velut Isaeus Reisk. p. 255. Saepe tamen sunt συνήγοροι νόμων; cf. II, 4, 33, quorum etiam est τὸ συνηγορικόν (Aristoph. Vespae 691 Br.). Res ad liquidum deducta a VV. DD. non videtur. Fortasse συνηγόρων ea plerumque ratio fuit, quae *advocatorum* apud Romanos; vid. Lexica.

*Veris credibilia*) Πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον. Phaedr. p. 267 A.

*tantum veri petit.* Deinde paulo post: *Non enim bona conscientia, sed victoria litigantis, est praemium.* Quae si vera essent, pessimorum hominum foret: haec tam perniciosa nocentissimis moribus dare instrumenta, et nequitiam praeceptis adiuvare. Sed illi rationem opinionis 33
suae viderint. Nos autem ingressi formare perfectum *oratorem*, quem in primis esse *virum bonum* volumus, ad eos, qui de hoc opere melius sentiunt, revertamur. *Rhetoricen* autem quidam eandem *civilitatem* esse iudicaverunt: Cicero *scientiae civilis partem* vocat. *Civilis* autem *scientia* idem quod *sapientia* est. Quidam etiam *philosophiae*, quorum est Isocrates. Huic eius substan- 34

*Isocrates*) Guelf. *Socrates*, et edd. vett. multae; cf. not. Crit. ad II, 15, 10. Codd. autem, quantum video, nullus. Solitus error hic aliqua specie se tuetur, quoniam in Platonis Phaedro aliquoties philosophi nomen iungitur cum laude oratoris; vid. not. exeg. ad §. 29. Phaedr. p. 270 A. Pericles ob Anaxagorae familiaritatem dicitur τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι: p. 278 D. τὸ φιλόσοφον ait vero et perfecto oratori ἁρμόττειν ἄν. Sed praestat utique recepta. — *Huic eius*) Guelf. omittit *eius* cum multis codd. et edd. fere vett. Tarvisina pro hisce: *philos. q. e. Isocrates. Huic e. s.* dat ista: *philos. Sed Isocratis huic e. s.* cuiusmodi

*Non enim — praemium*) Partim Gesneri, partim veterum, expressi diremptionem: Genitivus pertinet ad *victoriam*, sed et ad *conscientiam*. Alioqui, si *conscientia oratoris* esset intelligenda, concinnitatis fuisset, eo quoque addi genitivum, qui responderet *litiganti*. Hoc, incidendo post *victoria*, demonstrasse videor. *Praemium*, pro quo Gesn. vett. aliquot editionum *primum* malit reducere, puto in omnibus esse codd. *Praemium* est *oratoris*, reliqua *litigantis*. Consultone dissimulavit Qu. Ciceronem in eadem fere cum Celso esse sententia? de Offic. II, 14, 16, 17.

*Eandem civ.*) Recte videtur haesisse Burm. solus quidem. Non id agitur h. l. ut, quid *simul* sit rhetorice, ostendatur, sed ut eius ipsius natura declaretur. Burmannus inseri velit *quam*. An lenius fuerit interponere *ac*, cuius posterior litera facile hauriebatur ab altero C? Libri quidem nil habent varietatis.

*Cicero*) De Invent. I, 5: *oratoriam facultatem — civilis scientiae partem esse dicamus.*

*Philosoph. — Isocrates*) Hoc igitur in deperdita ista *arte*, quae summo oratori tribuebatur (§. 4). In reliquis etiam operibus solet latius usurpare *philosophiae* nomen, ut Panegyric. ἡ περὶ τοὺς λόγους φιλοσοφία pag. Mor. 7, ubi vide Mori notam it. p. 5 not. l. cf. nos ad §. 4, et Budaei Comm. Gr. Ling. p. 1208 (ed. Bas.)

tiae maxime convenit finitio, *Rhetoricen esse bene dicendi scientiam.* Nam et orationis omnes virtutes semel complectitur, et protinus mores etiam oratoris; quum bene dicere non possit, nisi vir bonus. Idem valet Chrysippi finis ille ductus a Cleanthe, *scientia recte dicendi.* Sunt plures eiusdem, sed ad alias quaestiones magis pertinent. Idem sentiret finis hoc modo comprehensus, *Persuadere quod oporteat:* nisi quod artem ad exitum alligat. Bene Areus, *Dicere secundum virtutem oratio-*

nihil in Iensoniana ( cf. not. crit. ad II, 5, 16, *An vero* ). Hanc scripturam expressit Obr., fortasse ex Argentoratensi. Alm. et Turic.: *philosophia sed Isocratis.*

*Nisi vir bon.* ) Guelf. et Goth. cum Iens. ( tac. Gesn. ) omittunt *vir*, cum Voss. 1, 2, it. ed. Tarv. Ven. Loc. Rusc. Bad. Placet ob maiorem concinnitatem. — *Sentiret* ) Voss. 1, 3, *sentiet.* — *Alligat. Bene* ) Guelf. et Turic. *alligat. At bene* cum Bodl. Alm. Bal. et plerisque edd. vett., neque spreverim.

*Areus* ) Guelf. *ars.* Iens. ( tac. Gesn. ) *artis*, qui est omnium fere error. Regius si receptam coniiciendo assequutus est, multam meretur laudem; sed adsunt vindices Goth. Bodl. Alm. Turic. praeter eos, qui silentur.

qui monet saepe apud Isocr. esse φιλοσοφίαν ἀντὶ τῆς φιλολογίας. Vid. not. crit.

*Substantiae* ) Cf. Prooem. tot. op. 21, et III, 6, 39, 40.

*Rhetoricen — scientiam* ) Haec videtur Hermagorae fuisse definitio; vid. ad §. 23. Sed et Xenocratis fuit et Stoicorum, vid. Sext. Emp. pag. 289.

*Nisi vir bon.* ) Vid. not. crit.

*Chrys. — Cleanth.* ) «Scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam, sed sic, ut si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat.» Cic. de Fin. IV, 3. Erat in eorum definitione haud dubie ὀρθῶς λέγειν, pro eo, quod est apud Sext. Emp. ( l. c. ) et Laërtium VII, 42 εὖ. Illud quidem a scriptoribus relatum non invenio.

*Ad alias quaest.* ) Non ad hanc, utrum soli viro bono tribuenda eloquentia?

*Idem sentiret* ) Haereo in coniunctivo imperfecti, quem omnes fere dant libri ( vid. not. crit. ). Sed nulla adest conditio, cuius solet is esse index, quum praesertim sequatur *alligat*, non *alligaret*; conf. not. crit. ad I, 8, 5. Neque verisimile excogitatum aliquem finem, qui non usquequaque placeret, a scriptore nostro ( qui foret labor infinitus ) non potius relatum, quem revera aliquis rhetor dedisset. Quae quum ita sint, lenissima mutatione legi malim, *sentit et*, ut sit certus cuiusdam rhetoris finis, etsi auctore non memorato.

*Areus* ) Nihil obstat quo minus hic sit Stoicus philosophus, Alexandrinus, cui Alexandriam condonavit

*nis.* Excludunt a rhetorice malos et illi, qui scientiam civilium officiorum eam putaverunt, si scientiam virtutem iudicant: sed anguste, intraque civiles quaestiones, coërcent. Albutius, non obscurus professor atque auctor, *scientiam bene dicendi* esse consentit: sed exceptionibus peccat, adiiciendo, *circa civiles quaestiones*, et *credibiliter:* quarum iam utrique responsum est. Probabilis et illi voluntatis, qui *recte sentire et dicere*, 37
rhetorices putaverunt. Hi sunt fere fines maxime illustres, et de quibus praecipue disputatur. Nam omnes quidem persequi, nec attinet, nec possum: quum pravum quoddam (ut arbitror) studium circa scriptores Artium exstiterit, nihil eisdem verbis, quae prior aliquis occupasset, finiendi: quae ambitio procul aberit a me.

Caesar Octavianus; (vid. Plut. in Antonio p. 953 A.). Soleta quibusdam scribi *Arius*, quum Graecum nomen sit Ἄρειος. De hoc vide Fabr. Bibl. Gr. Harl. vol. III, p. 540, ubi citatis adde Suidam in v. Θέων, primo eius nom. De eo multa Meibomius in Maecenate c. 18 (citante Burm.) p. 109 seq. Etsi a plurimis, qui meminerunt eius, scriptoribus mentio nulla sit *artis rhetoricae*, quam ediderit, verisimile tamen, suae familiae claros philosophos etiam hoc scriptionis genere aemulatum, quum praesertim Qu. cum protinus subiiciat Cleanthi et Chrysippo; cf. nostr. III, 1, 16.

*Albutius*) C. Silus, Novariensis, aevi Augustei rhetor de quo vide Senec. Rh. Contr. III, praef. p. Bip. 197 seqq. item Sueton. de Rhett. 6.

*Auctor*) Quatenus scribendo docet opponitur *professori*, qui declamando. Et sic pro *scriptore* est passim apud veteres, huius maxime aevi, sed plerumque remanente aliquo originis vestigio, ut sit, quem *fontem* solemus dicere, in historia maxime aliisque disciplinis; vid. Drakenb. ad Liv. VIII, 30, 9. Sic Plinius maior vocat *auctores* unde sua hausit. Malit tamen fortasse aliquis *actor* pro *auct.* ut Cic. Brut. c. 89: *Moloni — et actori summo causarum et magistro* pro quo hic *professor*. Sic II, 12, 12 *actores* (sine additamento) oppponuntur *praeceptoribus*. Et hoc praefero. Vide Epist. ad Tryph. I, *legendis auctoribus*.

*Exceptionibus*) « Anguste coërcendo » definitionem, ut modo dicebat.

*Probabilis — voluntatis*) Hoc est virtuti et probitati favere sunt putandi.

*Ambitio*) Vide ad I, 2; 22. *Ambitiosum*, veteri sensu, fuisset aliorum, et quidem clarorum, scriptorum verbis ipsis uti et sic eos demereri; quum nunc nonnisi *gloriae* studium significetur, quae tum maxime

38 Dicam enim non utique quae invenero, sed quae placebunt: sicut hoc, *rhetoricen esse bene dicendi scientiam:* quum, reperto quod est optimum, qui quaerit aliud, peius velit. His approbatis, simul manifestum est illud quoque, quem finem, vel quid summum et ultimum habeat rhetorice, quod τέλος dicitur, ad quod omnis ars tendit: nam si est ipsa bene dicendi scientia; finis eius et summum est bene dicere.

XVI. Sequitur quaestio, *An utilis rhetorice?* Nam quidam vehementer in eam invehi solent: et, quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi
2 viribus: *Eloquentiam esse, quae poenis eripiat scelestos; cuius fraude damnentur interim boni; consilia ducantur in peius; nec seditiones modo turbaeque populares, sed bella etiam inexpiabilia excitentur; cuius denique tum maximus sit usus, quum pro falsis contra veritatem*
3 *valet.* Nam et Socrati obiiciunt comici, *docere eum,*

*Inexpiabilia* ) Guelf. et Turic. *inexpugnabilia* cum plerisque codd. et edd. vett. omnibus praeter Ald. qui dat *inextinguibilia*, nullo auctore. Verissima recepta, quam vindicant Goth. ( cum Voss. 2 profecto, constante socio ) et Vallensis, ut refert Badius, recte laudans, in textuque ponens, quem meorum primus imitatur Cervicornus (1521). Est *inexpiabile bellum* id ipsum quod vult Ald. praepostero suo *inexting.* Sic usurpant Cic. Har. resp. c. 23 Liv. IV, 35, 8; XXXIII, 13, 8; XXXIII, 47, 9; Flor. IV, 4, 1, neque dubito quin recte Burmannus (in Add. ad Qu. ) reponat apud Tac. Ann. III, 73, 1 pro *inexplicabili.* — *Maximus* ) Sic Guelf. cum omnibus prope codd. et edd. vett. Nec video cur Burm. cum eoque Gesn. maluerint *maxime*, recentiorum scripturam. Turic. siletur.

contingit, si primus tua dixisse videaris.

*Quem finem* ) Ipse Qu. parum cavit obscuritatem, dum ὅρον pariter et τέλος reddit *finem.*

*Orandi viribus* ) Aliquid simile vidimus in *Russavio* ( sive *Rufum* mavis ) literarum et artium obtrectatore. Cic. de Or. I, 11: *Plato — in oratoribus irridendis ipse — orator summus.*

*Inexpiabilia* ) Vid. not. crit.

*Cuius — valet* ) Talia fere exprobrat rhetoricae Socrates in Gorgia Platonis p. 480 E. 481 A, B, apud Bip. vol. IV, 74, 75, quae sic concludit: ἐπεὶ τῷ γε μὴ μέλλοντι ἀδικεῖν οὐ μεγάλη τίς μοι δοκεῖ ἡ χρεία αὐτῆς εἶναι, εἰ δὴ καὶ ἔστι τις χρεία.

*Comici* ) Nota Aristophanis prosopopoeia τοῦ δικαίου (qui et κρείττων) καὶ ἀδίκου (qui et ἥττων) λόγου.

*quomodo peiorem causam meliorem faciat:* et, contra, Tisiam et Gorgiam similia, dicit, polliceri, Plato. Et 4 his adiiciunt exempla Graecorum Romanorumque, et enumerant, qui, perniciosa, non singulis tantum, sed rebus etiam publicis, usi eloquentia, turbaverint civitatum status, vel everterint: eoque et Lacedaemoniorum civitate expulsam; et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut recisam orandi pote-

*Civitatum*) Ita Guelf. et omnes quantum video libri. Burmannus videtur primus, neque monito lectore ille, inseruisse *i*, quem esse diligentiorem scribendi modum docent Vossius in Aristarch. l. IV, p. 744, et Drakenb. ad Liv. XXXIII, 20, 11. Neque tamen tuta emendatio quum Varro ipse utramque genitivi formam defendat, de L. L. VII, p. Bip. 120: *civitatum*, *parentum*: *civitatium*, *parentium*. — *Civitatum.* Cf. II,

Nubb. vs. 882 — 1104 apud Brunk. Neque unus Aristophanes Socratem insectabatur, sed et alii comici, velut Amipsias et Eupolis. Seneca de vit. beat. c. 27 ipsum facit dicentem: *tota illa mimicorum poëtarum manus in me venenatos sales suos effudit.* Diog. Laërt. II, 20: Αριστοφάνης αὐτὸν κωμῳδεῖ ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα; vid. et Nubb. Arist. vs. 98, 99, it. 112 — 118. De hac autem iactantia Protagorica; vid. Aristot. Rhett. II, 24 extr. Cic. Brut. c. 8 init. Gell. V, 3 extr.

*Faciat*) Subiectum est *aliquas*; cf. ad II, 15, 12, *velit.*

*Tisiam — Plato*) Τισίας τε Γοργίας τε — τὰ σμικρὰ μεγάλα, καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ, φαίνεσθαι ποιοῦσι διὰ ῥώμην λόγου. Phaedr. p. 267 A; Bip. vol. X, 364; vid. et eiusd. dial. pag. 273 A B C; Bip. 367, 7.

*Perniciosa — eloquentia*) Eo nomine Gracchos accusat Scaevola ap. Cic. de Or. I, 9 extr. indicante Turnebo. Vide auctorem Dial. de Oratt. c. 37, usque ad finem libri.

*Civitatum*) Vid. not. crit.

*Lacedaem. — expulsam*) Plut. Apophthegm. Lac. p. 226 D. (ὁ Λυκοῦργος) ἁπάντων τῶν περισσῶν ξενηλασίαν ἐποιήσατο, διὸ οὔτε ἔμπορος οὔτε σοφιστὴς—εἰσῆει εἰς τὴν Σπάρτην. Quibus gemina leges in eiusdem Lycurgo vol. I, p. 44 E. F. Id. Lycurg. p. 52 D. Πλειστώναξ ὁ Παυσανίου, ῥήτορος Ἀθηναίου τοὺς Λακεδαιμονίους ἀμαθεῖς ἀποκαλοῦντος, Ορθῶς, ἔφη, λέγεις· μόνοι γὰρ Ἑλλήνων ἄμοιροι οὐδὲν κακὸν μεμαθήκαμεν παρ' ὑμῶν. Quod responsum exstat Lac. apophth. II, 231 D. sed et oscitanter repetitum, Antalcidaeque tributum II, 217 D. quae res profecto non minuit illam νοξείας suspicionem. Athenaeus Deipn. p. 611 A. εἰκότως—πολλαὶ τῶν πόλεων, καὶ μάλιστα ἡ Λακεδαιμονίων — οὐ πρυσίενται — ῥητορικήν. Cf. Sext. Emp. p. 293. Auct. Dialogi de Oratt. c. 40: *Quem — oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accipimus? quarum civitatum severissima disciplina, et severissimae leges traduntur;* cf. Cic. Brut. c. 13.

*Vbi — vetabatur*) Aliquoties hoc ingerit Qu. non licuisse Athenis affe-

statem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa denique sapientia. Nam et dux Flaminius, et Gracchi, Saturnini, Glauciae, magistratus; et in medicis venena, et in iis,

4, 33, ubi plurimi libri ( ut Gueff. et edd. plerique ) itidem omittunt *I.*

*Glauciae magistratus* ) Goth. post hanc vocem inserit *egere*, pro quo Alm. et Turic. habent *gere*, unde Burmannus coniiciendo effecit *gessere*. Et est sane quod haereas in locutione, qua certus homo dicitur *magistratus*, quum fere dignitas intelligatur, non homo. Sunt tamen loca, ubi aliam significationem vix agnoscas, ut Cic. in Verr. III, 82: *Sequuti sunt avariores magistratus* ea enim avaritia est hominis gerentis magistratum, non dignitatis, quomodo tum recte intelligitur, quum v. c. tribuni plebis dicuntur *imperiosi magistratus*. Sic et Liv. XXIII, 10, 5: *Egressus magistratus consedit*. Salva autem hac locutione, concinnior oratio, si nil post nomina ista: *Glauciae* subiicitur, quum ne ad *Flaminius* quidem; sed intelligendum utrobique *fuit*, *fuerunt*.

*Medicis* ) Sic codd. quantum video omnes, quare nec ausus sum sollicitare quidquam; ceterum mire favens vett. edd. plerarumque scripturae

ctus movere, ut VI, 1, 7, et X, 1, 107, et adest Athenaeus Deipn. p. 590 E. narrans, post illam Hyperidem Phrynes defensionem ( cf. ad II, 15, 9) γραφῆναι —ψήφισμα, μηδένα οἰκτίζεσθαι τῶν λεγόντων ὑπέρ τινος. Sed neuter caruisse videtur errore. Quintilianum in primis miror, et prope subirascor, legem in Areopago solo sanctam nimis secure ad cetera transtulisse tribunalia. Quo igitur animo legebat Lysiacas miserationes, veluti p. Reiskii 695 seq. 709 seqq. et istam patris, fratrum, affinium, liberorum denique commendationem ab Aeschine, summo cum affectu, peroratam pag. Reisck. 342 seqq. ut tot alia taceam loca ubi τῶν τὰ παιδία παρισταμένων fit mentio, indicesque a miserationis praestigiis cavere sibi iubentur. Quae omnia ante Hyperidis istum epilogum facta causari, neque verum est et nugatorium. Ab Areopago autem affectus proscriptos fuisse, constat inter scriptores, quorum citasse testes Aristotelem Rhet. I, 1, 5, et Lycurgum contra Leocratem p. Reisk. 144 sufficiet, quum praesertim hic simul doceat in ceteris tribunalibus nihil tale fuisse vetitum; quamquam de ea solum agunt interdicti parte, qua non licebat ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, quod tamen solet cum τῷ φροιμιάζεσθαι καὶ οἰκτίζεσθαι coniungi. Hancce περιττολογίαν ab ipso praecone fuisse vetitam cum nostro (VI, 1, 7) refert Lucianus de Gymnas. vol. VII ( Bip. ) p. 174. Quintiliani errorem notat Meursius de Areopago in Thes. Gronov. vol. V, p. 2094. Sed apertius redarguit Wernsdorfius loco modo (II, 15, 9) citato, qui ipsa Athenaei narratione efficit in Areopago oratam fuisse causam Phrynes, si forte pro renovato hoc decreto Athenaeus male acceperit tunc demum factum.

*Magistratus* ) Vid. not. crit.

*Flam.* — *Glauciae* ) Flaminius

qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos asperne- 6
mur; attulerunt saepe valetudinis causas: nunquam tecta subeamus; super habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius; potest uti eodem ferro latro. Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita; et (ne terrenis immorer) Solem Lunamque; praecipua siderum, aliquando etiam nocere? Num igi- 7
tur negabitur deformem Pyrrhi pacem caecus ille Appius dicendi viribus diremisse? aut non divina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit, et Catilinae fregit audaciam et supplicationes, qui maxi-

*medicinis*, quae et est Iens. (tac. Gesn.) Tarvis. non accedit (cf. II, 5, 16, not. crit.) neque Veneta. Sed dant *medicinis*, praeter Burmanno recensitas, Rusc. Bad. Cerv. Et magnopere, ni fallor, claudicat recepta. Quae enim est concinnitas: in *ipsis* philosophis (quos mira quaedam putabas virtutis exempla) deprehenduntur flagitia; venena autem in *manibus* (opinor) medicorum; nam *in ipsis*, eodem, quo in philosophis flagitia, sensu, dici nequit. Longe melius autem *philosophos* (vivas quasi virtutes) oppones *medicinis* (salutis et vitae instrumentis). Est tamen quod consensum fortasse cohibeat. *Medicinae* (plurali maxime numero) pro *remediis*, *medicamentis*, hodierno nimis sensu dici videntur. Cic. de Or. II, 83: *His quatuor causis totidem medicinae opponuntur.* Plin. H. N. XXVIII, 1: (*Animalia*) *profuere medicinas reperiendo — et praebendo.* Id. XXIII, 6, p. Bip. 133: *medicinas — mala habent*, et sic passim apud hunc scriptorem; sed video, quid obiici possit.

notae vecordiae dux ad lacum Trasimenum contra Hannibalem re male gesta periit. Liv. XXII, 3—7. Gracchorum res apud Freinshemium ex auctoribus congestae legi possunt cum fructu libb. LVIII, LIX, LX, LXI. L. Apulei Saturnini trib. pleb. et C. Servilii Glauciae praetoris, ibid. lib. LXIX, et tanguntur fuse a Cicerone pro Rabirio perduelli.

*Medicis*) Vid. not. crit.

*Valetudinis*) Sic, nullo additamento, in sensum deteriorem abiit vox iam apud ipsum Ciceronem, magis etiam apud posteriores. Vide Drakenb. ad Epitom. lib. XIII Liv. Cf. de *opinione* ad II, 12, 5.

*Appius Caecus*) Vid. Freinsh. lib. XIII, c. 31, 32, 33.

*Agrar.*) Contra Rullum. Popularem *contra* legg. agrarr. orationem nonnisi summa eloquentia efficere potest. Bene Regius affert Plin. H. N. VII, 31, p. Bip. 35: *Te dicente* (M. Tulli) *legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus.*

*Et supplic.*) Hoc interpunctione non dirimendum ab antecedentibus. Pertinuerunt enim *supplicationes* ad

mus honor victoribus bello ducibus datur, in toga me-
8 ruit? Nonne perterritos militum animos frequenter a metu revocat oratio et, tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiorem esse persuadet? Neque vero me Lacedaemonii atque Athenienses magis moverint, quam populus Romanus, apud quem summa semper
9 oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota: nec legum repertores sine summa vi orandi consequutos, ut
10 se ipsi homines ad servitutem iuris astringerent. Quin ipsa vitae praecepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulcritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare, etiamsi in utramque partem valent arma facundiae, non tamen
11 est aequum id haberi malum, quo bene uti licet. Verum haec apud eos fortasse quaerantur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt. Si vero est *bene dicendi scientia*, quem nos finem sequimur, ut sit *orator* in primis *vir bonus:* utilem certe eam esse
12 confitendum est. Et hercle deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem

*Neque — atque*) Goth. (tac. Gesn.) *nec — aut*, cum Iens. (itid. tac.) et plerisque vett. edd. Hoc malim prope.

*Fortasse*) Guelf. et Turic. *forsitan* cum Iens. (tac. Gesn.) reliquisque edd. ante Gryph. Revocavit Obr. — *Ad persuadendi*) Goth. (tac. Gesn.) *ad persuadendum*, quo *summam* sit adiectivum referendum ad *vim*, male.

oppressam coniurationem Catilinariam. Cf. Cic. Pro Sulla c. 30 extr. In Pis. c. 3 init. Altera supplicatio (vid. Ep. ad Div. XV, 5, et ad Att. VII, 1) armato decreta fuit.

*Vrbium conditores*) Cf. Cic. de Inv. I, 2, et de Or. I, 8, quo loco improbati et repudiati a se libri bonas sententias videtur conservare voluisse.

*Se ipsi*) *Ipsi* iungendum est antecedenti, non sequenti, unde nullus sensus existeret. Minus latine dixisset *se ipsos*.

*Quo bene uti licet*) Vide II, 10, 3.

separavit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem 13
magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate praestantiora in illis mutis videmus: eadem minus egere acquisitae extrinsecus opis. Nam et ingredi citius, et pasci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore ve- 14
stiuntur, et arma iis ingenita quaedam, et ex obvio fere victus: circa quae omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis praecipuam dedit, eiusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. Sed ipsa 15
ratio neque tam nos iuvaret neque tam esset in nobis

*Arma iis*) Guelf. et Turic. *armis*, cum plerisque codd. quod frustra videtur defendere Gesn. Receptae vindicem esse puto Bodl. praeter edd. vett. omnes. Ceterum malui sequi eas dando *iis*, prae *his* recentt. ut Gesn. — *Multus*) Ita Guelf. et Ieus. Gesnerus autem Burmannum haucce scripturam ex plurimis libris afferentem perperam cepit, quasi in iisdem *multis* esse diceret, quod in Goth. inveniebat ipse et conatur defendere; sed frustra, ni fallor. Habent *multis* Tarvis. (recedens a Ienson. cf. II 5, 16). Stoer. Chouet. Leid. Gisb., male.

*Quae — essent*) Observat Gesnerus, intelligi sidera, quae itidem *animalia* sint de quorundam veterum sententia, sed *immortalia*. Plato Epinomis. p. St. 982 E. δικαίως ἔμψυχα (τὰ ἄστρα) λέγομεν (Bip. IX, 256). Tim. St. III, 40, B. ὅσα ἀπλανῆ τῶν ἄστρων, ζῶα θεῖα ὄντα. (Bip. IX, 323) Arist. de Caelo II, 12 (p. Sylb. 54) δεῖ (περὶ ἄστρων) ὡς μετεχόντων ὑπολαμβάνειν πράξεως καὶ ζωῆς Quum tamen et haec careant sermone (nam conceptus orbium caelestium huc nemo traxerit) malim interpretari de diis, qui sunt animantes et ipsi; cf. III, 7, 6; it. V, 10, 57, ubi *homo* eo parum demonstrari dicitur quod sit *animal*, nisi addatur, *mortale*, qualis et Porphyrii ratio in Isagoge p. Aristot. Bib. 390 (Vol. I): αἱ — τοῦ λογικοῦ καὶ ἀθανάτου (ζώου διαφοραὶ συστατικαὶ γίνονται) τοῦ θεοῦ: itidem Speusippi, sive Platonis ipsius, in Definitionibus St. III, 411, A. Θεὸς ζῶον ἀθάνατον (Bip. XI, 287), ut et Phaedr. θεὸν, ἀθάνατόν τι ζῶον p. 240, C. Bip. X, 320. L. Seneca Epist. LVIII: *animalia aut mortalia aut immortalia*.

*Nam corpora*) Cf. Plin. II. N. libri VII proocmium.

*Eadem minus*) Praeruptum videtur hoc ἀτύνοετον. Quare lubens hic audiam Gallaeum *eademque* tentantem. Nisi forte malis *egere* mutare in *egent*, et ante hanc sententiam interpungere; aut scribere *eaque* (resp. ad *corpora*) pro *eadem*, ut Alm. et Turic. mox (§. 14) pro *eiusque nos*, *eiusdem nos*.

manifesta, nisi, quae concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse ceteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quan-
16 dam, videmus. Nam et moliri cubilia, et nidos texere, et educare foetus, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quaedam nobis inimitabilia (qualia sunt cerarum et mellis) efficere, nonnullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone, quae id
17 faciunt, *muta* atque *irrationalia* vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adiuvat animus ille caelestis? Quare si nihil a diis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus,

*Inimitabilia*) Ieus. (tac. Gesn.) *immutabilia* cum Voss. 1, et edd. Tarv. Venet. quod correxit Regius verissime; cf. I, 10, 7, multisque codd. auctoribus factis, ut Guelf. Goth. et Britannicis tribus haud dubie, ac Turic.

*Educare — excludere*) Priusne ergo *educant* quam *excludunt*? Similis tamen ratio Homerici illius: ἵνα τ' ἔτραφεν ἠδ' ἐγένοντο, de quo non male Dammius in Lexico Homerico p. 2377.

*Inimitabilia*) Vid. not. crit.

*Nonnullius — rationis*) Egregie hoc persequitur Virgil. Georg. IV, 219 —227 incredulus tamen iis, qui defendunt talia, quod ostendit locus Georg. I, 415—423.

*Irrationalia*) Vnum cod. Turicensem auctorem nactus reposui scripturam, quae non dubito quin vera sit. Ceteri omnes libri consentiunt in *irrationabilia*, et solet Quintilianus a VV. DD. citari vindex huius vocis, pro qua scripsisse eum hic etiam: *irrationalia*, plane mihi est persuasum. Hoc quidem uno loco usurpasse barbaram vocem reperiretur, nam Declam. 325, p. (ed. Bip.) 527; *irrationabiles* impetus non moror. *Rationalis* (III, 5, 4; III, 6, 53; 54, 81, 86; V, 10, 56 etc.) et irrationalis (VIII, 6, 13; X, 7, 11) ceteroquin est apud eum. Et haec forma habet rationem, aliorumque scriptorum usum, ut Cornificii, seu script. ad Herenn. II, 12. Neque enim adducor, ut Celso, Senecae aliisque latinitatis auctoribus tribuam *rationabilem* et *irrationabilem*, quas voces vix Apuleio imputem. Nihil agit Borrichius Cogitationibus de lat. ling. aetatt. p. 150; *ultimas et accuratissimas editiones Quintiliani* appellando, quum ne codd. quidem in huiusmodi quaestione multum proficiant. *Irrationabilis* est in omnibus quantum video, codd. et edd. X, 7, 11, nisi quod Stoerius et Chouetus (nescio unde) dant *irrationalis*, quos sequutus est Burm. quum deseruissent Leid. Gibs. et Obr. Item III, 5, 4; Gothanus cod. (tac. Gesn.) pro *rationalibus* dat *rationabilibus*. Num quid tamen apud

aut in quo malimus praestare hominibus, quam quo ipsi homines ceteris animalibus praestant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde, et quousque iam provecta sit orandi facultas. Et adhuc augeri potest. Nam ut omittam, defendere amicos, 18 19

*Nulla — parte*) Apparet nota Gesneri critica, voluisse eum dare *arte* (pro *parte*) quod inventum in Goth. ab optimis Burmanni libris defendi narrat. Sed operae non paruerunt, neque ego eum casum inutilem puto, quum recepta recte habere mihi videatur. Sunt sane boni libri Turic. Bodl. Bal. Alm. et ed. Andr. qui dant *arte*, sed solita est confusio (vid. Liv. I, 15, 4 Drak.) in qua, ut consilium librarii versatum fuerit, non est necesse. *Pars*, quum sit quam hodie vocant *speciem*, generi subiectam, quid vetat dici, *nulla in parte* aeque ac, *nullo in genere*, in quo nemo haereat profecto. Liv. XXXIX, 36, 4, *ne in ulla parte crudelitas eorum cessaret*: et nost. mox 17, 1, *parte* in hac, c. 18, 5 in *parte* oratoria: it. XII, 1, 16: Nec M. Tullius defuisse *in ulla parte* — voluntatem. I, 3, 17; I, 7, 19; I, 10, 4, 31; III, 6, 63; III, 8, 14. Accipias etiam pro *nusquam*. *Nulla in arte* augustius est coërcitum, quam pro consilio scriptoris. Neque enim ceteris *artibus* solum, sed aliis quoque humanis conatibus, maiorem gratiam referre ait eloquentiam. Guelf. Iens. ceterique mei omnes, *parte*.

*Unde*) Eleganter anteponunt *et* Goth. Voss. 2, et edd. vett. quibus quemquam valebunt huiusmodi auctores? Videntur itaque hisce medii aevi sordibus purgandi boni scriptores, ut *rationabilis* iam nonnisi apud Cangium quaeratur cum cognato suo *raisonnable*.

*Praestare — praestant*) *Praeclarum mihi videtur quiddam adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat.* Cic. de Inv. (non, ut Pareus indicat, *de Offic.*) I, 4, unde contulit in lib. de Or. I, 8.

*Nulla — parte*) Vid. not. crit.

*Id adeo*) *Adeo* potestatem habet rariorem, ubi subiungitur, et fere est pro *vero*: continuationi, explicationi, inserviens, ubi plerumque praemittitur *id*, ut Cic. Verr. IV, 63 extr. pro Caecina c. 30. Sallust. Cat. c. 33 bis init. et extr. id. Iug. c. 107; vid. Tursell. de partt. p. 42, II, ubi tamen aliquot exempla aliena et pro Sallust. Iug. 110 lege 106.

*Unde*) vid. not. crit.

*Et — potest*) Gesn. qui in hisce, tanquam minus ad propositum facientibus, haeret, videtur non plane assequutus, quo sensu Qu. modo dixerit: *gratiam referre*. Non praemia intelliguntur, sed operis ipsius successus. In oratione maxime elaborarunt homines, neque frustra operam insumserunt, et ne praesentibus quidem terminis artem metiri decet. Neque obstat quod mox de praemiis etiam loquitur, praemisso *Nam*, quod non semper arctissimum nexum demonstrat.

regere consiliis senatum, populum, exercitum in quae velit ducere, quam sit utile, conveniatque bono viro: nonne pulcrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu, verbisque, quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis et gloriae, ut non loqui et orare, sed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris?

XVII. Finis non erit, si expatiari parte in hac, et indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad eam
2 quaestionem, quae sequitur, an *rhetorice ars sit*. Quod quidem adeo ex iis, qui praecepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos *de arte rhetorica:* Cicero vero etiam, quae *rhetorice* vocetur, esse *artificiosam eloquentiam* dicat. Quod non oratores tantum vindicarunt, ut stu-

adde Tarv. Venet. Rusc. Bad. Cervic. — *Fulgurare*) Guelf. et Turic. *fulgere* cum plerisque codd. et Andr. quos voluisse *fulgerare* coniicit Burm. Sed receptam tot dant edd. etiam vett. et vindices sunt codd. Goth. et (haud dubie) Voss. 2, praeter alios qui silentur ut Voss. 3, Bern. Quamquam, ut animadvertit Burm., etiam Cic. Orat. c. 9, de eadem re *fulgere* dixit.

*Vindicarunt*) Guelf. *iudicarunt*. Goth. et Iens. (tac Gesn.) *iudicaverunt*, cum tot edd. quarum aliquot et *indicaverunt*. Recepta sola vera, si ne ullus quidem addicat cod. Quam frequens τῶν *vindic.* et *iudic.* confusio, et res ipsa docet et exempla ostendunt apud Drakenb. Liv. XXXIX, 47, 2. Tuentur *vindicandi* vocabulum Voss. 1, 3 (dantes *vindicant*) cum aliis, qui silentur. Voss. 2 facit cum suo Goth. Possit aliquis praeoptare rationem Voss. 1, 3, praesens ostendentium, ob id quod sequitur, *videantur* et *consentiunt*. Sed non est consilium neque effectus *vindicandi*, verum tu ita intellige: *Si soli oratores hoc vindicassent, possent videri suis studiis indulsisse iisque honorem quaesisse.* Cave *suis*

*Pericli — tonare*) — Περικλέης οὐλύμπιος Ητραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ελλάδα: Aristoph. Acharn. v. (Brunck.) 530, 31. Locus a scriptoribus utriusque linguae saepe et citatus et significatus; cf. nostr. XII, 10, 24, 65. Neque primus Olympii cognomen dedit Pericli Aristophanes, sed vulgo iam usurpatum ad invidiam traduxit. Vid. Plut. Pericl. p. 156, A, B, qui de cognominis origine disputat; cf. Lucian. Imagg. p. 21, Vol. VI Bip. ibique: Graevium; adde Theonem Prog. p. 77, ed. Cam. Etiam Aspasiam Iunonem appellarunt Comici Plut. Pericl. p. 165, D.

*Cicero*) Civilis rationis, *pars est artificiosa eloquentia, quam rhetoricam vocant*; de Inv. I, 5.

*Vindicarunt*) Vid. not. crit.

diis aliquid suis praestitisse videantur: sed cum his Philosophi, et Stoici et Peripatetici plerique, consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quae- 3
stionis tractandam putarem: nam quis est adeo, non ab eruditione modo, sed a sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem, et texendi, et e luto vasa ducendi *artem* putet; *rhetoricen* autem, maximum ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet *sine arte* venisse? Equidem illos, qui 4
contra disputarunt, non tam sensisse quod dicerent, quam exercere ingenia materiae difficultate credo voluisse: sicut Polycratem, quum Busirim laudaret, et

*studiis* ablativum accipias. *Praestare alicui aliquid* est *gratificari*. Sic Plin. Paneg. XLVIII, 2. Suet. Tit. c. 8, *nihil cuiquam praestitisse*. Perfectum autem praesente melius h. l. quia *oratores* isti intelliguntur talia sermone familiari defendisse, quum eorum de arte non multi exstent libri; *Philosophi* autem in scriptis *consentientes* etiamnum leguntur. Praesente (*vindicant*) usus esset fortasse, si pro *oratoribus* scripsisset *rhetores*. — *Ac*) Ita Guelf., ut correxit Regius. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *At* cum Voss. 2, et edd. Tarv. et Ven.

*E luto ducendi*) Guelf. omittit *e*, cum Voss. 1, et Goth. Vtraque forma, sine praep. et cum ea, legitur apud scriptores, ut Virg. VI. 849 nobilissimo loco *ducent de marmore vultus*, ubi *de* est pro *e*. Plin. H. N. XXXIII, 45, p. Bip. 208, *laminas duci — ex optimo* (*argento*). L. Seneca Epist. LXV, p. 192, (*Aes*) *— ex quo* (*statua*) *duceretur*. Sed noster X, 3, 9, *eadem cera — aliae formae duci solent*. Virg. Aen. VII 634, *ocreas ducunt argento*. Claudian. de Cons. Mallii Theod. 138, *ductos — mores meliore metallo*. Apparet his ipsis exemplis sensus ducendi, quod est pro fingendo ut Lexica docent. Origo locutionis profecto in materia molli ut cera, luto; vid. Causaub. ad Pers. p. 381. Sic noster X, 3, 17, *opus ducere*, et Horat. Sat. I, 10, 43, 44, *epos — Varius ducit*.

*Dubitasse — an*) Recedit a frequentissimo usu τοῦ *dubitare — an*. Vergit enim h. l. in negationem dubitatio; cf. ad I, 5, 46.

*E luto — ducendi*) Vid. not. crit.

*Vt supra*) Proximo capite, ut putat Gesn., et recte videtur ille.

*Polycratem*) Laudem Busiridis ab hoc conscriptam, eiusdem argumenti declamatione opponenda castigavit Isocrates, qui et orationis in Socratem meminit (Busir. init.), sed ita ut diligentioribus appareat, eam non fuisse Anyto scriptam, sed declamationem post obitum Socratis compositam; vid. Diog. Laërtium II, 39, et Henr. Valesii Emendationes p. 159, ed. Burm. Pro oratione serio scripta

Clytaemnestram: quamquam, is quod his dissimile non esset, composuisse orationem, quae est habita contra Socratem, dicitur. Quidam naturalem esse rhetoricen volunt, et tamen adiuvari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius, *observationem* quandam esse, *non artem*. Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est positum; sed ut Antonii persona servetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias videtur: cuius sen-

*Est positum*) Iens. (tac. Gesn.) *esse positum* cum Tarvis. Ven., male.

accepit Themistius Orat. XXIII, et videtur Ael. Var. hist. XI, 10; cf. nostr. III, 1, 11. Famelicus hic sophistes (vid. Isocr. Bus. init.) spurcissimum librum Philaenidi supposuit, arguente Aeschrione Iambographo apud Athenaeum p. 335, C, D. significat falsarium et Dioscorides epigrammate. Brunck. Anal. Vol. I, p. 500: *Difficultatem materiae*: id maxime demonstrat quod Busiridis elogium videtur usurpatum fuisse, ut *illaudatus* appellaretur, sicut Virgilio Georg. III, 5, quem etiam respexisse ad haec laudandi mali hominis conamina putat Hieron. Wolfius in Graeco scripti Isocratei argumento. Polycrati huic laudationes cessisse non videntur, quem notat Aristoteles Rhett. II, 24, 3, 6. Dionys. Hal. in Isaeo p. 111, extr. Πολυκράτης —κενὸς μὲν ἐν τοῖς ἀληθινοῖς, ψυχρὸς δὲ καὶ φορτικὸς ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς, ἀχαρις δὲ ἐν τοῖς χαριεντισμοῦ δεομένοις ἐστί. vid. et Demetr. de Elocut. §. 120, qui videtur mentionem facere illius *pro Clytaemnestra* orationis, quam ceteroqui praeter Quintilianum qui memoraret inveni neminem.

*Esset*) Non displicet h. l. Francius coniectans *est*; cf. not. crit. ad I, 8, 5, quum libri omnes tueantur receptam. Ratio coniuncti vi imperf. non magnopere apparet nisi forte intelligas, *si verum esset*. Fortasse tum maxime feras, si retuleris ad *compositusse*, tanquam dictum pro *erat*, sed in oratione obliqua. *Quamquam* autem eo dicitur, quod, si Polycr. scripsit eam orationem, non exercendi solum ingenii causa, sed serio, malam causam egit.

*Cic. de Or.*) L. I, c. 20; l. II, c. 7, 8. *Observationis* tamen vocabulum apud Cic. h. l. non invenias; et solet *observationem* fere iungere cum *arte* ut de Divin. II, 71; Brut. VIII, extr. non vicissim sibi opponere utramque, ut hic memoriter refert Qu. Quamquam Eruestus in Clave haec ipsa Quintiliani verba ponit, tanquam invenienda de Or. I, 20, ut et Lexica.

*Hanc — Lysias videtur*) Fateor haerere me in loco, de quo nemo quidquam. Nec opinato iniicitur mentio Lysiae quam magis ferrem, si coniunctione *etiam* induceretur, non *autem*. Et male me habet quod post *cuius* (quod facile referebatur ad *opi-*

tentiae talis defensio est, quod indocti, et barbari, et servi, pro se quum loquuntur, aliquid dicant *simile principio*, *narrent*, *probent*, *refutent*, et (quod vim habeat epilogi) *deprecentur*. Deinde adiiciunt illas ver- 7
borum cavillationes, *Nihil quod ex arte fiat*, *ante artem fuisse:* atqui dixisse homines pro se, et in alios semper: doctores artis, sero iam, et circa Tisiam et Coraca primum, repertos: orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porro, quando 8
coeperit huius rei doctrina, non laboramus: quamquam apud Homerum, et praeceptorem Phoenicem tum agendi, tum etiam loquendi, et oratores plures, et omne in tribus ducibus orationis genus, et certamina

*Sero iam*) Potest supervacuum videri *iam*, quare omittitur in quibusdam edd., cod. quidem nullo. Omittentes secure imitatus Capper. Quum Cicero *nunc sero*, Tacitus *iam sero* dicere reperiantur, quidni *sero iam* feramus, quod ipsum legere me non memini, sed fortasse etiam saepe legitur. Inest fortasse irrisio, quum *sero* sit saepissime et paene plerumque pro *nimis sero*; cf. III, 5, 3. Doctores enim *sero veniunt*, quum opus; quod docturi sunt, iam est effectum.

*Laboramus*) Ita (omisso, quod est in edd. ut et Gesn., *exquirere*) Guelf. et Turic. cum codd., quantum video, omnibus, praeter Bern. qui tamen solet Guelf. plerumque referre. Ald., quoque omisit cum quibusdam, quos est imitatus Obr. Est autem siue inf. longe elegantius. — *Loquendi*) Goth. (tac. Gesn.) *eloquendi* cum Voss. 2, male. — *Ducibus orationis*) Guelf. hisce duobus vocabulis inserit ista: *iudiciale*, *de-*

*nionem*) ingeritur *sententiae*, quasi nullum substantivum praecesserit. Neque inveni, qui praeter Qu. referret, Lysiam eloquentiae artem negasse, nisi forte Cicero id videtur dicere Brut. c. 12. *Nam Lysiam — orationes — scribere — coepisse, artem removisse.* Sed potest aliter accipi iste locus. Si abessent verba, in quibus versamur, commode retuleris *cuius sententiae* ad dictum illud Antonii ap. Cic. (§. 5).

*Quod — dicant*) Attende scriptorem alienas argumentationes referentem (vid. ad I, 2, 2), ne forte tirones *quod*, etiam extra obliquam orationem, coniunctivo iungere assnescant. Neque necesse erat *loquantur* etiam dici, quamquam vel hoc potuisse ferri existimo.

*Sero iam — Coraca*) De hisce, patria Siculis vid. Cic. Brut. 12, et aliis multis locis, ut et nostrum III, 1, 8; vid. not. crit.

*Phoenicem*) Cf. II, 3, 12. Scriptor vitae Homericae itidem ex hoc loco docet Homerum παριστάντα, ὅτι τέχνη ἐστὶν ἡ ῥητορική, p. 237 in Ernesti Homero Vol. V.

*Omne — ducibus*) Gell. VII, 14;

quoque proposita eloquentiae inter iuvenes, invenimus: quin in caelatura clypei Achillis et lites sunt et acto-
9 res. Illud admonere satis est, *omnia, quae ars consummaverit, a natura initia duxisse.* Aut tollatur *medicina*, quae ex observatione salubrium, atque his contrariorum, reperta est, et, ut quibusdam placet, tota constat experimentis: nam et vulnus deligavit aliquis ante-

*monstrativum, deliberativum*, solus quantum video. Falso ille qua orationis qua sententiae nomine; vid. not. exeg. Eundem tamen errorem Capper. erravit, licet saniora docentem exhiberet Camerarium. Etiam in *ducibus* designandis fallitur, cum Gedoyno: Phoenicem, Nestorem, Vlyssem appellans.

*Quin in caelatura*) Guelf. et Turic. *in* omittunt cum plerisque codd. Vtrum Goth. habeat praep. necne non memini; Gesn. quidem nil monuit. Sed vereor ut adsit. Britannici codd. habent eam, si diligens est Gibsoni silentium. Si Aldi est coniectura *in* hoc interpositum, verissima est illa. — *Illud adm.*) Guelf. inserit *enim* cum Turic. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) et codd. plerisque, edd. autem ante Gryph. (1544) meis omnibus. Neque alienum est, modo referas ad *laboramus*, transiliendo parenthesin *quamquam — actores*. Silentur codd. Bal. Voss. 1, Bern. — *Consummaverit*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *consumarit*. cum multis edd. bene.

*Ea ipsa genere dicendi* ἀδρὸν uber, ἰσχνὸν gracile, μέσον mediocre): *iam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus; magnificum in Vlyxe et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore.* Vide et Vossium in Or. Instit. l. VI, c. 1, p. 427, et Clarkium ad Iliad. III, 213 qui plurium scriptorum locis docent, inter veteres convenisse de hac Homericorum oratorum proprietate. Et in primis cf. nostr. XII, 10, 63, 64. De tribus illis dicendi generibus copiose Cicero Orat. c. 23—28; item auctor libelli de vita Homeri p. Galei 314 seq. quem eadem ducum Homericorum exempla afferentem obscurius designat Clarkius ex Galei et Barnesii sententia: Dionysium Hal. περὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως. Est locus Gal. p. 377 seq. et Homer. Ern. Vol. V, p. 238. Superior locus ap. Ern. p. 180, seq.

*Certamina — iuvenes*) Iliad. XV, 284 — ὁππότε κοῦροι ἐρίσσειαν περὶ μύθων.

*In caelatura*) Iliad. XVIII, 497—508.

*Experimentis*) Appouam lectu iucundam Gesneri notam: *Poterat adiicere Fabius, si declamare animus illi fuisset, ne hominum quidem esse experimenta omnia, sed ex parte etiam animalium. Sumamus summa illa praesidia medicorum: venae sectionem hippopotamus monstravit Plin. H. N. VIII, 26, S. 40, p. Bip. 93, vomitione canes, clystere ibes Aegyptiae prius quam homo usae, Cic. de nat. Deor. II, 50, ubi plures id genus*

quam haec ars esset: et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coëgerat, mitigavit. Nec *fabrica* sit ars; casas enim primi illi sine arte fecerunt: nec *musica;* cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita, si *rhetorice* vocari debet sermo quicumque, fuisse eam, antequam esset ars, confitebor; si vero non, quisquis loquitur, orator est et tum non tanquam oratores loquebantur, necesse est, oratorem factum arte, nec ante artem fuisse, fateantur. Quo illud quoque excluditur, quod dicunt, non esse artis id, quod faciat, qui non didicerit: dicere autem homines et qui non didicerint. Ad cuius rei confirmationem afferunt, Demaden, remigem, et Aeschinem, hypocriten, oratores fuisse. Falso: nam neque orator esse, qui non didicit, potest: et hos sero potius, quam nunquam, didicisse quis dixerit: quamquam Aeschines ab initio sit versatus in literis, quas pater eius etiam docebat; Demaden neque

*Didicerint* ) Ita Guelf. et Iens. ( tac. Gesn.) cum edd. ante Gryph. omnibus, latinitate et logica iubentibus. Ceteri *didicerunt*. Illud levius, quod Goth. Iens. ( tac. Gesn. ) cum codd. aliquot et edd. ante Gryph. modo pro sing. dant pluralem. Elegantior est sing., quem tuetur Guelf. Turic. *id quod faciant et didicerint*, omissis his: *d. a. h. e. q. n. d.* cum Alm. — *Demaden* ) Sic Guelf. rectius quam *Demadem*.

*medicinas commemorat ; copiosissimus est Plinius VIII*, 27 ( Bip. c. 41, p. 94, 95 ).

*Valetudo* ) Cf. II, 16, 6, il. hui. c. §. 25.

*Demaden — Aeschinem* ) De illo consule Sext. Emp. p. 291 (Δημάδης) κωπηλάτης — ὧν ὁμολογεῖται ἄριστος γεγονέναι ῥήτωρ—τοίνυν οὔκ ἐστι τέχνη ἡ ῥητορική. Vid. et Fabric. Harl. II, p. 868. De hoc Demosth. pro Cor. p. Reisk. 314, μισθώσας σαυτὸν τοῖς βαρυστόνοις — ἐκείνος ὑποκριταῖς κ. τ. λ. p. 329 ἡνίκ' ἂν εἰπεῖν τι κατὰ τούτων δέοι ἐν τούτοις λαμπροφωνότατος, μνημονικώτατος, ὑποκριτὴς ἄριστος κ. τ. λ. p. 307, αὐτοτραγικοπίθηκος ( ex Reiskii coniectura, quam tamen non praesto ) ἀμουραῖος Οἰνόμαος.

*Quamquam — sit — potuerit* ) Coniunctivum structum cum *quamquam* attende, et cf. ad Prooem. 18.

*Literis — pater* ) Etiam hanc eius conditionem multis conviciis proscindit Demosthenes, p. 270, ὡς ὁ πατὴρ σου, Τρόμης, ἐδούλευε παρ' Ἐλπίᾳ— διδάσκοντι γράμματα. — δύο συλλα-

non didicisse certum sit, et continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuscumque postea fuit, fe-
13 cisse: nam id potentissimum discendi genus est. Sed et praestantiorem, si didicisset, futurum fuisse dicere licet. Neque enim orationes scribere est ausus; ut eum
14 multum valuisse in dicendo sciamus. Aristoteles, ut solet, quaerendi gratia, quaedam subtilitatis suae argumenta excogitavit in Gryllo: sed idem et *de arte rhetorica* tres libros scripsit, et in eorum primo non artem solum eam fatetur, sed ei particulam civilitatis, sicut

*Licet*) Goth. et Ienss. cum edd. ante Gryph. omnibus *licebit*, quod longe magis placet. Etiam *adhuc* post *et* inserendo consentiunt Goth. et Voss. 2. Pro *et* dant *adhuc* edd. ante Gryph. praeter Ald. Ne hoc quidem contra usum Quintiliani; cf. I, 5, 22 not. exeg. *et* tamen simul retinendum.

*Particulam*) Iens. (tac. Gesn.) *portiunculam* cum Tarv. Ven. Rusc. Bad. praeter Burm. memoratas.

βὰς προσθεὶς τὸν — πατέρα, ἀντὶ Τρόμητος, ἐποίησεν Ατρόμητον. P. 313: παῖς — ὢν μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης ἅμα τῷ πατρὶ πρὸς τῷ ὀιδασκαλείῳ προσεδρεύων, τὸ μέλαν τρίβων καὶ τὰ βάρα σπογγίζων καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς, ἔχων.

*Quantuscumque*) Inest μείωσις ut IV, 2, 86, et VI, 2, 36, ubi de se idem usurpat vocabulum.

*Scribere*) Cic. Brut. c. 9: *is, cuius nulla exstant scripta, Demades*; nostr. XII, 10, 49: *clarissimos quosdam nihil posteritati — reliquisse, ut — Demaden.* Vtrum ei tribuenda sit oratio ὑπὲρ τῆς ὠωδεκαετίας adi, sis disputantem Hauptmannum in Reiskii Oratt. Gr. vol. IV, p. 258, seqq.

*Vt — sciamus*) Non est quod haereas in *ut*, modo accipias pro *quamquam*. Tum demum sibi constat praesens *sciamus*, post perfectum *est ausus*. Rem ipsam testantur Diod. Sicul. XVII, 15: τῇ τοῦ λόγου δεινότητι πάντα κατεργασάμενος, et Plut. in vit. Demosth. p. 850, C: τόν γε Δημάδην πάντες ὁμολόγουν τῇ φύσει χρώμενον ἀνίκητον εἶναι καὶ παραφέρειν αὐτὸν σχεδιάζοντα τὰς τοῦ Δημοσθένους σκέψεις καὶ παρασκευάς.

*Gryllo*) Opus intercidit. Gryllus filius fuit Xenophontis qui ad Mantineam occubuit. Eius nomen videtur mutuatus Aristoteles, qui apud Diog. Laërt. II, 55 narrat plurimas laudationes esse conscriptas in Gryllum, etiam patris demerendi causa. Aristotelis librum recenset Diog. Laërt. V, 22, περὶ ῥητορικῆς Γρύλλον.

*Artem — dialectices*) Rhet. I, 2, 1. Posita rhetorices definitione (cf. nostr. II, 15, 3) in qua quidem *artis* nomen non est, subiicit: τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον. Item. eod cap. §. 7: ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἃ δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. — ἐστὶ γὰρ

dialectices, assignat. Multa Critolaus contra, multa 15
Rhodius Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, sed ex paucis 16
locis ducta. Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quaestio evadat. Prima his 17
argumentatio *ex materia* est. Omnes enim artes aiunt habere *materiam;* quod est verum: rhetorices *nullam* esse *propriam;* quod esse falsum in sequentibus probabo. Altera est calumnia, nullam artem falsis assen- 18

*Dialectices*) Hoc scripsi de coniectura Turnebi, sive eius, cui verissimam emendationem sublegit personatus iste interpres. Libri quidem omnes *dialecticis*, sed hoc ferri non posse, quum sensus invertatur eo plane, docet Aristotelis locus in not. exeg. Capper. solus in textu posuit necessariam correctionem.

*Complura*) Guelf. *cum plura*, male. Goth. (tac. Gesn.) *plura* cum

μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα.

*Critolaus*) Cf. II, 15, 23. De huius argumentatione contra Rhetoricen vid. Sext. Emp. p. 291, 92.

*Athenodorus — Agnon.*) De his nihil certi. Quem Porphyrius citat scriptorem Athenodorum πρὸς τὰς Ἀριστ. κατηγορίας, male coniicit Meursius in Bibl. Gr. hunc esse nostrum quum sit Stoicus, ideoque haud dubie intelligendus Tarsensis ille, non Rhodius. Neque solent Stoici artem negare rhetoricen. Vid. Fabr. Harl. III, 543, ubi, ut et apud Meurs. male citatur liber περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς, qui rectius apud Athenaeum est περὶ— παιδιᾶς. Agnon, si pote, etiam ignotior. Scite Harles l. c. p. 160, Academicum philosophum, Athenaeo memoratum p. 602, more suae familiae (vid. Sext. Emp. 292, not. Fabric. o) accusasse rhetoricen putat. Sed ad ipsum oratorem Agnonem vel Agnonidem refert opus hoc Ruhnkenius in Hist. Critt. Oratt. p. 89 seq. qui variatum docet in talibus nominibus, ut primitiva et patronymica commutarentur. Agnonides orator ex Cornelio Nepote et Plutarcho notus, in Phocione. Apud Suidam est Agnonides, qui locus videtur mutilus, aut admodum negligenter excerptus ab ipso Suida. Agnon Grammaticus memoratur Villoisono in Proll. Hom. p. 29.

*De Epicuro*) *Qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima iubet*; nostr. XII, 2, 24. Cic. de Fin. I, 7: *Epicuri — vellem aut ipse doctrinis fuisset instructior — aut ne deterruisset alios a studiis.* Inde multi in eum ioci apud Cic. Argumenta, quibus ars esse rhetorice negatur, vide, sis, plurima apud Sext. Emp. libro contra Mathem. secundo, sive contra Rhetoras.

tiri opinionibus, quia constitui sine perceptione non possit, quae semper vera sit: *rhetoricen* assentiri fal-
19 sis: non esse igitur artem. Ego, *rethoricen* nonnunquam dicere falsa pro veris, confitebor; sed non ideo, in falsa quoque esse opinione, concedam: quia longe diversum est, ipsi quid videri, et, ut alii videatur, efficere: nam et imperator falsis utitur saepe: ut Hannibal, quum inclusus a Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis incensisque, per noctem in adversos montes agens armenta, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit; ipse, quid verum esset,
20 non ignoravit. Nec vero Theopompus Lacedaemonius, quum permutato cum uxore habitu e custodia, ut mulier, evasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus praebuit. Item orator, quum falso utitur pro vero, scit esse falsum, eoque se pro vero uti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. Nec Ci-

Voss. 2, et 3. — *Perceptione*) Guelf. *praeceptore*. Omnes libri *praeceptione* (nisi quod siletur Turic.). Sed reposuit *perc.* iam Gesn. et ante eum Capper. ex margine Stephani eiusdemque et Almelovenii coniectura ad hui. c. §. 41; vid. not. ex. — *Falsa quoque*) Guelf. omittit *quoque* cum Goth. (tac. Gesn.) et Voss. 2.

*Sine perceptione*) Πᾶσα τοίνυν τέχνη σύστημά ἐστιν ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων καὶ ἐπὶ τέλος εὔχρηστον τῷ βίῳ λαμβανόντων τὴν ἀναφοράν. Definitio artis Stoica quidem cf. p. 173, sed *ab omnibus fere probata* (vid. infra §. 41) ἡ δὲ ῥητορικὴ οὐκ ἔστι σύστημα ἐκ καταλήψεων — οὐκ ἄρα ἐστὶν ἡ ῥητορικὴ τέχνη. (Postremum vocabulum addidi et necessarium videtur). Sext. Emp. 290: *perceptio quam* κατάληψιν *illi vocant*. Cic. Acad. IV, seu Lucull. c. 6, cf. nostr. hoc c. §. 41. Definitionem pervulgatissimam vide etiam apud Lucianum in Parasito vol. VII, p. 105 Bip. totidem verbis. Et multi sequiorum habent; cf. Schol. ad Aristoph. Nubb. v. 317.

*Vt Hannibal*) Liv. XXII, 17.

*Theopompus*) Rex Spartanus, qui Ephoros opposuit regibus, ut ait Cic. de Legib. III, 7, cuius praeclara apophthegmata sunt apud Plut. in Apophth. Laconn. p. 221, C: Χίλωνὶς Κλεάδα Συγάτηρ, Θεοπόμπου γυνή, μαθοῦσα τὸν ἄνδρα ὑπὸ Ἀρκάδων αἰχμάλωτον φυλάττεσθαι, ἦλθεν εἰς τοὺς πολεμίους ἐκοῦσα· θαυμάσαντες αὐτῆς τὸ φιλάνδρωπον Ἀρκάδες ἐπέτρεψαν εἰς τὸ δεσμωτήριον αὐτὴν παρελθεῖν. ἡ δὲ τὴν αὐτῆς ἐσθῆ-

cero, quum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor, quum vi artis suae efficit, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit. Aiunt etiam, *omnes artes habere finem aliquem* 22 *propositum*, *ad quem tendant:* hunc modo nullum esse in rhetorice, modo non praestari eum, qui promittatur. Mentiuntur: nos enim esse finem iam ostendimus, et quis esset, diximus. Praestabit hunc semper orator, 23 semper enim bene dicet. Firmum autem hoc, quod opponitur, adversus eos fortasse sit, qui persuadere finem putaverunt. Noster orator, arsque a nobis finita, non sunt posita in eventu. Tendit quidem ad victoriam, qui dicit: sed quum bene dixit, etiamsi non vincat, id, quod arte continetur, effecit. Nam et guber- 24 nator vult salva nave in portum pervenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, *Dum clavum rectum te-*

τα τῷ ἀνδρὶ περιθεῖσα, τὴν ἐκείνου δὲ αὐτὴ λαβοῦσα, ἔπεισεν αὐτὸν ὑπεξελθεῖν. αὐτὴ δὲ ἀντ' αὐτοῦ παρὰ τοῖς πολεμίοις ἔμεινε. Polyaenus Strategg. VIII, 34, qui aliud eiusdem strategema refert I, 15.

*Offudisse — gloriatus*) Se. locum Ciceronis invenisse negat Gesn. Neque ego inveni. An familiari sermone hoc iactavit Cicero? Nolim quidquam fraudis versatum in tam tragica causa. Iulius Rufinianus (p. 207, Rutil. Lup. ed. Ruhnk.) hanc Qu. sententiam repetit, et loca assignat: Pro Clu. c. 1, 3, 30, 23. In Muraenano iudicio se aliquid etiam coronae dedisse fatetur de Fin. IV, 27.

*Firmum — putaverunt*) Cf. II, 16, 11.

*Dum clavum*) Proverbium graecum fuisse ὀρθὰν τὰν ναῦν ostendit Cic. ad Qu. fr. I, 2, qui idem significat ad Div. XII, 25: *Vna navis est bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus;* et Seneca Epist. 85: *Neptune nunquam hanc navem nisi rectam.* Originem demonstrat Aristides in Rhodiaca I, p. Iebbii 542. Gubernatorem enim, quum iamiam instaret ut submergeretur navis, dixisse τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον (*notum illud* Qu.) ἀλλ' ὦ Πόσειδον ἴσθι ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω. Teles apud Stobaeum p. (Gesn.) 577 extr. καλῶς τὸ τοῦ κυβερνήτου· ἀλλ' οὖν γε ὦ Πόσειδον ὀρθὴν, οὕτω καὶ ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶποι πρὸς τὴν τύχην· ἀλλ' οὖν γε ἄνδρα καὶ οὐ βλάκα. Vt Graeci *navim rectam*, sic Romani *clavum rectum* in hoc proverbio dixisse reperiuntur, ut, apud Isidor. in Orig. Ennius in

25 *neam.* Et medicus sanitatem aegri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia aegri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nam est *ars* ea, ut post paulum
26 clarius ostendemus, *in actu* posita, *non in effectu.* Ita falsum erit illud quoque, quod dicitur, *Artes scire, quando sint finem consequutae, rhetoricen nescire.* Nam se quisque bene dicere intelligit. Vti etiam vitiis rhetoricen, quod ars nulla faciat, criminantur, quia
27 et falsum dicat, et affectus moveat. Quorum neutrum est turpe, quum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec vitium. Nam et mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est: et affectus, si aliter ad aequitatem perduci iudex non poterit, necessario movebit

*Non contingit*) Guelf. cum Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *contigit* cum Voss. 2, et edd. ante Gryph. omnibus, melius sane.

*Excidit*) Guelf. *excidet*, cum Iens. (tac. Gesn.) et codd. atque vett. edd. non paucis. Convenientius videtur antecedentibus istis *erit*, *dicet.* Sed si *contigit* legitur, aptius perfectum etiam in *excidit.* — *Post paulum*) Ioan. Voss. 1, 3, *paulo post*; cf. not. crit. ad II, 5, 1. Male autem ad nostr. II, 5, 1, Burmannus cepit Gronovium ad Liv. XXII, 60, 16 quasi de casu ageret, qui nonnisi positum hunc defendit ubi praemittitur praepositio. Alter apud nostrum I, 8, 7, ubi nulla librorum varietas.

Fragm. apud Columnam p. 132 (non 102, ut ex Burm. Gesn.) *Vt clavum rectum teneam, navimque gubernem.* L. Seneca Cons. ad Marc. c. 6 extr. *at ille vel in naufragio laudandus quem obruit mare clavum tenentem et obnixum.* Vid. et Erasm. in Adagg. III, 1, 28.

*Summa non cont.*) Non usquequaque expeditus est vocis *summa* usus. Alias enim solet *summa artis* dici, quod utique praestat artifex, ut *eventus* excludatur, qui in artifice non est positus. Sic modo c. 16, 11: *summa rhetorices.* Prooem. 6: *summa eius operis.* Ex ipsa igitur Quintiliani doctrina *summa* medicinae non est sanitas, quem tamen sensum hic locus postulat. Malim abesse *summa* (ex casu extremo natum fortasse) ut intelligatur *sanitas* (ex prioribus) ad *cont.*

*Post paulum*) Cap. seq. Structura haec accusativi infrequentior veteribus, altera illa ablativi. Vid. not. crit.

*Mendacium — sapienti*) Cf. locum Cic. allatum ad II, 15, 32.

orator. Imperiti enim iudicant, et qui frequenter in 28
hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam, si mihi sapientes iudices dentur, sapientum conciones, atque omne concilium; nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio praesumpta, falsique testes: perquam sit exiguus eloquentiae locus, et prope in sola delectatione ponatur. Sin et audientium mobiles animi, et tot malis 29
obnoxia veritas: arte pugnandum est; et adhibenda quae prosunt. Neque enim, qui recta via depulsus est, reduci ad eam, nisi alio flexu, potest. Plurima 30
vero ex eo contra *rhetoricen* cavillatio est, quod ex utraque causae parte dicatur. Inde haec, *Nullam esse artem sibi contrariam;* rhetoricen esse contrariam sibi: *nullam artem destruere quod effecerit;* accidere hoc rhetorices operi: item, *Aut, dicenda eam docere; aut, non dicenda;* itaque, vel per hoc non esse artem, quod non dicenda praecipiat; vel per hoc, quod, quum dicenda praeceperit, etiam contraria his doceat. Quae 31
omnia apparet de ea rhetorice dici, quae sit a bono viro atque ab ipsa virtute seiuncta: alioqui ubi iniusta causa est, ibi rhetorice non est: adeo ut vix admirabili quodam casu possit accidere, ut ex utraque parte

*Concilium*) Alm. *consilium* cum Iens. (tac. Gesn.) et plerisque edd. vett. Millies confunduntur haec duo vocabula in Mss. Egregiam de eorum diversitate disputationem habes Io. Fr. Gronovii ad Liv. XLIV, 2, 5, unde apparet etiam h. l., ubi neque senatus neque militare intelligitur consilium, sed *conventus populi cuiusque* legendum esse, *concilium*.

*Pugnandum*) Goth. (tac. Gesn.) *purgandum*, ridicule, sed solus. — *Neque enim*) Sic Guelf. ceteri libri. *Nec enim*; cf. not. critic. ad II, 6, 24. — *Inde haec*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *Inde hoc* cum plerisque vett. edd. praeter Ald., male. Confusio frequens vid. Drakenb. ad Liv. V, 34, 1, et cf. not. crit. ad I, 11, 13.

*Itaque*) Guelf. *ita* per errorem. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *ita* cum Voss. 2, 3, et edd. vett. omnibus ante Gryph. Verum puto. — *Apparet*) Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.) Voss. 2, et edd. ante Gryph. omnes *apparent*, male.

*Ea rhet.* Goth. (tac. Gesn.) *ipsa rhet.*, male.

*Vix admirabili*) Guelf. *ex mirabili* cum plerisque, qui quidem memo-

32 orator, id est vir bonus, dicat. Tamen, quoniam hoc quoque in rerum naturam cadit, ut duos sapientes aliquando iustae causae in diversum trahant (quando etiam pugnaturos eos inter se, si ratio ita duxerit, credunt), respondebo propositis: atque ita quidem, ut appareat, haec adversus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus nomen oratoris indulgent.
33 Nam *rhetorice non est contraria sibi.* Causa enim cum causa, non illa secum ipsa, componitur. Nec, si pugnent inter se, qui idem didicerunt, idcirco ars, quae utrique tradita est, non erit: alioqui nec armorum; quia saepe gladiatores, sub eodem magistro eruditi,
34 inter se componuntur: nec gubernandi; quia navalibus proeliis gubernator est gubernatori adversus: nec imperatoria; quia imperator cum imperatore contendit. Item non evertit opus rhetorice, quod efficit: neque enim positum a se argumentum solvit orator, sed ne rhetorice quidem: quia, apud eos, qui in persuadendo finem putant, aut si quis (ut dixi) casus, duos inter se bonos viros composuerit, verisimilia quaerentur:

rantur, codd. nisi quod in ceteris *admir.* Ed. Icns. (tac. Gesn.) ipsum dat, quod recepi cum Tarv. Venet. praeter Burmanno memoratas. Ceteri, ut et Gesn. *vix ex adm.*, hic tamen uncinato *ex*, et improbans in nota. Error est manifestus et proclivis codd. Iungentium autem utramque scripturam editionum ratio non ferenda. Quas enim, ut reliqua taceam, aures non radat: *vix ex?* — *Propositis*) Guelf. *praepositis.*

*Quod efficit*) Guelf. *quod effecit* cum Goth. quod recte probat Gesn.

*Quando — credunt*) Cogebantur hoc defendere Stoici, quoniam rempublicam administrare sapientis esse contendebant, neque tamen uni alicui civitati soli sapientem tribuere audebant. Disertum in hanc sententiam locum veterum nunc quidem non invenio. De Stoicis autem maxime loqui Qu. qui hoc credant, vel inde fit probabile, quod ii potissimum sapientis effigiem solebant proponere.

*Componuntur*) Proprium de gladiatoribus vocabulum observent tirones.

*Quia — quaerentur*) Si nonnisi *verisimilia* quaeruntur, possunt ea sibi invicem opponi, neque tamen esse contraria, ob id, quod subiungit, *si quid — credibile.* Haec enim

non autem, si quid est altero credibilius, id ei contrarium est, quod fuit credibile. Nam ut candido candidius, et dulci dulcius non est adversum, ita nec probabili probabilius. Nec praecipit unquam non dicenda, nec dicendis contraria, sed quae in quaque causa dicenda sunt. Non semper autem, etiamsi frequentissime, tuenda veritas erit: sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur. Ponuntur hae quoque in secundo Ciceronis de oratore libro contradictiones, *Artem earum rerum esse, quae sciuntur: oratoris omnem actionem opinione, non scientia contineri; quia et apud eos dicat, qui nesciant, et ipse dicat aliquando, quod nesciat.* Ex his alterum, id est, an sciat iudex, de quo dicatur, nihil ad oratoris artem: alteri respondendum. « *Ars earum rerum est, quae sciuntur.* »

35 36 37

*Defendantur*) Guelf. *defendat* cum pluribus codd. et edd. praeter memoratas Tarv. Venet. Equidem errorem puto, et manifestae originis; quamquam potest explicari, intelligendo *rhetorice*. — *Quod nesc.*) Goth. et Ieus (tac. Gesn.) *quae nesc.* cum Voss. 2, et multis edd. ut et Tarv. Ven. et ipso Cicerone vid. not. ex. *Quod* et *quae* saepe confunduntur vid. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 35, 3; cf. ad II, 17, 30, *hoc* et *haec*.

*Earum rerum est*) Goth. (tac. Gesn.) negligenter omittit *rerum*, solus, quantum video.

teri comma ponunt ante *Ars* etc. Sed ponenda est vox legentis in *respon-* sententia, ut bene demonstravit interpungendo Gesn. etiamnum pendet a coniunctione *quia*. *Verisimilia* autem apud eos quidem, *qui in pers.— putant semper*; apud ceteros *tum certe* quaeruntur, *si quis — composuerit*, quoniam utrinsque causa *vera* quidem esse nequit, *verisimilis* nihil obstat quo minus sit. Eam sententiam et Badius efficit contra Regium, qui corrigere volebat *quia*, suadens pro eo *praeterquam*, non profecto leni mutatione. Aldus pro *quaerentur*, per operarum errorem, det *quaeruntur* an consulto, non dicam; etsi est in utraque editione. Sed magis prope placet praesens futuro.

*Nec praecipit*) Intellige, *rhetorice*.

*In sec. — libro*) C. 7: *Ars enim earum rerum est quae sciuntur: oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia, continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi.* Antonius loquitur.

*Ars — sciuntur*) Revocavi diremptionem vetustissimarum editionum, quam et Capperonnerius habet. Ce-

Rhetorice ars est bene dicendi, bene autem dicere scit
38 orator. Sed nescit an verum sit, quod dicit. Ne hi quidem, qui ignem, aut aquam, aut quatuor elementa, aut corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerint, tradunt; nec qui intervalla siderum, et mensuras solis ac terrae colligunt: disciplinam tamen suam, *artem* vocant. Quod si ratio efficit, ut haec non opinari, sed, propter vim probationum, scire videantur; eadem ratio idem praestare oratori potest.
39 Sed an causa vera sit, nescit. Ne medicus quidem, an dolorem capitis habeat, qui hoc se pati dicet: curabit tamen, tanquam id verum sit, et erit ars medicina. Quid? quod rhetorice non utique propositum habet semper vera dicendi, sed semper verisimilia? scit au-
40 tem esse verisimilia, quae dicit. Adiiciunt his, qui contra sentiunt, quod saepe, quae in aliis litibus impugnarunt actores causarum, eadem in aliis defendant. Quod non artis, sed hominis, est vitium. Haec sunt praecipua, quae contra rhetoricen dicantur: alia, et
41 minora et tamen ex his fontibus derivata. Confirmatur

*Duxerint*) Hoc ex uno Bernensi reposui, pro omnium ceterorum et scriptorum et excusorum *duxerunt*, quod logica simul et latinitas respuunt. Nam hunc locum ex eo genere, de quo disputat Heusingerus Praef. ad Cic. de Off. p. 53, esse non puto. Et facile aberrabat librarii oculus a *tradunt* ad dux*erunt*.

*Videantur*) Goth. (tac. Gesn.) *videamur* cum Voss. 2.

*dendum*. In iis quae sequuntur Qu. repetit sententiam Antonianam, ut se ad argumentum inde petitum accingat refellendum. Alioqui male intelligas, id ipsum esse respondendum; quod inelegantius foret.

*Nescit an*) Hoc loco apparet, alio, quam frequentissimo, sensu accipi locutionem hanc. Solet enim plerumque modeste affirmare. Hic quidem nihil tale. Cf. not. ex. ad §. 3 hui. cap.

*Hi — qui — tradunt*) Intellige, Physici philosophi. Significat autem Pythagoreos, Heraclitum, Thaletem, Empedoclem, Leucippum, Democritum, Epicurum.

*Aliis litib.*) Apte Gesn. indicat Cic. de Orat. II, 7 conferendum, ubi hoc etiam utitur Antonius; et eidem argumento respondentem ex parte Ciceronem ipsum pro Cluent. c. 50, 51.

autem eam *esse artem* breviter. Nam sive (ut Cleanthes voluit) *ars est potestas via*, id est *ordine*, *efficiens;* esse certe viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitaverit: sive ille ab omnibus fere probatus finis observatur, artem constare ex perceptionibus consentientibus et coëxercitatis ad finem vitae utilem; iam ostendimus nihil non horum in rhetorice inesse. Quid? 42
quod et inspectione et exercitatione, ut artes ceterae, constat? Nec potest ars non esse, si ars est dialectice, quod fere constat: quum ab ea, specie magis quam genere, differat. Sed nec illa omittenda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem: et in eo, quod, qui didicerit, melius faciat, quam qui non didicerit, esse artem. Atqui non 43
solum doctus indoctum, sed etiam doctior doctum in rhetorices opere superabit, neque essent eius aliter tam

*Certe viam*) Gnelf. *certam viam* cum Goth. Iens. (tac. Gesn.) Voss. 2, et edd. ante Stoerium (1591) meis omnibus. Quam ego scripturam veram puto. — *Perceptionibus*) Gnelf. *praeceptoribus*. Ceteri *praeceptionibus*. Neque ullus liber, praeter cod. Bern. et inde Capper. habet nostram scripturam, sed necessaria visa est mutatio, et nolim hic dubitasse Gesnerum, qui supra fortiter reposuerit *perceptione* §. 18 (et ipsum poenitet suae dubitationis ad Lucian. Parasit. Vol. VII, 437 Bip.) Ostendunt necessitatem scripturae nostrae in primis Graecae, quae habes supra ad 18; it. Cic. Luc. 7 (citante Almelov.) *ars quae potest esse nisi quae — ex*

*Cleanthes*) Alibi memoratam definitionem non invenio. Sed inest eiusmodi quid ipsi naturae definitioni, quam dant Stoici Diog. Laërt. VII. 156: τὴν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον κ. τ. λ. Cf. Cic. de Nat. D. II, 22. Affert Fabricius ad Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. lib. III, 188, hanc artis definitionem, a Zenone propositam ἕξις ὁδοποιητικὴ sive ὅτι ὁδοῦ καὶ μεθόδου ποιοῦσά τι. Sic igitur et Cleanthes fortasse: δύναμις ὁδῷ ποιοῦσά τι vel ἐνεργοῦσα. Aliquid simile Stoicae huius definitionis habet ipse Aristoteles Ethic. Nicom. VI, 4, p. Sylb. 102: ἡ μὲν οὖν τέχνη — ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικὴ ἐστιν.

*Perceptionibus*) Cf. §. 18. — *Perceptionibus*. Non, ut dixi in not. crit. solus hoc dat Bern. Cod. verum etiam Turic. a prima manu, correctum deinde *praec.*

*Et inspectione*) Vid. mox c. 18, 1.

*Quum ab ea*) Cf. initium Rhetorices Aristoteleae.

*Sed nec illa*) Vide Aristot. Rhet. I, 1. 2.

multa praecepta, tamque magni, qui docerent. Id quod cum omnibus confitendum est, tum nobis praecipue, qui rationem dicendi a bono viro non separamus.

XVIII. Quum sint autem artium aliae positae in inspectione, id est cognitione et aestimatione, rerum, qualis est *Astrologia*, nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quae θεωρητικὴ vocatur: aliae in agendo, quarum in hoc finis est, et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quae *πρακτικὴ* dicitur, qualis est *saltatio*: 2 aliae in effectu, quae operis, quod oculis subiicitur, consummatione finem accipiunt, quam *ποιητικὴν* ap-

*multis animi perceptionibus constat.* — *Id quod*) Guelf. *idque* cum Goth. Iens. (tac. Gesn.) et multis codd. edd. autem ante Gryph. omnibus. Verius puto recepto. Confusio frequens vid. Drakenb. ad Liv. I, 8, 6.

*Consummatione finem*) Guelf. *consumationem non finem*, cum plerisque codd. praeter Alm. Edd. autem Iens. Tarv. Ven. non (ut de Iens. narrat Gesn.) sic, sed: *consummatione non f.* ubi fons erroris magis apparet quum *ne* (quod hic male repetebatur a librarii oculo) et *non* saepe commutentur; vid. ad II, 14, 4. Voss. 2, mire deficiens a suo Goth.: *consummatione fidem*, in quo est recepta ipsa. Vide enim de *fidem* et *finem*

*Perficitur — relinquit*) Possis haerere in horum verborum subiecto. Videtur autem esse *finis*, etsi minus convenit. Quare aliquot edd. (Codice nullo stipulante) pluralem in hisce verbis expresserunt. Sed hoc etiam difficiliorem facit structuram, quum ad *aliae* ex antecedentibus intelligatur *sint positae*, neque post genitivum, *quarum*, protinus nominativus possit subaudiri. Quod igitur in talibus solet fieri ab optimis quibusque scriptoribus, ut, cum aliquo sententiae neglectu, sed levi illo et facile ab attento lectore corrigendo, servetur elegantior et mollior verborum structura, id a Quintiliano quoque observatum, qui, nisi aliqua necessitate coactus, *finis perficitur* et *relinquit* non fuisset dicturus.

*Dicitur*) Etiam hic displiceat fortasse singularis. Sed est structura, qualem mox videmus in iis, *quam ποιητικὴν*, ubi aeque malis *quas ποιητικὰς*. Etenim accommodant veteres relativa pronomina ad sequentia magis quam ad praecedentia, et quoniam θεωρητικὴ, πρακτικὴ, ποιητικὴ, quippe peregrina, magis substantiva videntur quam adiectiva (sicut et *rhetorice* ipsa et *grammatice*), singularem numerum praetulit Qu. plurali, quamquam antecedebat *quae accipiunt*. Neque alia ratio reddenda est illorum: *quae θεωρητικὴ vocatur*, nam ad solam *Astrologiam* parum

pellamus, qualis est *pictura*: fere iudicandum est, *rhetoricen* in actu consistere: hoc enim, quod est offi-
cii sui, perficit. Atque ita ab omnibus dictum est. Mihi autem videtur etiam ex illis ceteris artibus mul- 3
tum assumere. Nam et potest aliquando ipsa res per se inspectione esse contenta. Erit enim *rhetorice* in oratore etiam tacente: et, si desierit agere, vel propo-
sito, vel aliquo casu, impeditus, non magis desinet esse orator, quam medicus, qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus etiam, ex se- 4
cretis studiis fructus, ac tum pura voluptas literarum, quum ab actu, id est opere, recesserunt et contemplatione sui fruuntur. Sed effectivae quoque aliquid simile 5
scriptis orationibus, vel historiis (quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus), consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus eius usus actu continetur, atque est in eo frequentis-

I, 8, 10. — *Iudicandum*) Goth. (tac. Gesn.) *iudicatum*, solus quantum video. Blanditur propter vicinum *fere*, quod saepissime valet *plerumque*. Sed obstat, quod in hac scriptura ταυτολογεῖ: *Atque dictum est.*

*Ex secr.*) Goth. (tac. Gesn.) *et secr.* cum Voss. 2.

*Ac tum*) Guelf. *et tum*. Placet, quoniam modo, *ac nescio*. Pro *tum* vett. edd. multae, ut Iens. (tac. Gesn.) *cum*, male.

*Effectivae*) Sic scripsi cum Gesn. et vett. aliquot edd., cod. quidem nullo; quum ad unum omnes dent *effective*. Falso enim narrat Gesn. in Goth. esse nostram. Quamquam idem sane volebant librarii, veterem orthographiam sequentes, *e* pro *ae*. Nam ne Francogallus quidem ullus, praeter Capper., acceperit *effective* adverbium: *effectivement*.

commode retuleris profecto. Insigne exemplum structurae talis a nostro more abhorrentis habes V, 10, 3: *illud* — contrarium appellant: *hunc* (pro quo exspectabas: *hoc*) «hunc — syllogismum vocaverunt.» Neque enim refert, quod, pro *relativo*, ibi *demonstrativum* est pronomen. Cic. de Legg. I, 7: *Animal hoc — quem voc. hominem*. Graeci similiter ut Arist. Rhet. I, 1, 3, περὶ — ἐνθυμημάτων, ὅπερ (non ἅπερ) ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. Animadvertit huiusmodi quid Badius ad hunc locum.

*Nescio an*) Solito sensu. Cf. ad II, 17, 38.

*Parte oratoria*) Cave, legendum putes *arte*, vid. not. crit. ad II, 16, 18.

sima; dicatur *activa*, vel *administrativa*: nam et hoc eiusdem rei nomen est.

XIX. Scio quaeri etiam, *naturane* plus ad eloquentiam conferat, *an doctrina*. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: neque enim consummatus orator, nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quae-
2 stionem velimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coëant, in mediocribus quidem utrisque maius adhuc naturae credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinae debere, quam naturae, putabo, sicut terrae, nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit; e terra uberi utile aliquid, etiam nullo colente, nascetur; at in solo fecundo plus cultor, quam
3 ipsa per se bonitas soli, efficiet. Et, si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere,

*Neque en.*) Sic Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) Ceteri *nec en.* cf. II, 17, 29. — *Quam — quaestionem*) Alius ordo in Goth. et Iens. (tac. Gesn.), *q. e. q. i. h. l.* quem habent edd. ante Stoer. omnes meae. Paulo clarior videtur ille. Receptus est in Guelf. — *E terra uberi*) Guelf. *et t. u.*, male. Ablativum *uberi* usurpat et Livius vid. Drak. ad Liv. XXIX, 25, 12, quum desinentis in *e* exempla equidem non meminerim, fortasse ne confunderetur cum substantivo. Esse enim adiectivum unius terminationis, ut *pauper*; non duarum, ut *celer* (quum codd. in tam tenui discrimine parum proficiatur), suadet analogia: *ubertas*, ut *paupertas*; non *uberitas*, ut *celeritas*.

*Esset exsculp.*) Guelf. *est exc.*, male. Goth. (tac. Gesn.) *esset sculp*

*Quam — quaestionem*) Obscurius dictum. Sententia haec profecto: *Quomodo latius comprehensam quaestionem hoc potissimum loco intelligamus, et quibus limitibus definiamus.* *Quam* valet *qualem*. Patet ex sequentibus, pro vario quaestionis ambitu, varie quoque debere responderi. *In hoc loco* autem est, quod hodie dicere solent: *in hac materia, in hac disputatione*. Sic Cic. de Inv. II, 7: *In hoc autem loco caput*; it c. 58: *Atque in hoc loco — Caput*; vid. not. crit.

*Maius adhuc*) *Adhuc* ad comparativum non pertinet, eo modo, quem vidimus I, 5, 22. Videtur tum praemitti semper adverbium.

*E — uberi*) Vid. not. crit.

Parium marmor mallem rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. Denique natura materia doctrinae est: haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia: materiae etiam sine arte pretium est. Ars summa, materia optima melior.

— *Natura — doctrinae*) Reliqui scripturam Gesnerianam, etsi parum fidens ei, ne locum apertum viderer obscurasse. Auctorem habet unum Gothanum, cui ne Voss. quidem 2 hic invenitur assentiens. Ceteri, ut Guelf., omnes fere: *natura materiae, ars doctrinae*, levi in quibusdam vocabulis fluctuatione. Proxime ad Goth. accedit Bern. haec dans: *Denique materia doctrinae est*, sine sensu omittens *natura*. Gesnerus immemor erat canonis critici, qui iubet difficiliorem scripturam praeferre, quum tam cupide arriperet Gothani rationem. Vnde enim *ars* illa, nisi vera est, in tot libris? Omittebatur autem longe facilius, quam addebatur; qualis omissio est vocis *natura*, plane necessariae, in Bern. Ne sententia quidem adeo impedita, quam in vulgata ullam esse paulo calidius negat Gesnerus. Saltem tot editores eam sibi visi sunt intelligere, neque malo reddidit Gedoynus: *En un mot le naturel est la matière, et la science est l'art.* Videtur hic legisse *natura materia, ars doctrina*, quod est in aliquot codd. Sed genitivi eodem redeunt. Fateor tamen malle me: *naturae materia, ars doctrinae*, quod magna ex parte est in Voss. 3, et Aldi ed.: *natura materia, ars doctrinae*. Mea si ratio valet, genitivi eam habent vim, quam demonstravimus ad I, 1, 34, ubi subaudies *opus* (*effectus*, hodierno more). *Ars* videtur quidem parum diversa a *doctrina*, ut eo nomine displiceat vocabulum h. l. Sed tu eam interpretare: *artificium, eruditionem perfectissimam*, ut mox *ars summa*, sic omnia plana erunt, et habebunt verba sic disposita elegantem χιασμόν. Similis quodammodo sententia est apud scriptorem ad Herennium, obscurata adhuc mala interpunctione, III, 16: *Neque hoc magis aut minus in hac re* (memoria), *quam in ceteris artibus sit, ut ingenio doctrina, praeceptione natura nitescat.* Sic enim locum sanavit, qui plurima, Butmannus V. C., incisum tollendo post *ingenio*, quum Lambinus vocem hanc delere vellet, utpote iterum positam in *natura*. Eandem diremptionem, sed cum correctione coniunctam, proposuit Valckenaerius in not. ad Hippolyt. Eurip. p. 174; vid. et Burm. ed. Herenniani. Vides, vel hoc exemplo, quanto dignior Quintiliano sit concinnitas ista, qua duo existunt inter se commissa rerum paria, quamque obliterat Gesneriana ratio. — *Illa fingitur*) Ieus. (tac. Gesn.) *illa vero fingitur*, cum Tarv. Ven. Loc. Rusc. Nervos orationis incidit additum istud *vero*. Badius omittit,

*Marmor — rude*) Artis amator Quintiliano vix assentiatur. An *rude marmor*, intellexit rudis artificis signum ex marmore? Sed eum sensum exemplis astrui posse vix puto.

*Natura — doctrinae*) Vid. not. crit.

XX. Illa quaestio est maior, ex mediis artibus, quae neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus, secundum mores utentium, fiunt, habenda sit rhetorice; an sit, ut compluribus etiam
2 philosophorum placet, virtus. Equidem illud, quod in studiis docendi plerique exercuerunt et exercent, aut *nullam artem*, quae ἀτεχνία nominatur, puto (multos enim video, sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes); aut *malam* quasi *artem*, quam κακοτεχνίαν dicimus. Nam et fuisse multos, et esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem converterint. Ματαιοτεχνία quoque

lectore non monito. Neque ullus habet cod. — *Maior ex.*) Guelf. *mator, an ex.*, cum aliquot edd. et codd. fortasse, male. Iens. Turv. Ven. omnesque ante Gryph. meae ignorant.

*Converterint*) Ita Guelf. cum Bern. Recepi necessario, quum ceteri, ut Gesn., dent *converterunt*; vid. ad II, 17, 38. Similem structuram vide II, 6, 25. — Ματαιοτεχνία) Guelf. περισσοτεχνία, sed a secunda illa manu, quae lacunas, Graecis relictas in hoc cod. explebat.

*Compluribus — philos.*) Stoicis; cf. II, 15, 20.

Ατεχνία) Huius definitionem pete ab Aristotele, loco supra (ad II, 17, 41) iam citato: ἡ δ' ἀτεχνία — μετὰ λόγον ψευδοῦς ποιητικὴ ἕξις.

*Vel — vel*) Non videtur disiunctim, sed coniunctim accipiendum pro *et — et* ut saepe v. c. III, 8, 49: *vel quod duplicis est operis, vel quod poetis — plurimum confert.* Cic. de Orat. II, 54: *in omni oratione — vel apud centumviros — vel contra — Brutum*; eod. libr. c. 2: *feci — vel ut illa opinio — tolleretur — vel ut — custodirem.* I, 9: *filii — omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis — parati.* Pro Marc. 8: *satis diu vel naturae vixi vel gloriae.* Pro Lig. 3: *faveo vel — vel — vel*, ubi nulla dubitatio.

Κακοτεχνίαν) Vid. Sextus Emp. p. 291: οἱ περὶ Κριτόλαον — καὶ πολὺ πρότερον οἱ περὶ Πλάτωνα — ἐκάκισαν τὴν ῥητορικήν, ὡς κακοτεχνίαν μᾶλλον ἢ τέχνην καθεστηκυῖαν. Idem p. 299: εἰ μὴ περὶ τοὺς συμφέροντάς (λόγους) ἐστιν ἡ ῥητορική, ἀλλὰ τοὺς βλαβεροὺς, πρὸς τῷ μὴ εἶναι τέχνη, ἔτι καὶ κακοτεχνία γενήσεται. Ad quem locum Fabric. ex Ammiano Marcellino XXX, 4 affert: *Professionem oratorum forensium Epicurus* κακοτεχνίαν nominans inter *artes* numerat *malas*. *Arti* haec tria opponit Marius Victorinus (p. Putsch. 2450) κακοτεχνίαν, ψευδοτεχνίαν, ματαιοτεχνίαν (de qua mox Qu.). ψευδοτεχν. videtur dicta pro Quintiliani ἀτεχνίᾳ, conf definitionem Aristotelicam modo positam.

est quaedam, id est supervacua artis imitatio, quae nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem: qualis illius fuit, qui grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuo et sine frustratione inserebat: quem quum spectasset Alexander, donasse dicitur eiusdem leguminis modio: quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum. His ego comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, aetatem multo studio ac labore consumunt. Verum haec, quam instituere conamur, et cuius imaginem animo concepimus, quae bono viro convenit, quaeque est vera rhetorice, virtus erit. Quod philosophi quidem multis et acutis conclusionibus colligunt: mihi vero etiam planiore hac, proprieque nostra, probatione videtur esse perspicuum. Ab illis haec dicuntur. Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quae pars eius *prudentia* vocatur,

*Continuo*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *continue* cum Voss. 2. et edd. plerisque vett. sed et Gryphii 1544. Placet Burmanno, et non videtur receptum loco convenienus, sive de loco agitur sive de tempore; vid. not. ex. *Continue* de flumine habet Varro de L. L. p. 12, ubi frustra Aut. Augustinus iubet legere *continuo*.

*Illius — ciceris*) Puto hanc pervulgatissimam hodie historiam ab uno Quintiliano memoriae proditam. Alii scriptores in ματαιοτεχνίᾳ demonstranda solent uti exemplo Myrmecidae Atheniensis et Callicratis Lacedaemonii, velut Galenus in προτρεπτικῷ πρὸς τὰς τέχνας, qui ὑμᾶς ait καὶ πάνυ πέποιθα γινώσκειν ὅτι μηδὲν τούτων ἐστὶ τέχνη — οἷα τὰ Μυρμηκίδου τοῦ Ἀθηναίου τυκαὶ Καλλικράτου τοῦ Λακεδαιμονίου; et Aelian. Var. hist. I, 17; cf. Plin. H. N. VII, 21, p. 26 Bip. Cic. Ac. IV, 38. Varro L. L. p. Bip. 79. Neque satis constat ex hoc nostri loco quale fuerit artificium illud Alexandro ostentatum. Vulgo male accipimus de foramine acus per quod iacta fuerint grana, quod revincit Baelius in voce *Macedoine* nota S. Videntur sane cicera in mucronem acus conjecta, etsi *inserere*, in hac sententia, habet quod displiceat. *Continuo* (an *continue* vid. not. crit.) ad seriem granorum in una acu continuatorum, an ad iactus continuationem spectet, ne ipsum quidem dixerim. Vide et Caelium Rhodig. lect. Ant. XXVII, 31, qui nil fere nisi ipsa Quintiliani verba ponit.

6 eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et, si virtutes sunt, ad quas nobis, etiam ante quam doceremur, initia quaedam ac semina sunt concessa natura, ut ad iustitiam, cuius rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certe sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro nobis, etiamsi non perfecte, tamen ut inessent quaedam (ut dixi) semina eius facultatis,
7 manifestum est. Non eadem autem iis natura artibus est, quae a virtute sunt remotae. Itaque quum duo sint genera orationis, altera *perpetua*, quae *rhetorice* dicitur, altera *concisa*, quae *dialectice;* quas quidem Zeno adeo coniunxit, ut hanc compressae in pugnum manus, illam explicitae diceret similem: etiam disputatrix virtus erit: adeo de hac, quae speciosior atque
8 apertior tanto est, nihil dubitabitur. Sed plenius hoc idem atque apertius intueri ex ipsis operibus volo. Nam quid orator *in laudando* faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut *in suadendo*, nisi utilitate perspecta? aut *in iudiciis*, si iustitiae sit ignarus? Quid?

*Iis — artibus*) Sic Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) quum ceteri, ut et Gesn., dent *his*, parum convenienter h. l. cf. II, 1, 2.

*Zeno*) Guelf. *Zenon* cum plerisque codd. et edd. Iens. (tac. Gesn.) aliisque vett. Tarv. tamen et Ven. dant *Zeno*. Scripturam per *n* non esse de nihilo docet locus I, 5, 60, quo et Burm. ablegat. Eam et hic revocavit Obr.

*Zeno*) Vide Sext. Emp. p. 289, et notam Fabr. P. Loca Ciceronis haec sunt: Acad. IV, 47, de Fin. II, 6, Orat. 32.

*Disputatrix*) Non sine quodam contemptus colore hoc nomen dialecticae datum arbitror, quo minus secum pugnare videatur Qu. qui *oratricem* improbaverit II, 14, 2. Sed imponitur persona dialecticae, et deinde increpatur quasi; cf. *sermocinatrix* III, 4, 10.

*Adeo*) Cave, accipias dictum pro *ideo*. Est sua potestate, pro *tam*, *tantopere*. Turnell. p. 42. num. 2. Iunge autem *adeo nihil*.

*Sed plenius*) Orditur *planiorem* illam, quam promiserat, *probationem*. An igitur *planius*? cf. not. crit. ad II, 3, 6. Libri quidem in receptam consentiunt.

non fortitudinem postulat res eadem, quum saepe contra turbulentas populi minas, saepe cum periculosa potentium offensa, nonnunquam, ut in iudicio Miloniano, inter circumfusa militum arma dicendum sit: ut, si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. Quod si ea in quoque animalium est virtus, 9
qua praestat cetera vel pleraque, ut in leone impetus, in equo velocitas; hominem porro ratione atque oratione excellere ceteris certum est: cur non tam in eloquentia, quam in ratione virtutem eius esse credamus? Recteque hoc apud Ciceronem disserit Crassus: *Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus.* Et ipse Cicero in sua persona, cum ad Brutum in epi- 10

*Miloniano inter*) Guelf. inscrit *quaestio*, solus et mire profecto; sensu quidem nullo. — *Recteque — disserit*) Goth. *que* omittit post *Recte*. Iens. (tac. Gesn.) pro *disserit* habet *dixerit* cum Tarv. Venet. aliisque edd. multis neque paucis codd. ut et Turic. Nisi abest, ut in Goth. *que*, oratio non bene procedit in recepta et aliquanto mollior fuerit, si scripseris *dixerit* ut hoc etiamnum ad figuram interrogandi pertineat, cuius signum ponatur post verba Ciceronis. Sed tum ne *appellat* quidem in proximae sententiae fine legendum, verum *appellet*, quod est in Goth. Iens. (tac. Gesn.) Voss. 3, (2 non memoratur) Bern. interrogandi signum autem et hic ponendum; et fateor totam hanc rationem mihi longe molliorem videri recepta, ubi, vel expuncto illo *que*, omnia nimis sunt abrupta. Et *dixerit* et *appellet* habent Locat. et Rusc. quos male deseruit Badius. Saepissime pro *x* in MSS. est *ss*. Vid. Drakenb. ad Liv. VI, 22, 10; it. XXV, 24, 8; cf. not. crit. ad II, 12, 2.

*Cic. in sua*) Guelf. et Turic. omittunt *in* cum multis libris. Recte fortasse. Praeposteram Iens. scripturam *cum sua*, non habent Tarv. (cf.

*Cum — offensa*) Vt Cicero pro Roscio Am. cf. de Off. II, 14, 18, 19.

*Iudic. Milon.*) Recte initium orationis Milonianae citat Gesn. Adde Plutarch. in Cic. p. 880, C. D. Virtutis ea pars, quae fortitudo dicitur, non magnopere erat in Cicerone.

*Recteque — disserit*) Vid. not. crit. Locus Cic. de Or. III, 14, extr.

*Brutum — epist.*) Hunc locum in Epistolis ad Brutum, quae aetatem tulerunt, frustra quaesiverunt VV. DD. Nec mirum, si vera vidit Anglus ingeniosus pariter et doctus Tunstallus in Epistola ad Midletonum (Cantabrig. 1741, 8), qui a p. 192 ad fin. *νοθείας* arguit has Epistolas, magnum nactus accusationis subscriptorem Ruhnkeium ad Vellei. II, 12, 3. Saltem quae plurima loca ex his ad Brutum epistolis affert Quintilianus, omnia sunt a VV. DD. inter

stolis, tum aliis etiam locis, virtutem eam appellat. At prooemium aliquando et narrationem dicit malus homo, et argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam et latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo: et tormenta sine gemitu feret malus servus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. Multa fiunt eadem, sed aliter. Sufficiant igitur haec, quia de utilitate supra tractavimus.

XXI. Materiam rhetorices quidam dixerunt esse *orationem*: qua in sententia ponitur apud Platonem Gorgias. Quae si ita accipitur, ut sermo quacumque de re compositus, dicatur *oratio*, non materia, sed opus est: ut statuarii, *statua:* nam et oratio efficitur arte, sicut statua. Sin hac appellatione verba ipsa significari putamus, nihil haec sine rerum substantia faciunt.
2 Quidam *argumenta persuasibilia:* quae et ipsa in parte sunt operis, et arte fiunt, et materia egent. Quidam *civiles quaestiones:* quorum opinio non qualitate, sed modo erravit: est enim haec materia rhetorices, sed

II, 5, 16) et Venet. sed solum *sua* dant. Locat. et Rusc. male repetunt Iensonianam. — *Sufficiant*) Guelf. *sufficient*, cum Goth. et Voss. 2. Non male.

fragmenta relata, quo utitur etiam Tuust. p. 193; cf. ad I, 5, 14. Sunt enim invicta fere historiae argumenta, quibus adoritur istam de Messala epistolam.

*Aliis — locis*) Afferunt Partit. orat. c. 23 init. Recte, item Acad., I, 2; sed ibi non sua, verum Varronis persona hoc dicit, quamquam, quum et ipse sit Academicus Cicero, ad utrumque pertinet. Pugnat autem hic Acad. locus, cum altero de Orat. quem vide ad II, 15, 20.

*Ponitur — Gorgias*) Plat. Gorg. p. Steph, 449, E. (Bip. Vol. IV, p. 9, 10): Σω. ἴσθι δή μοι ἀπόκριναι — περὶ τῆς ῥητορικῆς, περὶ τί τῶν ὄντων ἐστὶν ἐπιστήμη; Gor. Περὶ λόγους. *Ponitur* intellige: fingitur, in scenam producitur; cf. I, 10, 33. Defendunt autem scripturam receptam Mss., fluctuantibus excusis et quibusdam *ponit* dantibus.

*Rerum substantia*) Opponitur verborum *vanitati*, ubi aliquid praeter οὐσίας significationem admiscetur vocabulo novitio; cf. ad Prooem. 21. Sic et Seneca ut docent Lexica.

*Modo*) Intelligis ex opposito, quid sit. Hodie dixissemus: *quanti-*

non sola. Quidam, quia virtus sit rhetorice, *materiam* 3
*eius totam vitam* vocant. Alii, quia non omnium virtutum materia sit tota vita, sed pleraeque earum versentur in partibus (sicut *iustitia*, *fortitudo*, *continentia*, propriis officiis et suo fine intelliguntur), rhetoricen quoque dicunt in una aliqua parte ponendam: eique locum in ethice *negotialem* assignant, id est, πραγματικόν. Ego (neque id sine auctoribus) materiam esse 4
rhetorices iudico, *omnes res quaecumque*, *ei ad dicendum subiectae erunt*. Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiae videtur, *non in verbis esse materiam*, *sed in rebus*. Et in Phaedro palam, non in iudiciis modo et concionibus, sed in rebus etiam privatis ac domesticis, rhetoricen esse, demonstrat. Quo manifestum est hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et Ci- 5
cero quodam loco materiam rhetorices vocat res, quae

*tatem*, vel *extensionem*; cf. II, 4, 21.

*Partibus*) Intellige vitae.

*Dicere — videtur*) Dativum *Gorgiae* cave referas ad *videtur*: pertinet enim ad *dicere*. *Videtur* autem inquit Qu. quoniam longior illa Socratis contra Gorgiae responsum disputatio manifestam suae sententiae significationem non habet. Pertingit ea quidem a loco supra demonstrato ad p. 454, B. (p. Bip. 19), ubi ad *persuadendum in iudiciis aliisque conciliis* deducitur Gorgias; neque tamen finem invenit interrogationum Socraticarum, quae etiam, quid maxime agatur in istis conciliis, ab eo exposcunt. Apparet id agi, ut ipsae res demonstrentur, in quibus proprie versetur rhetorice.

*Phaedro*) P. St. 261, A. (Bip. X, 352) ἆρ' οὐ τὸ μὲν ὅλον ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις ὑπὸ λόγων, οὐ μόνον ἐν δικαστηρίοις καὶ ὅσοι ἄλλοι δημόσιοι, σύλλογοι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἰδίοις ἡ αὐτὴ σμικρῶν τε καὶ μεγάλων πέρι;

*Res — sunt ei*) Sunt haec Quintilinni verba, non ipsius Ciceronis; quae quum typis distinguerentur ab editoribus neque tamen, ubi in Ciceronis operibus ipsa essent posita, demonstrari possent, impeditum reddiderunt locum. In uno Codice, pro *sunt* est *sint*, quod magis etiam meae favet opinioni. Neque tamen necessaria mutatio. Sententiam igitur Ciceronis mihi videtur Quintilianus retulisse, verba usurpasse sua; quum praesertim his videatur in hoc quidem loco assnetus, qui modo posuerit §. 4, et mox §. 7, 13 et II, 15, 22, quo respice. Ciceronis in hanc sententiam disputatio est de Orat. I, 15, et Inv. I, 5.

subiectae sunt ei, sed certas demum putat esse subiectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis, *Quamquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quaecumque sit proposita,* 6 *ornate ab eo copioseque dicatur.* Atque adhuc alibi, *Verum enim oratori, quae sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materia) omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tra-* 7 *ctata, agitata esse debent.* Hanc autem, quam nos *materiam* vocamus, id est, res subiectas, quidam modo infinitam, modo non propriam rhetorices esse dixerunt: eamque artem *circumcurrentem* vocaverunt, quod in 8 omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. Sed neque infinita est, etiamsi est multiplex: et aliae quoque artes minores habent multiplicem ma-

*Quamquam — videatur*) Coniunctivus in omnibus Quintiliani libris, et in aliquot Ciceronis, quum plures dent *videtur*, quod, *rectum esse* Ernesti est decretum. Neque tamen utique pendeat *videatur* a *quamquam*, necesse est; fuerit absolute positum fortasse, graeco more. Cf. Prooem. 18. — *Adhuc al.*) Prius neque Goth. neque Iens. omittit, ut narrat Gesnerus. *Adhuc* videtur usurpatum hic eodem fere modo ut cum comparativis; cf. I, 5, 22. — *Verum enim*) Hoc quidem in codd. undecim, qui collati sunt, nullo, Guelf. et Turic. *vero enim* cum Bodl. Bal. Ioann. Voss. 1, 3, Bern. Alm. *Enimvero* dant Voss. 2, et Goth. cum edd. ante Gryph. meis omnibus, praeter Ald. Illud in ipso Cicerone dant aliquot libri. Neque est sane quod respuas *vero* adiectivum ad *oratori* pertinens; attamen, quum et apud Terentium binis locis (neque enim plures adhuc in ullo scriptore inveni) Adelph. II, 1, 47, et Eunuch. IV, 6, 4, legatur *verum enim*, non subiecto iterum *vero*, servandum puto receptum, ne forte bona locutio, sed rarior, per criticorum suspicionem plane obliteretur. — *Infinitam — propriam*) Guelf. *infinitas — proprias.* Goth. et Iens. (tac. Gesn.) pro *infinitam* dant *infinita* cum Voss. 1, 3. Edd. fere vett. *infinitam — proprie.* Turic. *infinita — propria.*

*Alio vero*) De Or. I, 6.
*Alibi*) De Or. III, 14. De *verum enim*; vid. not. crit.

teriam, velut *architectonice:* namque ea in omnibus, quae sunt aedificio utilia, versatur: et *caelatura*, quae auro, argento, aere, ferro, opera efficit. Nam *sculptura* etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, praeter ea quae supra dixi, complectitur. Neque protinus non est materia rhetorices, si in eadem versatur et alius. Nam si quaeram, quae sit materia statuarii, dicetur *aes:* si quaeram, quae sit excusoris, id est, eius fabricae, quam Graeci χαλκευτικὴν vocant, similiter *aes* esse respondeant. Atqui plurimum a statuis differunt vasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio et exercitatio cum palaestrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei sit arte communis. Quod vero de bono, utili, iusto disserere, philosophiae officium esse dicunt, non obstat. Nam, quum philosophum dicunt, hoc accipi volunt, virum bonum. Cur igitur oratorem, quem a bono viro non separo, in eadem materia versari mirer? quum praesertim primo libro iam ostenderim, philosophos omissam hanc ab oratoribus partem occupasse, quae rhetorices propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia versentur. Denique quum sit *dialectices materia* de rebus subiectis disputare, sit autem dialectice oratio concisa,

9 10 11 12 13

*Architectonice — versatur*) Guelf. *architectonicae.* Goth. (tac. Gesn.) *versantur* ut appareat eum suo *e* voluisse quod Guelf. scribendo *ae*, male. — *Excusoris*) Guelf. *sculptoris* male. Goth. (tac. Gesn.) *excussoris* cum Voss. 2, item male. Vett. edd. receptam, quibus accedere videntur Britannici et Alm. — *A statuis*) Omittit *a* Guelf. cum Turic. Goth. Ien. (tac. Gesn.) Voss. 3 et meis quidem ante Leidens. edd. omnibus. Ex ea Gibsonus assumpsit, et de suis codd. tacet.

*Quod vero*) Goth. (tac. Gesn.) *Qui vero.* — *Dicunt*) Goth. *debent*, non, ut Gesn. narrat, *dicebant.*

*Cur*) Guelf. et Turic. *Quare* cum Alm. — *Rhet. propria semp.*) Guelf. omittit *propria.* — *Dialectice*) Hoc scripsi contra edd. prope omnes, *dialectices* dantes, bonis tamen auctoribus codd. Britannicis tribus Turic.

*Primo libro*) Prooem. 10 sqq.

cur non eadem perpetuae quoque materia videatur?
14 Solet a quibusdam et illud poni, *Omnium igitur artium peritus erit orator, si de omnibus ei dicendum est.* Possem hic Ciceronis respondere verbis, apud quem hoc invenio, *Mea quidem sententia nemo esse poterit omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus:* sed mihi satis est eius esse oratorem rei, de qua dicet, non in-
15 scium. Neque enim omnes causas novit, et debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoque, de quibus dicendum erit, interim discet: et de quibus didicerit, dicet.
16 Quid ergo? non aut faber de fabrica melius, aut de musice musicus? Si nesciat orator, quid sit, de quo quaeritur, plane melius. Nam et litigator rusticus illiteratusque de causa sua melius, quam orator, qui nescit quid in lite sit, dicet: sed accepta a musico, a fabro, sicut a litigatore, melius orator, quam ipse qui

et ed. Andr. Necessaria erat mutatio, vid. II, 20, 7, quo accedit Cic. Brut. 90: *dialectica — quasi contracta et astricta eloquentia putanda est*; et de Fin. II, 6: *perpetua oratio* (i. e. rhetorice) *non rhetorum solum sed etiam philosophorum.* Apparet fons erroris cum Voss. 1, 3, praeferant, *dialecticae*, quod est ortum ex male intellecto, *dialectice.*

*Materia*) Guelf. et Turic. *materiae* cum Iens. (non enim dat *materie*) et idem voluit Goth. qui habet caudam in *e*; male.

*Hoc inv.*) Guelf. *haec inv.* Elegantius profecto; cf. ad II, 17, 30. — *Dicet*) Guelf. *dicit* cum Iens. qui non omittit *d. q. d.*, ut narrat Gesn. et sic pleraeque edd.

*Non aut faber.*) Guelf. hoc ordine, *n. f. a.* cum Goth. Iens. (tac. Gesn.) et vett. omnibus (ubi male accepit Burm. quasi omitterent *aut*) ante Badium, qui invertit ordinem, ut faciliorem redderet, monito in nota lectore, dubito an praeter necessitatem. Eum ceteri sequuti, praeter Gryph.

*Quaeritur*) Guelf. et Turic. *quaeratur* cum Goth. Iens. (tac. Gesn.) et multis praeterea. — *Lite sit, dicet*) Guelf. et Turic. cum Goth. Iens. (tac. Gesn.) omittunt *dicet*. Item Tarv. Loc. Rusc. Regius in nota inserendum necessario, putat, quem sequuta est fortasse Venet. habet enim; cf. not.

*Mea quidem*) De Or. I, 6 init. de rep. X, p. St. 598, et 601 (Bip. VII, 288—90, 295—97), ubi μιμη-
*Accepta*) Citat hic Almelov. Plat.

docuerit. Verum et *faber*, quum *de fabrica*, et *musicus*, 17
quum *de musica*, si quid confirmationem desideraverit,
dicet; non erit quidem orator, sed faciet illud quasi
orator: sicut quum vulnus imperitus deligabit, non
erit medicus, sed faciet ut medicus. An huiusmodi res 18
nec in laudem, nec in deliberationem, nec in iudicium
veniunt? Ergo quum de faciendo portu Ostiensi delibe-
ratum est, non debuit dicere sententiam orator? atqui
opus erat ratione architectorum. Livores et tumores 19

crit. ad I, 6, 26. Mihi elegantius videtur, si absit, ut et Badius iudicat.

*Qui doc.*) Guelf. omittit *qui*, unde, coniunctim cum illa priore τοῦ *dicet* omissione, alia existit structura, minus probabilis. Astipulantur et alii. — *Deligabit*) Guelf. Turic. et Goth. Iens. (tac. Gesn.) *deligavit* cum Voss. 1, 3, Bern. Alm. et edd. multis vett. Badius cum Cervicorno futurum habet, cum Locat., quem fere exprimit, praeteritum; neque monito lectore, quum etiam Ald., cuius magna solet apud Badium esse auctoritas, praeferat *deligavit*. Vnde tot fautores nacta fuerit praepostera haec scriptura, qui praesertim revocarint eam, ut Gryph., ab aliis iam correctam, non equidem comminiscor. An locus observabatur, quem vid. in not. exeg.? Britannici tamen codd. quorum nulla mentio apud Gibs. videntur tueri receptam, unice veram. Sed exigua est codd. auctoritas in tam solita confusione τῶν *b* et *v*, de qua vide Drakenb. ad Liv. V, 24, 5; it. II, 46, 2.

(quem ipsum in sua arte praestigiatorem significat Socrates Rep. III, p. σιν exagitat et *τόδε* (inquit p. Bip. VII, 289) *δεῖ — διανοεῖσθαι, ἐπειδάν τις ἡμῖν ἀπαγγέλλῃ περὶ τούτου, ὡς ἐνέτυχεν ἀνθρώπῳ πάσας ἐπισταμένῳ τὰς δημιουργίας — ὑπολαμβάνειν δεῖ τῷ τοιούτῳ, ὅτι, εὐήθης τις ἄνθρωπος καὶ, ὡς ἔοικεν, ἐντυχὼν γόητι τινὶ καὶ μιμητῇ, ἐξηπατήθη· ὥστε ἔδοξεν αὐτῷ πάνσοφος εἶναι, διὰ τὸ αὐτὸς μὴ οἷός τ' εἶναι ἐπιστήμην καὶ ἀνεπιστημοσύνην καὶ μίμησιν ἐξετάσαι.* Sed magis etiam ad nostri disputationem pertinent, quae habes in Gorgia p. St. 456 A, B, C, ubi quovis opifice probabilius dicturum oratorem asseverat Gorgias, se autem sicubi cum fratre Herodico, medico 405, E), ad aegrotos accesserit, remedia iis longe facilius ipso fratre persuadere. Ad quam iactantiam ea respondet Socrates p. 459, quae nemini, rhetorices magnopere studioso, placeant, quaeque vereor ut Qu. ipse cum [magno huius artis honore conciliare possit. Sed dignus est, ut dixi, integer dialogus, qui ab adolescentibus ediscatur. Loca demonstrata sunt Bip. IV, 23, 24, 29.

*Deligabit*) Cf. II, 17, 9.

*Portu Ostiensi*) Vid. Sueton. Claud. c. 20 ubi apparebit, quare deliberatum fuerit operose, quoniam opus ab ipso Iulio Caesare erat *saepius destinatum, ac propter difficultatem omissum.*

in corpore, eruditatis an veneni signa sint, non tractat orator? at est id ex ratione medicinae. Circa mensuras et numeros non versabitur? dicamus has Geometriae esse partes. Equidem omnia fere posse credo casu aliquo venire in officium oratoris: quod si non accidet, 20 non erunt ei subiecta. Ita sic quoque recte diximus, *materiam rhetorices esse omnes res ad dicendum ei subiectas;* quod quidem probat etiam sermo communis. Nam quum aliquid, de quo dicamus, accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam praefatione 21 testamur. Gorgias quidem adeo rhetori de omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditoriis interrogari pateretur, qua quisque de re vellet. Hermagoras quoque, dicendo materiam esse in causa et in quaestioni- 22 bus, omnes res subiectas erat complexus. Sed quaestiones si negat ad rhetoricen pertinere, dissentit a nobis: si autem ad rhetoricen pertinent, ab hoc quo-

*Versabitur*) Guelf. et Turic. *conversabitur* cum Bern. repetita syllaba prima ex antecedente *non*. — *Geometriae*) Sic omnes, quantum video, et codd. et edd. Neque erat quod scripturam sollicitaret Iacob. Frid. Heusingerus ad Cic. de Off. III, 7, 3, qui malit *Geometrae*. Perpetuitas argumentandi ostendit hic artis magis nomen requiri, quam artificis. Sic modo: *ex rat. medicinae*; *ratione architectorum*, quae est ipsa *architectonice*. Ne Ciceronis quidem locus Tusc. V, 39, mutatione indiget *geometriae munus tuebatur* quamquam maiorem speciem habet coniectura. Receptam dat ibi Wolfius; cf. not. crit. ad I, 12, 18.

*Crud. an. ven.*) Tangit medicam istam quasi eloquentiae partem, sed in transcursu, Cic. pro Cluent, c. 10, extr.

*Gorgias*) Plat. Gorg. p. 447 C. (Bip. IV, 5): Ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ ἐρωτᾶν ὅ, τι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. De quo ipso Platonis loco Cic. de Or. III, 32; id. de Or. I, 22; de Inv. I, 5; de Fin. II, 1.

*Hermagoras — quaestionibus*) Vid. Cic. de Inv. I, 6, ubi hanc refert Hermagorae divisionem, sed improbans ipse et *quaestiones* ab oratoris officio seiungens. Cf. et de Or. II, 19 init.

*Negat — pertinere*) Cf. III, 5, 14. Quo inspecto loco apparebit, quare de Hermagorae sententia dubitet Qu. Se autem *adiuvari* ait ab Hermagora (modo eius non sit liber, qui contrariam opinionem habet)

que adiuvamur. Nihil est enim, quod non in causam aut in quaestionem cadat. Aristoteles tres faciendo 23
partes orationis, *iudicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*, paene et ipse oratori subiecit omnia: nihil enim non in haec cadit. Quaesitum a paucissimis etiam de 24
instrumento est. *Instrumentum* voco, *sine quo formari materia, et in id, quod velimus, effici opus non possit.* Verum hoc ego non artem credo egere, sed artificem. Neque enim scientia desiderat instrumentum, quae potest esse consummata, etiamsi nihil faciat: sed ille opifex, ut caelator caelum, et pictor penicilla. Itaque haec in eum locum, quo *de oratore* dicturi sumus, differamus.

*Aut in quaestionem*) Guelf. omittit *in*. Repetitionem praepositionis defendunt Burm. h. l. et ad IV, 2, 107, ubi iterum positam praepos. omittunt quoque Guelf. et Goth. item ad VI, 3, 11, et Drakenb. ad Liv. VI, 27, 6, et Heusingerus ad Cic. de Off. I, 14, 1, et in hac ipsa re Cic. de Invent. I, 6 init. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *aut in quaestiones*, cum Voss. 2, et edd. ante Gryph. omnibus, quod verum puto, ob *in quaestionibus* (§. 21) et *sed quaestiones* (§. 22). — *Et — effici*) Ita Guelf. et videntur plurimi codd. qui silentur. Goth. (tac. Gesn.) *in* omittit post *et* cum Voss. 2, et Ald. quae est commodissima scriptura. Iens. (item tac. Gesn.) omittit *et* ante *in*, cum edd. praeter Ald. omnibus ante Gryph., quae ne ipsa quidem displicet ratio. Recepta saltem vitio carere non videtur. Quis enim dixit, *efficere materiam in opus?* — *Egere*) Praeposteram Gibsoni scripturam *agere* (merum sphalma, neque enim est in Leid.), invenio etiam in Tarvisina.

quod tum, vel hoc auctore, recte finierit *materiam rhetorices* §. 4.

*Aristoteles*) Rhet. I, 3, 3, unde repetiit Cicero Partitt. Oratt. c. 3 extr. cf. et de Inv. I, 5.

*Et — effici*) Vid. not. crit.

*Eum locum*) Lib. XII, c. 5, ubi enumerantur instrumenta oratoris: *animi praestantia*, *vox*, *latus*, *decor*. Respicit autem eius capitis §. 1 ad ipsum nostrum locum: *Haec sunt, quae me redditurum promiseram, instrumenta, non artis, ut quidam putaverunt, sed ipsius oratoris.*

## ARGVMENTVM LIBRI III.

C. I. *Se uberius, quam fieri soleat, expositurum, quae restent monenda in universum de orandi arte* — 2. *Hoc, ut exoptatum studiosis, ita parum dulce futurum* — 5. *Etiam propter diversitatem opinionum* — 8. *Varii artis auctores, Graeci* — 16. *Propriae sectae Hermagorae, Apollodori, Theodori* — 19. *Romani* — 22. *Suum se quoque judicium interpositurum.* — C. II. *De origine rhetorices* — 3. *Naturalis, artificialis* — 4. *Ciceronis ratio minus probata.* — C. III. *Partes rethorices* — 4. *Variae de iis sententiae* — 6. *Ciceronis non semper eadem* — 8. *Graecorum aliquot* — 10. *De ordine partium* — 11. *Partes sint, an opera, an elementa.* — C. IV. *Tria sint genera causarum, an plura* — 4. *Se in vetere persuasione manere, tria statuentium; ob varias rationes* — 9. *Anaximenes, Plato, Isocrates quid senserint* — 12. *Suae rationis expositio* — 16. *Materias singulis generibus proprias se non assignare.* — C. V. *Divisio in res et verba, certa et incerta* — 4. *Quaestiones in scripto, in non scripto* — 5. *Infinitae, finitae* — 8. *Infinitarum species* — 12. *Quaestiones universales non inutiles* — 17. *Causae finitio.* — C. VI. *De statu; ejus appellatione* — 5. *Quid sit* — 13. *Quis statum faciat* — 22. *Quot sint status; Aristotelis elementa decem* — 25. *Aliorum novem* — 28. *Septem* — 29. *Unum statum quidam faciunt* — 31. *Duos; Archidemus, alii ut Pamphilus* — 35. *Apollodorus, Theodorus* — 37. *Posidonius, Celsus* — 39. *Alia ratio in duos dividendi* — 44. *Tres a plurimis facti; Cicerone, Patrocle, M. Antonio, Virginio* — 47. *Quatuor ab Athenaeo, Caecilio, Theone* — 49. *Aristotelis, Ciceronis quadripertitae rationes* — 51. *Quinque*

*status*, *sex*, *septem*, *octo* — 55. *Status rationales appellati*, *quaestiones legales*: *quot rationales* — 58. *Cicero in rhetoricis de negotiali*; *Hermagoras translationis inventor* — 61. *Legales quaestiones* — 62. *Albutius*, *alii* — 63. *Se quartum eorum*, *quos generales olim fecerit*, *nunc removere* — 68. *Translationem quoque ex specialibus*; *quae in nulla controversia sit unquam sola* — 78. *Translatio in rationali genere posita*; *male* — 80. *Tria in omni disputatione quaeri* — 83. *Quadripertitam rationem rudibus utilem* — 86. *Quatuor propositorum duo genera*, *rationale*, *et legale* — 88. *In legali nasci simulacra ex illis tribus* — 91. *In causis simplicibus singuli status*; *sed quo potissimum utendum*, *quaeritur* — 94. *In coniunctis plures*, *vel diversi vel generis ejusdem*; *eius rei exempla*. — C. VII. *Genus laudativum*. *Non totum abhorret a negotiis* — 3. *Non semper de dubiis dicere oratorem* — 5. *Vicissim laudem ostentationi compositam indigere interdum probatione*, *defensione*; *plerumque amplificatione* — 7. *Laudantur dii* — 10. *Magis varia laus hominum*; *in tria tempora dividitur* — 12. *Corporis*, *extrapositorum*, *laus* — 15. *Animi* — 17. *Quae post laudandi hominis mortem evenerunt* — 19. *Vituperationis idem ordo in diversum* — 22. *De viventibus iudicia hominum in utramque partem adhibenda* — 23. *Refert*, *ubi quidque laudetur* — 25. *Ex vicinitate virtutum ac vitiorum quatenus proficiendum sit* — 26. *Vrbium*, *locorum*, *rerum laudes* — 28. *Qui status maxime sit huius generis*. — C. VIII. *Deliberativum an utilitate finiatur* — 2. *An solum honestum utile*. — 4. *Qualitatis statu non continetur totum* — 6. *Huius generis prooemium* — 10. *Narratio* — 12. *Affectus* — 14. *An in sola reipublicae administratione versetur* — 15. *Rem posse fieri*, *aut incertum est*. — 17. *Aut certum* — 21. *Quae sint partes suadendi*; *necessitatem inter eas non esse*, *sed possibile* — 26. *A quibusdam ut partes poni quae species sint partium* — 28. *Voluptas an connumeranda sit* — 30. *Vtilia honesta comparantur* — 33. *Vtilia inter se* — 36. *Exempla quid possint*, *quorum et apud quos* — 38. *Honesta quibus quomodo suadenda* — 44. *Inhonesta* — 48. *Persona suadentis* — 49. *Prosopopoeiae* — 52. *Persona et in controversias dutur* — 53. *In scholis materiae deliberativae similiores controversiis* — 58. *Error in suasoriarum genere dicendi* — 67. *Historias legendo plus profici quam vulgaribus praeceptis*; *item usu*. — C. IX. *Iudi-*

*cialis generis partes auctae perperam; quinque probandas esse* — 6. *Ordo dicendi cuiusque et cogitandi non idem* — 8. *An cogitandi ordinem scribendo sequi debeamus.* — C. X. *Causa aut unius rei controversia constat, aut plurium; aut eiusdem generis aut diversi* — 3. *Genus comparativum* — 5. *Perspecto causae genere, quid intuendum.* — C. XI. *Post inventos status, quid Hermagorae videatur intuendum; quaestio* — 4. *Ratio* — 7. *Iudicatio* — 9. *Continens* — 10. *Pro statuum diversitate aut coniunctas esse aut separatas quaestionem et iudicationem* — 18. *Ciceronis variae de horum omnium commercio sententiae* — 20. *Aliorum ratio* — 21. *Se nimiam Hermagorae subtilitatem non probare* — 26. *Theodori ratio* — 28. *Conclusio.*

# M. FABII QVINTILIANI ORATORIAE INSTITVTIONIS

## LIBER TERTIVS.

I. Quoniam in libro secundo quaesitum est, quid esset *Rhetorice*, et quis *finis* eius; *artem* quoque eam esse, et *utilem*, et *virtutem*, ut vires nostrae tulerunt, ostendimus; *materiam*que ei res omnes, de quibus dicere oporteret, subiecimus: iam hinc, unde coeperit, quibus constet, quo quaeque in ea modo invenienda atque tractanda sint, exsequar: intra quem modum plerique scriptores Artium constiterunt, adeo ut Apollodorus contentus solis iudicialibus fuerit. Nec sum ignarus, hoc a me praecipue, quod hic liber inchoat, opus studiosos eius desiderasse, ut, inquisitione opinionum, quae diversissimae fuerunt, longe difficilli-

*Oporteret*) Guelf. *oportet*, nec ipsum male. — *Div. fuerunt longe*) Omittunt *fuerunt* Burm. Gesn. Bip. sed ex mero, ni fallor, Burmanni sphalmate, quum sit in edd. meis omnibus et codd. Guelf. Goth. Turic. Nec facile eo careas.

*Intra — modum*) Recte monet Gesnerus, minuendi significationem esse in *intra*; *Etiam minus hoc ipso fecisse Artium scriptores.* Vide Lexica et Turnell. de partt. pag. 406 edit. Lips. Sic noster XI, 3, 45: *intra loquendi modum*; it. XI, 3, 8: *intra famam.*

*Apollodorus*) Vid. mox §. 17.

mum, ita nescio an minimae legentibus futurum voluptati: quippe quod prope nudam praeceptorum tra-
3 ditionem desideret. In ceteris enim admiscere tentavimus aliquid nitoris, non iactandi ingenii gratia (namque in id eligi materia poterat uberior), sed ut hoc ipso alliceremus magis iuventutem ad cognitionem eorum, quae necessaria studiis arbitramur, si ducti iucunditate aliqua lectionis, libentius discerent ea, quorum ne ieiuna atque arida traditio averteret animos, et aures praesertim tam delicatas raderet, verebamur:
4 qua ratione se Lucretius dicit praecepta philosophiae carmine esse complexum: namque hac, ut est notum, similitudine utitur:

*Ac veluti pueris absinthia tetra medentes*
*Quum dare conantur, prius oras pocula circum*
*Aspirant mellis dulci flavoque liquore,*

*Minimae*) Ita Locat. Rusc. Ceteri quidem omnes, quos vidi, libri *minime*, adverbium. Sed codicum in hisce nulla auctoritas. Quid in Florentino inveniret non prodidit Regius; sed, quum ipse adverbium pro adiectivo legi suadeat, probabile fit in eo quoque esse nostram scripturam. Latinum esse minime h. l. vix credo; desidero enim locum ubi sit: *hoc mihi valde fuit, voluptati. Magnae voluptati, summae voluptati*, frequens etiam, ut Cic. ad Att. II, 25.

*Si — discerent*) *Si* h. l. accipe *an* graeco more, cuiusmodi usus Ciceroni, Caesari, Livio, Tacito (et cui non?) est frequens. Vide inter plurimos qui de eo egerunt Tursell. p. ed. Lips. 907; Drakenb. ad Liv. IV, 20, 8, et Heusingerum praef. ad Cic. de Off. p. 48; cf. et nostr. VII, 2, 5: *est quaesitum — si — esset.*

*Lucretius*) Locus bis exstat in opere Lucretiano I, 934, et IV, 11. Sed, praeter leviorem differentiam *Sed* alteroque loco *Nam* pro quo Quintilianei libri habent *Ac* (an volebat *At?*), insignis est diversitas altera. Pro *Aspirant* in Lucretii libris est *Contingunt*, quod ipsum in nostro loco nonnisi editi quidam ponunt in margine, immo in textu, ut, praeter memoratos, Gryphii. Gesnerus monet a Gifanio et Lambino agnosci libros Lucretianos, qui praeferant, *Aspirant*. Hoc sane, utpote difficilius, Critico magis, placeat; sed *contingunt* ipsum habet aliquem vetustatis colorem, ut videatur utrumque diversis editionibus posuisse Lucretius. Cum *aspirandi* significatione recte confert Gesnerus *olfacere*, nove et ipsum usurpatum a Varrone II, 2, 16, ubi *olfacere labra lacte*, est *imbuere labra odore lactis*. Ita et huc

et quae sequuntur. Sed nos veremur, ne parum hic 5
liber mellis, et absinthii multum, habere videatur, sitque salubrior studiis, quam dulcior. Quin etiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat, quod pleraque non inventa per me, sed ab aliis tradita, continebit: habeat etiam quosdam, qui contra sentiant et adversentur, propterea quod plurimi auctores, quamvis eodem tenderent, diversas tamen vias munierunt, atque in suam quisque induxit sequentes. Illi autem probant 6
qualecumque ingressi sunt iter, nec facile inculcatas pueris persuasiones mutaveris, quia nemo non didicisse mavult, quam discere. Est autem, ut procedente libro 7

*Munierunt*) Sic Guelf. Turic. et codd. plerique, nisi quod Voss. 2: cum aliquot edd. vett. dat *invenerunt*. Francius coniecit *inierunt*, probante Burmanno, et auctore etiam facto cod. Goth. quare recepit Gesnerus, qui hanc scripturam et Ienss. ed. praeferre narrat; falso ille; est enim in ea, ut Tarv. et Ven. *invenerunt*. Equidem, desernte Gothanum suum Vossiano 2, merum errorem puto *inierunt*, pro *invenerunt*. Gothanam scripturam mihi dissuadet ipse etiam (fateor) auctor Francius. Neque cum Burmanni tum Gesneri argumenta multum proficere videntur. Quod enim mox (§. 6) *ingressi sunt*, id quidem parum ad rem: sunt enim ii discipuli, non magistri; et quod *sequantur* homines eos qui *inierint* viam, non qui *munierint*, ea calumnia est, quum *sequentes* potius sint *posteriores* tempore, vel et ipsi *discipuli*. Si intelligerentur, qui *ineuntes* istos *sequerentur* (φυσικῶς) manifesta foret ταυτολογία; nam is, quem sequitur alter, in suam sane viam illum inducit. Ipsum autem *inire viam* parum est in magistris, rhetoribus, qui disciplinas, rationes instituendi, sectas condunt; non sua causa, ut aliquo perveniant, iter faciunt. Solet etiam vocabula plus significantia usurpare in hoc genere, v. c. *secari vias* (§. 14). *Fecit — Herm. viam* (§. 16) Simile est *munire*, quare merito revocasse mihi videor plurimorum librorum scripturam.

*aspirare mellis liquore* significabit *odore et sapore mellis imbuere*.

*Et — sequuntur*) Sequitur enim apud Lucretium, quo consilio hoc fiat.

*Parum — multum*) Opponuntur plerumque *parum — nimium*. Sed et alibi *parum* est pro *paulum* v. c. Plin. Paneg. XX, 3; *nihil aut certe parum intererat*; cf. dicta ad I, 1, 18.

*Salubrior*) Quoniam *absinthium* et ipsum salubre.

*Nemo non*) Cave dirimas haec et *non* transferas ad *didicisse*, unde plane contraria existeret sententia. Scriptoris nostri sensus est fere in versu Horatiano: *quae Imberbes didicere, senes perdenda fateri*. Epist. II, 1, 85: *Nemo non* una vox est apud Romanos, sic III, 5, 10, *nihil non*.

patebit, infinita dissensio auctorum, primo, ad ea, quae rudia atque imperfecta adhuc erant, adiicientibus quod invenissent scriptoribus: mox, ut aliquid sui vi-
8 derentur afferre, etiam recta mutantibus. Nam primus post eos, quos poëtae tradiderunt, movisse aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. Artium autem scriptores antiquissimi, Corax et Tisias Siculi: quos insequutus est vir eiusdem insulae Gorgias Leontinus, Empedoclis

*Post eos — tradiderunt*) Ipse Qu. Homerum aliquos artis magistros demonstrasse, monebat supra II, 17, 8. Neque alienum, quod tangit Regius, Mercurium vulgo a poëtis prodi orationis auctorem. Ita sane v. c. Horatius: *Mercuri facunde—voce formasti catus;* ex Alcaeo Carm. I, 10, 3, et Ovid. Fast. V, 668: *Quo didicit cultе lingua fauente loqui.* Lucian. Hercules vol. VII, p. 314 Bip. τὸν λόγον — οἱ Ἕλληνες Ἑρμῆν οἴονται εἶναι. Cic. de Or. I, 46 *caduceo* nominando, *deum* illum, qui eloquentiae fuerit auctor, significat Mercurium, quod et Gesn. agnovit, ad nostr. X, 7, 13; cf. Barthium ad Stat. Theb. I, 305, qui multa congessit.

*Movisse — Empedocles*) Hoc Aristoteles prodidit non quidem, ut Regius narrat, in fine Elenchorum Sophisticorum, sed in libro, qui intercidit, Sophiste inscripto, narrante Diogene Laërtio VIII, 57; ipsaque, ut videtur, Aristotelis verba ponente Sexto Emp. p. Fabr. 370, Εμπεδοκλέα — ὁ Ἀριστοτέλης φησὶ πρῶτον ῥητορικὴν κεκινηκέναι, ubi scita est observatio Fabricii, verbum Aristotelicum ipsum a Quintiliano expressum esse, monentis, *movisse*. Vsus ille verbi κινεῖν sensu *inchoandi, moliendi* apud Stephanum nullis exemplis firmatur, et ne memoratur quidem; sed est satis certus, quamquam mihi quidem non multi succurrunt loci. Apud Athenaeum Deipn. XIV, p. 629 C. legas: ὅθεν ἐκινήθησαν αἱ καλούμεναι πυρρίχαι, quod recte vertitur *originem habuerunt*. Simili modo acceperim κίνημα *conamen, ausum* apud Sext. Emp. p. Fabr. 307: οὐ πάν — τὸ καθ' ἕτερον κίνημα, ληπτέον ἐστὶν ἑτέρῳ. Et ponit vocem Pollux VI, cap. 38 de nominibus criminum §. 179 cum τόλμημα et φρόνημα. Conf. Aristot. Rhet. III, 1, 8 ad eumque locum Wolfius in Epist. ad Vaterum (vid. Vateri Animadversiones ad Aristotelis libb. III Rhett. Lips. 1794) pag. 213. Locus a Wolfio allatus Ciceronis Orat. c. 12, expressus est e Theophrasto. Satis vel Romanorum usu apparet, *movere* hac significatione dixisse Graecos, quem bene ostendit Drakenb. ad Epit. lib. Liv. LXXXII. Quintiliani sunt haec fere: III, 6, 10, 103; IV, 1, 29, ubi *movere*, et *ex diverso amoliri* opponuntur.

*Corax — Tisias*) Cf. II, 17, 7; de Tisia vide et Aristot. Soph. Elench. p. Buhl. 638, ut et de Thrasymacho, qui perperam in Lexicis solet appellari Carthaginiensis (ex errore Καρχηδόνιος pro Καλχηδόνιος, ut pro Χαλκηδόνιος solet ferre vetustissima scriptura; vid. Ekhel. Num. II, p. 411) et discipulus Isocratis (Suida caeco duce), quo fuit antiquior. Notissimus e veterum scriptis Sophistes,

(ut traditur) discipulus. Is beneficio longissimae aetatis (nam centum et novem vixit annos) cum multis simul floruit: ideoque et illorum, de quibus supra dixi, fuit aemulus, et ultra Socratem usque duravit. Thrasymacus Chalcedonius cum hoc, et Prodicus Cius, et Abderites Protagoras, a quo decem millibus denariorum didicisse artem, quam edidit, Euathlus dicitur: et Hippias Eleus, et, quem Palamedem Plato appellat, Alcidamas Elaeïtes. Antiphon quoque et orationem

*Prod. Cius*) Guelf. *Prod. Chius*, cum omnibus fere codd. et edd. vett. qui error ipse nostram scripturam defendit, quum recentiores fere dent, *Cejus*, *Ceius*, praeter morem latinum. Aldus sōlus veram rationem restituit, quam librarii, *Cium* ignorantes, turbarant inserenda aspiratione, ut notius existeret nomen, levius peccantes illi sequentibus. Aliud enim Graecis est Τήϊος, aliud Κεῖος. Vid. Ernestum ad Brut. cap. 8, qui dat *Ceus*, longius a codd. Meminerint tirones nomen esse a *Ceo* sive *Cea* insula, et consulant v. c. Apolog. Socr. Platonicam pag. Bip. 45, vol. I. Iunguntur Thucyd. VII, 57, Κεῖοι — Τήϊοι.

*Alcidamas Elaeïtes*) Guelf. *Alcidamus Eleïtes*. Prius, codd. (ut quidem arbitror) paucis assentientibus, neque ed. ulla, quantum video, ante Leidensem, ex qua expresserunt omnes; sed graecis scriptoribus semper Αλκιδάμας audit, nunquam Αλκίδαμος, et subit animum dubitatio, rectene inspexerim cod. Guelf. Saltem Turic. quoque, *Alcidamas*. Apud

cuius sunt partes in republica Platonica. Ceteri etiam notiores, ut afferendis scriptorum locis non indigeant.

*Beneficio — aetatis*) De hoc, ut et Isocrate (§. 14); vide Lucianum in Macrobiis. Bip. vol. VIII, p. 128.

*Euathlus*) Diog. Laërt. IX, 52: (Πρωταγόρας) πρῶτος μισθὸν εἰσπράξατο μνᾶς ἑκατόν. Eadem apud utrumque merces, quum centum drachmae, quibus constat mina, aequent centum denarios. De magno Protagorae didactro vide scriptores Menagio citatos ad locum Diogenis. Iucunda narratur historia de Euathlo magistrum ludificante a Diogene l. c. §. 56; Gellio V, 10; Apuleio in Floridis p. Elmenh. 360, quam ipsam Coraci accidisse narrat Sext. Emp. p. Fabr. 307. Discipulum autem Coracis, qui mercede eum emunxerit, ipsum Tisiam appellant Hermogenis Scholiastes, et anonymus ad Aphthonium editus a Montefalconio, cuius locum vide apud Schneiderum ad Cic. Brut. c. 12. Ex iis, quos memoravi, scriptoribus, ut ex etymo quoque apparet *Euathlum* esse vocandum hunc Protagorae auditorem, quum libri quidem Quintilianei mire fluctuent in eo, plerique dantes *Euathium*.

*Alcid. Elaeït.*) De nomine vid. not. crit. Quod autem hunc a Platone Palamedem fuisse appellatum narrat, in eo equidem non acquiesco. Locus est in Phaedro p. 261 D. Bip. vol. X, p. 353: Τὸν οὖν Ἐλεατικὸν Παλαμήδην

primus omnium scripsit, et nihilo minus Artem et

Ciceronem Tuscul. I, 48. Wolfius refinxit Ernestinam scripturam *Alcidamus* in *Alcidamas*; vid. Ern. in Clave Cic. et Solan. ad Lucian. vol. IX, 412. In patriae nomine maior dubitatio, quod edd. tam vett. quam recc. dant omnes *Eleates* (falso enim narrat Gesn. in Ienson. esse *Elates*), praeter Audr. quae eum Guelf. praefert, *Eleites*, astipulantibus codd. Bodl. Bal. Alm. Bern. Turic. In Goth. verene sit, quod refert Gesn., *Elates*, non equidem dixerim. Saltem nihil notavi; sed potuit obrepere incuria. Iam *Eleites* non solum *propius* (ut ait Harles V. C. Fabr. Bibl. II, 776) *abest a vera scriptura*, sed ipsum verum est, modo attendas *ae* in MSS. eius temporis fere esse *e*, vel repetas a Graeculorum frequentissimo errore, Ελέα scribentium pro Ελαία, qui est ipse apud Suidam, in voce Αλκιδάμας, et Eudociam pag. 56. Proba forma ab Ελαία est Ελαίτης; vid. Steph. Byz. in voce Ελαία. Adest ei analogia in ceteris a terminatione αία gentilibus retinens plerumque ῐ̃ωτα primitivi. Sic Ανακῖται apud Thucyd. III, 19, quum apud Steph. Byz. obliteratum sit ῐ̃ωτα prius, observante recte Berkelio. In ipsis etiam, syllaba εὺς terminatis, gentilibus non infrequens duplex ῐ̃ωτα ut Thucyd. I, 13 extr. MSS. margo dat Φωκαιεῖς. Et Steph. Byz. in v. Νικαία: Νικαιεὺς καὶ Νικαεὺς, διχῶς. Magis tamen usurpata geminatio literae ῐ̃ωτα in illis ίτης. Quare fortasse non persanavit magnus Casaubonus locum Athenaei Dripn. pag. 592, pro Αλκιδάμας ὁ Λαΐτης reponens Αλκ. ὁ Ελαΐτης, quum deberet ὁ Ελαίτης. In nummis quidem duplex ῐ̃ωτα neque in Elaeensibus

λέγοντα οὐκ ἴσμεν τέχνη, ὥστε δοκεῖν (ubi δοκεῖν aut expungere aut in ποιεῖν mutare iubet Heindorfius, Collega coniunctissimus; rectissime ut quidem videtur) φαίνεσθαι τοῖς ἀκούουσι τὰ αὐτὰ ὅμοια καὶ ἀνόμοια, καὶ ἓν καὶ πολλὰ, μένοντά τε αὖ καὶ φερόμενα. Designari philosophum aliquem ex disciplina Eleatica, Xenophanis, Parmenidis, Zenonis, Melissi, manifestum est, puto. Zenonem autem a Platone intellectum esse, narrat Diogenes Laërt. IX, 25: ὁ δ' αὐτὸς (sc. Plato) ἐν τῷ σοφιστῇ καὶ Ελεατικὸν Παλαμήδην αὐτὸν (Zenonem) καλεῖ. Haerent. VV. DD. in verbis ἐν τῷ σοφιστῇ, nihil tale ostendente hoc Platonis Dialogo, qui inscribitur Sophistes. Sed vide, an recto loco reponam haec verba. Sequitur enim apud Diog. φησὶ δὲ Αριστοτέλης εὑρετὴν αὐτὸν (Zenonem) γενέσθαι διαλεκτικῆς, ὥσπερ Εμπεδοκλέα ῥητορικῆς. Cum hacce sententia confer mihi, sis, alterum eiusdem Diogenis locum VIII, 57 modo citatum ad §. 8: Αριστοτέλης — ἐν τῷ σοφιστῇ φησι πρῶτον Εμπεδοκλέα ῥητορικὴν εὑρεῖν. Ζήνωνα δὲ διαλεκτικήν. Iam tibi, spero, persuadebo, τὰ: ἐν τῷ σοφ. etiam IX, 25 esse referenda ad Aristotelem, non ad Platonem, quamquam paene necessarius erat librariorum error, librum Aristotelis deperditum ignorantium, Platonis autem, sibi notiorem, alieno loco inculcantium. Postquam igitur verba haec cesserunt Aristoteli, non erit violenta totius loci Diogeniani emendatio talis: ὁ δ' αὐτὸς ἐν τῷ Φαίδρῳ καὶ Ελ. Π. α. κ. φησὶ δὲ Αριστ. ἐν τῷ σοφιστῇ εὑρετὴν κ. τ. λ. Obliterabatur verum Platonici dialogi nomen, postquam alienum ex vicinia pedem in-

ipse composuit; et pro se dixisse optime est creditus:

neque in aliis eiusdem formae saepe reperias, quum vicissim Φωκαιέων, pro Φωκαέων, sit frequens; sed hoc suspicor esse tribuendum ei, quod in forma ἵτης duo deinceps ἰῶτα scribenda erant; in altera sῦς, illud ἰῶτα sequebatur diversa vocalis. Postquam satis operose codd. scripturam defendimus, veramque Alcidamanti patriam assignavimus, quem et Eudocia et Suidas ex Asia, non ex Italia, oriundum fuisse monent diserte; dimittemus, puto, *Eleaten* istum; cum eoque, nisi fallor, ipsum illud de Palamede, qualem Plato appellaverit, loco non invitum cedet. Si enim (id quod apparet ex codd.) Quintilianus ipse *Elaeiten*, non *Eleaten*, agnovit Alcidamantem, qui tandem fieri potuit, ut hunc potissimum in Palamede *Eleatico* significatum crederet a Platone? Nisi forte locum Platonicum ipsum aliter vel legisse vel intellexisse est putandus, ut Ελαιατικὸν Παλαμήδην ibi inveniret, non Ελεατικόν. Sed hoc ne speciem quidem habet ullam. Nimirum, accepto per errorem *Eleate*, pro *Elaeite*, aliquis, qui, Platonici loci pulchre memor, tractaret codicem Quintiliani antiquum, allevit fortasse margini significationem loci istius cf. uot. exeg. Palamedem Eleaten, proprio, non figurato, nomine, invenies apud Suidam.

tulerat. Quin enim Diog. IX, 25 ad hoc de Palamede, aeque ac modo ad illud de statura Zenonis, nominaverit ipsum, ubi hoc dicat Plato, dialogum, nemo dubitabit profecto. Est autem ibi: ἐν τῷ Παρμενίδῃ. Et qui inspexerit Parmenidem Platonis, initio statim habentem sententias a Zenone lectas ex suo libro p. 127 D, E. Bip. X, 73: εἰ πολλὰ ἐστι τὰ ὄντα, ὡς ἄρα δεῖ αὐτὰ ὅμοιά τε εἶναι καὶ ἀνόμοια κ. τ. λ. ne dubitabit quidem in Phaedro eundem designari philosophum, qui, in Parmenide, decreta sua cum Socrate communicet; nisi forte ipse Parmenides Eleates videbitur posse intelligi in Phaedro, quum et ipse in dialogo cognomini mirabiles suas enarret sententias. Velim quoque discere, quo auctore Diogenes hoc narret de Zenone potius, quam Parmenide, Palamedis nomine appellato. Poterat ipsa alliteratio suadere hanc denominationem in Parmenide, de quo et Tiedemannus cogitat in Argumentis Platonicis p. 378. Attamen facile credam Diogeni; Quintiliano non item, qui unde resciverit hoc quod tam fortiter asseverat, nondum invenio. Sin ipse est expiscatus, erravit. An totum hoc: *quem — appellat* glossema est ex margine invectum? Vid. not. crit. Palamedem dicendo, summam Plato significavit hominis versutiam, et stupendas plane praestigias. Alcidamas, Elaea orinndus, urbe Aeoliae ad litus maris Aegaei, rhetor antiquus, Ciceronе auctore, Gorgiae discipulus.

*Antiphon*) Primus fuit λογογράφος, h. e. qui conscriptas a se orationes iudiciales venderet litigatoribus, quod narrat Ammianus Marcell. XXX, 4, pag. Bip. 221. Magistrum etiam rhetorices prodit, inter alios, Socrates apud Platonem in Menexeno ubi eius institutionem vilipendit prae Aspasiae p. 236 A. Bip. vol. V, p. 277. Eius Artem oratoriam tribus constitisse libris e Grammatico Mss. in Bibliotheca Sangermanensi, eruit Petrus van Spaan, adolescens sedc-

etiam Polycrates, a quo scriptam in Socratem diximus orationem: et Theodorus Byzantius, ex iis et ipse, quos
12 Plato appellat λογοδαιδάλους. Horum primi communes locos tractasse dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, et Thrasymachus. Cicero in Bruto negat ante Periclem scriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat: eius aliqua ferri. Equidem non reperio quidquam tanta eloquentiae fama dignum: ideoque minus miror esse, qui nihil ab eo scriptum putent; haec au-
13 tem, quae feruntur, ab aliis esse composita. His successere multi, sed clarissimus Gorgiae auditorum, Isocrates, quamquam de praeceptore eius inter auctores

*Ante Periclem*) Guelf. et Turic. *Periclea*, miro consensu omnium, (praeter Goth. et Voss. 2), codd. et ed. Andr.

cim annorum, sed magistro usus et adiutore Ruhnkenio. Huius dissertatio de Antiphonte est in Oratoribus Graecis Reiskianis vol. VII, a pag. 795: *Neminem unquam melius* (Antiphonte), *ullam oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides.* Verba sunt Ciceronis Brut. c. 12, quem locum ob oculos habuit Qu. quum scriberet sua. Thucydides, ipse discipulus Antiphontis (quod refutatis, qui alia narrant, ostendit Spaanius l. c. p. 800 seqq.) praeclaro magistrum encomio ornavit VIII. 68.

*Polycrates — diximus*) Cf. II, 17, 4.

*Theod. Byz.* — λογοδαιδ.) Cf. II, 15, 16. Locus Platonicus est in Phaedro p. 266 E. Bip. p. 364, et videtur habere aliquid poëtici coloris. (Nolim autem *Lysiam* ibi pro *Tisia* poni suadente post Ficinum Gesnero. Antiquiores enim illi omnes, saltem natu maiores, Lysia. Reiicit mutationem Stephanus quoque.) Vtitur eo Cic. Orat. c. 12, quem igitur respiciebat noster. Miror tamen utrumque pluralem dare λογοδαιδάλους, quum apud Platonem sit singularis de solo Theodoro. Verba Platonis, corrupta ipsa, eo solo, quod post Stephanum inserunt ex Codd. λέγειν, persanari vix credo. Fortasse gravius ibi latet vulnus, ut pluralis, quoque fuerit in λογοδαιδάλοις, et plus uno vocabulo interciderit.

*Cic. in Br.*) C. 7.

*Non reperio — dignum*) XII, 2, 22; it. XII, 10, 49 fortiter negat quidquam exstare Periclis. Ei accidit Ruhnkenius in Hist. Crit. Orr. Grr. p. 38 seqq. locupletibus subnixus testibus, sed Cicerone maiorem fidem habente iis, quae Periclis ferrentur Brut. c. 7, et de Or. II, 22. An inter Ciceronis et Quintiliani aetatem deperdita Periclis vera opera? Non puto. Consule de hac dubitatione Fabr. Bibl. Harl. vol. II, p. 746 seq.

non convenit: nos autem Aristoteli credimus. Hinc 14
velut diversae secari coeperunt viae. Nam et Isocratis praestantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere: eoque iam seniore (octavum enim et nonagesimum implevit annum) pomeridianis scholis Aristoteles praecipere artem oratoriam coepit, noto quidem illo (ut traditur) versu ex Philocteta frequenter usus,

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.
*Turpe esse tacere, et Isocratem pati dicere.*

Αἰσχρὸν — λέγειν) Sic versum graecum codd. praeter unum dant, quantum video, omnes, edd. autem meae ante Leidensem omnes; nisi quod pro Ισοκράτην, rectiore forma, pleraeque cum codd. praeferunt Ισοκράτη. Pinus sibi visus est emendare versum inserendo μὲν post σιωπᾶν, neque tamen reficto καί. Huius rationem, septem pedes inducentem pro sex, miro obsequio tenuerunt recentiores, quum codex astipularetur nullus. Nam et Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) omittunt μὲν, neque editionum ulla habet, ut silentium eorum, qui eas cum codd. contenderunt, nulli sit argumento. Britannici codd. soli μὲν habere putandi, si fidele est Gibsoni silentium. Tota orationis forma in hoc versu, sive addito sive omisso μὲν (et ne sic quidem constat metrum), quam sit

*Arist. cred.*) Dixerit hoc diserte alicubi Aristoteles, necesse est; qualem tamen locum in reliquis quidem non reperimus operibus. Sed multi eius interciderunt libri, etiam rhetorici, velut Theodectea, de quibus vide II, 15, 10. Dionys. Halicarn. T. II, p. 94 Isocratis praeceptores prodit Prodicum Cium, Gorgiam Leontinum et Tisiam Syracusanum, de Theramene aliquorum esse opinionem refert. Eosdem memorat Pseudo-Plutarch. p. 836 F. Suidas in v. Ισοκρ. diserte Gorgiam nominat et primum solum, fortasse ex Aristotele, deinde subiiciens, quos praeterea aliqui memoraverint.

*Pomeridianis*) Cf. Gellium XX, 5: Ἐξωτερικὰ (Aristotelis) *dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes* etc. — *conducebant.* — *disciplinae, quam dixi* ἀκροαματικὴν, *tempus exercendae dabat in Lyceo matutinum — illas vero* ἐξωτερικὰς *auditiones exercitiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat — atque eum* δειλινὸν περίπατον *appellabat, illum alterum supra* ἑωθινόν.

*Versu ex Philoteta*) Et hic ante oculos nostro erat Cicero de Orat. III, 35, qui quidem Graeca ipsa non ponit. Idem tangit idem Tusculan. I, 4; Diog. Laërtius V, 3 hoc dicterium in Xenocratem, non in Isocratem, coniectum esse refert, ut igitur ad philosophicas pertineret disputationes, non ad rhetoricas. De versu ipso, qui est tragoediae deperditae, vid. not. crit.

*Turpe — dicere*) Succurrit sponte, quod cum Menagio ad Laërtium l. c. multi admonent interpretes, versiu-

Ars est utriusque, sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Eodem tempore Theodectes fuit, de

dura, sponte intelligitur. Neque tamen sufficit, quod Menagius, Davisius ad Tusc. I, 4, aliique monent, legendum esse Δ. σ. Ι. δ' ἐᾶν λ. ex Laërtio V, 3. Aliud enim est structuram graecam ordiuare, aliud codd. fidem sequi. Habet autem nullus Quintiliani codex δ' pro καί. Iam ipsa haec structurae et metri vitiositas, coniuncta cum iis, quae disputavi in not. ex., facit ut glossema putem graecum versum hoc loco positum, quem ipsum dare nolucrit Qu. Erat autem solemne fere rhetoribus, aliisque etiam scriptoribus, respicere ad eum, qui in proverbium paene abierat. Ita factum ut etiam hic eum significatum a Qu., allineret memoriter, qui tractaret antiquissimum aliquem codicem, male καί effingens ex latino et. Residet altera difficultas. Barnesius fragmentum hoc assignat Philoctetae Euripidis deperdito, nullo tamen demonstrato veterum loco, ubi diserte auctor sit memoratus. Musgravius primus ex eo loco, quem Gatakerus iam demonstraverat, alterum eiusdem fragmenti versum, nostro praemissum, eruit. Plut. adv. Colot. pag. 1108 B, ubi haec, omissis quae inserit Plutarchus: Ὑπέρ γε μέν τοι παντὸς Ἑλλήνων στρατοῦ διαχρὸν σιωπᾷν, plura enim non leguntur, ut altera posterioris versus pars: βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν, adhuc quidem in nullo scriptore graece compareat, sed efficta sit a VV. DD. ex loco Ciceroniano latino de Or. III, 35. Sed ne hoc quidem Plutarchi loco diserte Euripidi tribuuntur hi versus, et possit igitur alius quoque poëtae, velut Aeschyli, esse fragmentum; quae est Gesneri ad nostrum Qu. locum dubitatio. Magnus Valkenaerius, qui fragmentum de industria, quod doleo, non est interpretatus, occasionem pronuntiandi huius in tragoedia Euripidea versus demonstrat Diatrib. in Eur. fragm. pag. 116. Sed protracto ex latebris altero illo versu, quem ipse non videtur animadvertisse, tam bene non procedit ea. Neque ille de auctore dubitat, argumento tamen certo non prolato. Gatakerus (quem ad nostrum locum mira confidentia αὐτολεξεὶ compilat Colomesius, quod huic viro solemne, ut mox §. 17, ad *Theophrastum*, Menagium ad Diog. Laërt.) primus videtur Euripidem agnovisse, quod vel auctore vel argumento non prodens. Turicensis haec est versus scriptura; αισχρον τ ισοκρατην λέγειν.

nem hanc versus Graeci a Quintiliano vix potuisse subiici. Quid autem si graeca potius ista sunt glossema? Quod ut suspicer, non eo solo adducor, quod Graecus versus esse negatur in Voss. 3. Poterat enim ibi Graecis esse relicta lacuna, more librariis eius aevi frequentissimo, qui in vetustis quoque editionibus invenitur, ut hoc ipso loco et semper in Iensoniana. Quamquam a Burmanno significari arbitror, nullum adesse Graeci versus vestigium. Latina si a glossatore essent profecta, verbo finito hunc fuisse usurum existimo, non infinitivo *esse;* neque apparet, quare nullo praeterea loco Graeco tam male sedulus interpres sese prodidisset. Etiam id quod monui, Ciceronis locum ob oculos versatum Quintiliano, me avertit a Graecis hisce veris et germanis credendis.

cuius opere supra dictum est. Theophrastus quoque Aristotelis discipulus de *rhethorice* diligenter scripsit: atque hinc vel studiosius philosophi, quam rhetores, praecipueque Stoicorum ac Peripateticorum principes. Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam 16
plurimi sunt sequuti: cui maxime par atque aemulus videtur Athenaeus fuisse. Multa post Apollonius Molon,

*Praecipueque*) Guelf. *praecipue*. Praestat sane et poterat nasci *que* ex errore male repetentis *pue*. Sic et V, 10, 49, Guelf. cum Aldo.

Cicero posuerat sententiam solam, Latinis verbis expressam, non versum Graecum; idem fecisse Quintilianum puto, a tanto auctore ne in minimis quidem temere defecturum. Erant hoc monendi vel tirones, ne forte quis eorum crederet utrumque sic ut nunc legitur potuisse a Quintiliano proficisci, quod longe est remotum ab eius consuetudine, ipsaque adeo elegantia. De Graeci versus conditione etiam hic, si placet, adi not. crit.

*Supra*) II, 15, 10.

*Theophrastus*) Eius artis, deperditae, meminerunt Diog. Laërt. V, 48, et Scholiastes Hermogenis in Prolegomenis. Praecepta eius rhetorica, libro quidem ipso non nominato, tangit Cic. de Divin. II, 1, et Orat. c. 24; item scriptor περὶ ἑρμηνείας (vulgo Demetr. Phal.) §. 41, 175, 229.

*Stoicorum—Peripateticorum*) Cf. II, 15, 20 seqq. de Peripateticis et §. 35 de Stoicis.

*Apollonius Molon*) Celeberrimus Ciceronianae aetatis rhetor, ipsiusque magister; cf. XII, 6, 7, et Cic. Brut. c. 89 extr. Hunc Alabandis Cariae urbe, ortum, sedem fixisse in Rhodo insula narrat Strabo lib. XIV, pag. 655 et 661, etsi ab Apollonio distinguens, ut eius nonnisi Molonis nomen fuisse significet. Attamen plurimi scriptores (quos videre est ap. Fabr. B. G. Harl. IV, p. 273) utroque nomine appellant, ubi tamen aliquot VV. DD. malint legi: *Apollonius Molonis* (ut Apollonius ille sit Molonis filius) quibus nonnulli astipulantur Codd. (Quintiliani quidem neutro loco ullus). Sed fuit Graecorum (illo quidem tempore) mos ut ipsum patris nomen superadderent filio, cuius rei exempla sunt idonea apud Fabr. l. c. Romanos contra genitivo usos in hac re, negat Salm. ad Inscr. Herod. Att. p. 90. Phoebammon rhetor: καὶ Ἀπολλώνιος, φησὶ, ὁ ἐπίκλην Μόλων ὡρίσατο. Proprie igitur noster audiebat Apollonius, eratque Molonis filius, ut a multis designatur scriptoribus. Neque puto recte Casaubonum Strab. p. 655, et Suet. Caes. 4 exprobrare Quintiliano, quod *Molonem* confuderit cum *Apollonio, Molonis filio*; quamquam Strabo (ll. cc.) videtur fidem facere eius opinioni. Maior est auctor Quintilianus, quam cui in Ciceronis magistro diffidam. Id contra verissime Casaubonus post eumque disertius Wetzelius V. C. (ad Cic. Brut. c. 89) tenere mihi videntur, hunc Ciceronis magistrum diversum esse ab eo, qui Cic.

multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius. Praecipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit: et Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, quum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar. Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde *Appollodorei* et *Theodorei*, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas: quorum diligentissimus in tradendo latine fuit C. Valgius, graece Atticus. Nam ipsius sola

de Or. I, 17 et 28; it. de Inv. I, 56 memoretur Apollonius Alabandensis. Is enim Molone profecto antiquior; neque alius videtur quem Strabo (l. c.) cognominat μαλακὸν, aitque ortu Alabandensem sese contulisse Rhodum. Huius quoque rhetoris magna fuisse videtur existimatio et auctoritas, cuius dictum *negantis quidquam lacryma citius inarescere*, in proverbium abiit. Cic. de Inv. l. c. Idem Partitt. Oratt. c. 17; Scriptor ad Herenn. II, 31; Quintilian. VI, 1, 27; Iul. Severianus p. (Rhett. Pithoei) 312.

*Caecilius*) Siculus, Calactinus, sub Augusto vivens, Dionysiique Hal. familiaris, multorum librorum de rhetorica auctor, religione Iudaeus, narrante Suida. Eius scripta interciderunt omnia. Memoratur in primis Longino eius de sublimitate libellus. Halicarnassenm Dionysium qui ignorant, adeant Fabr. B. G. Harl. vol. IV, p. 382 seqq. Qui praeterea recensentur hac §. de iis vid. II, 15, 14, 23, 35.

*Apollodorus — Theodorus*) Cf. Suet. Aug. c. 89, et Tiber. 57. Mentionem prioris habet Strabo l. XIII, p. 625, ubi et utrinsque sectae meminit; posterioris l. XVI, p. 759. Apollodorum inter Macrobios recenset Lucian. Bip. vol. VIII, p. 128. Eius libros *aridissimos* appellat scriptor dialogi de Orr. c. 19. De Theodoro bene exponit Langbaenius ad Longin. c. 3, 14. Etiam Posidonius, Apamea ortus, dictus Rhodius. Athenaeus p. 252 E.

*Certas — sectas*) Seneca pater Tiberium ipsum appellat *Theodoreum* Suasor. p. Bip. 25, cf. nostr. II, 11, 2. Eius sectarum diversitatis exemplum est apud Senec. Patr. p. B. 149.

*Valgius*) C. Valgius Rufus Grammaticus (cf. not. crit. ad I, 5, 67, p. 134, ubi male *Valerius*, pro *Valgio*) et rhetor, tempore Augusti, cui librum de herbis inscripsit (Plin. H. N. XXV, 2). Recteue an nimis curiose VV. DD. secernant hunc a T. Valgio Rufo, poëta, Horatii et Tibulli familiari, alii viderint. Praenomini T. an C. non multum tribuam, minus tamen argumento Bronkhusiano ad Tibull. IV, 1, 180, negantis quidquam versibus scriptum a C. Valgio ostendi posse. Charisius saltem (ap. Putsch. p. 84), eundem videtur de-

videtur Ars edita ad Matium, quia ceteras missa ad

*Matium*) Iens. (non *Martium*, ut Gesn.) *Matrium*. Volebat *Mattium* haud dubie librarius, ut saepe scribitur. Vid. Scalig. l. in not. ex. c.

signare, cuius et Epigramma et etymon *Solitaurilium*, brevissimo intervallo nullaque memorata diversitate, refert. Consul suffectus noster M. Valerio Messallae Barbato Aemiliano mortuo abdicavit se magistratu, A. V. C. 742. Interpretationem artis Apollodoreae a Valgio conditam citat noster III, 5, 17, et fortasse etiam V, 10, 4. Potest enim altero loco ipsius Valgii opus intelligi.

*Atticus*) Strabo l. XIII, p. 625: (Απολλόδωρος) μαθητὴν ἔσχεν ἀξιόλογον Διονύσιον τὸν ἐπικληθέντα Αττικόν, πολίτην αὐτοῦ καὶ γὰρ σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς καὶ συγγραφεὺς καὶ λογογράφος. Senec. Pat. p. B. 179: *Transcendum quasi donemus, et possimus quidem facere controversiam, sed nolimus — Attico Vipsanio, Apollodori discipulo, placuit.* Horum alteruter intelligatur a Quintiliano, necesse est. Quem Seneca memorat, filius est M. Vipsanii Agrippae, qui T. Pomponii Attici filiam Pomponiam duxerat primis nuptiis. V. Corn. Nep. Att. c. 12. Sed verisimilius, Dionysium Graecum designari, quae est Nicolai Fabri sententia ad Senecam. Senec. Pat. in Suas. II, p. 19, meminit Antonii *Attici*. Sed aliis quoque hoc cognomen inditum fuit fortasse etiam Dionysio, Attici liberto, praeceptori Ciceronis filii (quem cum Dionysio, Ciceronis servo confundit Fabr. non castigatus ab Horl.), cuius frequentissima mentio in epp. ad Att. vid. Ep. 15 l. IV. Eius filium commemorat Seneca pater p. B. 103; quem tamen diversum puto a nostri et Strabonis.

*Matium*) Eundem haud dubie commemorat Plin. H. N. XII, 6, p. Bip. 324, *Divi Augusti amicum* appellans. Eius an antiquioris libri sint, quorum titulos ponit Columella XII, 44, 1, non facile dixeris. Iulii enim Caesaris in primis familiaris itemque Ciceronis amicus fuit C. Matius, quem a nostro secernunt Harduinus ad Plin. et Burmannus ad hunc loc. qui nostri patrem suspicatur. Recte; quoniam maior natu videtur, quam qui potuerit Augusti amicus appellari, etsi cum eo coniunctus etiam post Caesaris mortem vid. Cic. Epist. ad Div. XI, 28. Hanc, quam modo designavi, maioris Matii epistolam (ipsius enim est ad Ciceronem) qui legerit, magni faciet hominis cum prudentiam tum fortitudinem, et miram simplicitatem, quale iudicium est Mongalti quoque ad Ep. ad Att. XIV, 1 (Gallic. vers.). Nomine tecto et αἰνιγματώδει Cicero, in epistolis ad Atticum, *Calvenam* cum appellat, quo ex fonte petitos iocos Ep. secundae l. XIV, ingeniosissime explicat idem Mongaltus. Vtriusque horum aetate superiorem, cum Lipsio et Burm. puto, Cn. Matium Iliadis interpretem Latinum et mimiambornm scriptorem, de quo vide Gellium, passim, sed in primis IX, 14. Ipsum hunc Caesaris amicum facit Scaliger ad Varronem de L. L. p. (notar.) 236 Bip. qui multa de eo persequitur. In antiquis aliquot Quintiliani edd. XII, 6, 1 post nomina quaedam pro *multum* legitur *Matius*, ut etiam hic ante quaestoriam aetatem causas orasse dicatur isto loco, quae scriptura non est de nihilo. Apollodorus rhetor ad

Domitium epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoram sunt qui viderint.
19 Romanorum primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius, post M. Antonius inchoavit. Nam hoc solum opus eius, atque id ipsum imperfectum, manet. Sequuti minus celebres: quorum memoriam, si quo loco res poscet,
20 non omittam. Praecipuum vero lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius, dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret,

*In hac materia*) Ita si recte attendi, Guelf., quum plerique et codd. (ut Turic.) et edd. vett. dent *in hanc materiam*. Sed videntur nostram et alii defendere, ut Bodl. Bal. et ed. Andr. quos tacet Gibs. — *Cato — inch.*) Guelf. *Cato M. Ant. ille censorinus inch.* Turbato, ut in reliquis codd. et, ante Regium, edd., ordine; praeter proprios errores, omittendi *post*, et *Censorinus* pro *Censorius*. Ille tamen est reliquorum quoque codicum. Apparet, collocatio verborum quam sit interdum prava in codd. Alm. verum habet ordinem, sed omittit *post*. Turic. sic: *C. M. A. ille censorius inch.*

*Celebres — quor.*) Alm. et Turic. inserunt *dederit*, soli.

Matium, magni sui discipuli amicum, videtur scripsisse artem rhetoricam.

*Domitium*) Hunc puto esse *Domitium Marsum*, Augustei aevi poëtam et scriptorem elegantissimum, cuius aliquoties meminit noster VI, c. 3. Is quum Marsi nomine plerumque celebretur a scriptoribus, Domitius tamen, nullo addito cognomine, appellatur a Philargyrio ad Virg. Ecl. III, 90. Ad hunc igitur (nisi coniectura fallor) scripsit epistolam Apollodorus, quae exstaret, rationem reddens librorum suorum et studiorum. *Missa epistola* ablativus sit an nominativus, equidem non dixerim. *Ipsius* significat cetera Apollodoreorum scripta, quamquam referta praeceptis eius, a discipulis esse condita, non ab Apollodoro ipso.

*Cuius — Hermagoram*) Hic est recentior supra memorato (§. 16). Temni natus, urbe Aeolidis. Laudat eius sententias Seneca pater, *quae auditorem diligentem penitus afficerent, securum transcurrerent*, p. Bip. 190. Eum Suidas ait τελευτῆν πρὸ τῆς ἡλικίας, et idem vult Qu. narrans *esse*, *qui eum viderint*; cf. II, 15, 14.

*M. Cato*) Cf. ad II, 15, 1.

*M. Antonius*) Cic. de Or. I, 47: (Antonius) *unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est*. C. 48 Antonius loquitur: *Ipsa — illa quae in commentarium meum retuli* etc. Apparet, quid sit *inchoavit*.

*Rhetoricos*) Cf. ad II, 15, 6.

et in oratoriis haec minora, quae plerique desiderant, sciens omisisset. Scripsit de eadem materia non pauca 21
Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio: ac-

*In oratoriis* ) Epistol. ad Div. I, 9, poster. part. *Abhorrent* ( libri tres de Or. ) — *a communibus praeceptis.* De Or. I, 6: *repetam — non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum, sed* etc. c. 36 Scaevola Crasso: *De istis communibus*, ait, *et pervagatis vix hac aetati audiendum putas:* II, 3: *Nec — te — frater — rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut eruditam.*

*Cornificius* ) Huius esse libros, qui inscribuntur *ad Herennium*, et Ciceronis operibus solent praemitti, multi putant VV. DD. qua de re consulendus Fabric. Bibl. lat. edit. Ern. vol. I, p. 153 seq. Erat sane oratoriae artis in primis studiosus Q. Cornificius, Ciceronis in Auguratu collega, et amicus; vid. Cic. ad Divers. XII, 17: ( Scripsi ) *cetera quidem fortasse, quae etiam tu concederes: sed proxime — de optimo genere dicendi* ( intelligit Oratorem ad Brut. ) *in quo saepe suspicatus sum, te a iudicio nostro, sic scilicet ut doctum hominem a non indocto, paululum dissidere*; it Ep. 18: *Quod extremum fuit —ad id primum respondebo. Animum adverti enim, hoc vos magnos oratores facere nonnunquam.* Se iuniorem Cornificium significat Cicero ep. 23: *Tuam vicem saepe doleo, quod nullam partem, per aetatem, sanae et salvae reip. gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam id creptum est*; it. Ep. 28: *societatem — tibi mecum a patre acceptam.* Libro Qu. IX, c. 2, et 3, ubi de figuris agetur, mirificam Cornificii rhetoris cum scriptore Herenniano similitudinem observabimus. A Iulio Rufiniano citatur, *Cornificius* in figura, dicta parrhesia, quam verterit *licentiam*, ( qui locus est ad Herren. IV, 36 ), p. Ruhnkenii ed. Rutil. Lup. 219, cf. nostr. IX, 2, 27. Ad *Cornificium* Ciceronis sunt epistolae lib. ad Div. XII, a 17, ad 30. Burmannus Secundus in praefatione editorum a se librorum ad Her., et do Inv. ( L. B. 1761, 8 ) praeter necessitatem videtur abhorrere a Cornificio huius operis auctore credendo, dum nimium tribuit Mario Mattio.

*Stertinius* ) Ab aliis hic rhetor non memoratur, nisi quod apud Senecam patr. Contr. IX, p. 149, est *Maximus Stertinius*, cuius comes fuerit *Syriacus Vallius*; sed ne tuto quidem dixeris, illum fuisse rhetorem. Quem Horatius ridet philosophiam mentitum Sat. II, 3, 33, 296, et Epist. I, 12, 20, vilis videtur fuisse conditionis, in cuius domo nemo potuerit versari; quare diversus profecto ab illo Senecae Stertinio, et liberti-nus fortasse, nomen adeptus a domino.

*Pater Gallio* ) Hunc iterum vide IX, 2, 91, ex quo loco ( collato cum Sen. patr. p. Bip. 159 ) vel maxime apparet eundem esse, quem Seneca pater saepissime memoratum, appellat *Iunium Gallionem*, quique ipsius Senecae filium, philosophi fratrem natu maximum, adoptavit. Fuit amicus Nasonis, teste Seneca patre p. 25 ( Suas. III ), cuius ad eum fortasse est Epistola ex Ponto IV, 11, etsi nil in ea de Gallionis eloquentia, in quo haeret Burmannus. Neque obstare puto, quo minus sit hic Gallio

curatius vero priores Gallione Celsus et Laenas, et aetatis nostrae Virginius, Plinius, Tutilius. Sunt et

*Laenas*) Ita dedi de meo quum ceteri, *Lenas*; sed Popilii apud omnes scriptores sunt *Laenates*, et ille Ciceronis interfector Graecis Λαινᾶς. Codd. hic nulla auctoritas. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) cum Voss. 2, *Lenax*. — *Laenas*. Sic ipse Turic. ex altera collatione, et supra I, 4, 25. *Laenates*, quamquam ne illic quidem in omnibus libris. Altera item collatio in Turic. quoque ostendit *Tutilius*, hac ipsa §.

*Virginius*) Guelf. *Verginius*, cum Alm. Voss. 3, Bern. Eodem modo Guelf. XI, 3, 126. Bern. autem IV, 1, 23. In ceteris locis nihil varie-

Quintiliani, quod dicitur eo prior esse Celsus. Huius aetas non usquequaque est cognita, quam ut Columella, appellans eum *suae aetatis celeberrimum auctorem* (III, 17, 4), ad Tiberii et Claudii adolescentis tempora videtur deprimere, ita ipse cum Themisonem, Asclepiadis (quo magistro et Pompeius Magnus est usus) discipulum, narrat *nuper, sed senem quaedam deflexisse* (praef. p. Bip. 13) longe superiorem facere. Sane est quod dubites Gallionem, Ovidii familiarem, recentiorem Celso agnoscere. Sed et Iulius Graecinus, pater Agricolae, qui Taciti fuit socer, *transcripsit Corn. Celsum* (Plin. H. N., XIV, 4, 5, p. B. 11), unde item peti potest nota temporis. Seneca quidem pater per aetatem poterat videre Ciceronem (praef. Contr. I, p. 63), quidni Celsus prior *scripserit* (nihil enim aliud necesse) Ovidii amico? Saltem vix adducar ut hunc Gallionem, patrem cognominatum, credam, cum Burmanno, Senecae rhetoris filium.

*Laenas*) Vid. X, 7, 32; it. XI, 3, 183. Posteriore loco *Laenas Popilius* appellatur. Qui hunc rhetorem citaret, praeter Qu., inveni neminem. Apparet, eum omnem scripto percensuisse rhetoricam. Fuit ex gente eius, qui, a Ciceronе defensus antea, occidit ipsum. De hoc integra est Senecae patris Controversia XVII (p. 215, seqq. in Excerptt. p. 453). Quo minus eorum, qui sunt apud Cic. Brut. c. 14, 25, 34, sit aliquis, obstat aetas Celsi, quocum coniungitur. De Celso, cf. II, 15, 22.

*Virginius*) Hic est, cuius meminit Tacitus Annal. XV, 71, 6: *Virginius studia iuvenum eloquentia fovebat*. Noster, praeter hunc locum III, 6, 44; IV, 1, 23; VII, 4, 24; XI, 3, 126. Postremo loco *Flavium* (an *Flavum*, ita enim ibi edd. vett. ante Badium Ascensium, ut videntur omnes) appellat, quo ipso apparet, quod sponte credas, diversum esse a Virginio Rufo, cuius frequens apud historicos mentio, vide in primis Plin. Epist. II, 1, et alibi. Tacitus refert Virginium sub Nerone in exsilium actum ob claritudinem nominis, quem locum sanavit Lipsius, pro solita sagacitate, inserendo *et* inter *Virginium* et *Rufum*, ut intelligerentur *et* Virginius rhetor, *et* Musonius Rufus, philosophus, non autem videretur unus homo. De nomine vid. not. crit.

*Plinius*) Historiae naturalis auctor *tres libros* scripsit: *studiosis in sex volumina propter amplitudinem divisos: quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit*; vid. Plinii Epistolas

hodie clari eiusdem operis auctores; qui si omnia com-

tatis commemoratur, neque ipse inveni. Qui praeter nostrum memorant utrumque *Virginium*, Graeci et Latini plerique *e*, non *i*, dant nomini; nisi quod index rhetorum, ab Achille Statio prolatus ex MSS. ad calcem Suetonii de clar. rhet. habet *Virgilium Flavum*, ubi commode Burm. suspicatur legendum, *Virginium*. Alterum nomen *Flavius* legitur XI, 3, 126, in codd. quantum video omnibus; edd. autem vett. pleraeque, ut dixi in not. ex. *Flavus*; et hoc dat index modo laudatus, item vita Persii, a Lipsio e cod. emendata, quam scripturam recepit Reizius (in Persio edito Lips. 1789, 8) quum ceteroqui legeretur ibi *Flaccus*. Id ipsum tamen pro *Flavo*, an *Flavio*, ubique reponi malit Burmannus, ad geminationem duorum gentilium vitandam. *Flavus*, absque *i*, a capillitio inditum cognomen, ut *Rufus*, est aliquot gentium ut Baebiae et Clodiae; quare eos potius errasse puto, qui *Flavium* scriberent quam qui *Flavum*. — *Tutilius*) Sic Guelf. Alm. Bern. cod. ex Hulstiana bibliotheca in Leidensem translatus cum Voss. 1, qui praefert *Tulius*, mero librarii errore omittentis *ti*. Edd. vett. ante Badium omnes, quo accedit Aldina secunda. Ceteri libri, ut et Gesn., *Rutilius*, ubi tamen cum Burm. Gesnerus agnoscit, non esse contemnendam, quam recepimus. Hanc, praeter veterum librorum consensum (qui augeri fortasse poterat, si diligentiores iis conferendis contigissent lectores), persuasit mihi Ruhnkenius, docens (praef. ad Rutil. Lup. 10—16) aetatem Rutilii quum eius, quem vertebat, Gorgiae coniunctam (vid. nost. IX, 2, 102) cadere in Ciceronis senectutem, cum Gorgia praeceptore, sed eodem morum corruptore, uteretur Cicero filius Athenis. Error tamen hic alieno apud Qu. loco reponendi *Rutilium* non unum contaminavit scriptorem veterem, quum Dodwellus in Plinii epistolam, (de qua in not. ex.) vellet immittere *Rutilium*, pro *Tutilio*, et aliquot editores, etiam reclamante metro, Martialis (de quo item not. ex.) versui obtruserint *Rutilium*. Sed ab hoc vitio sibi temperavit Dodwellus (Annal. Quint. §. 29) et P. Scriverius Quintilianum ex ipso Martiale corrigendum recte vidit. *Rutilii* quantitas cognoscitur ex Ovidio Fast. VI, 563: — *Quo properas, memorant dixisse, Rutili?* it. Ex Pont. I, 3, 63.

III, 5, 5. Eum non semel ad partes vocat noster.

*Tutilius*) Celeber eius aetatis rhetor, cuius meminit Martialis in lepido epigrammate ad Lupum, ubi quamlibet conditionem literis tractandis magis docet esse quaestuosam; l. V, 57, 6: *Famae Tutilium suae relinquat*: sc. filius tuus mi Lupe. Hunc ipsum Tutilium nostri fuisse socerum ex Plin. Epist. VI, 32, collegerunt VV. DD. Inscripta ea est Quintiliano in edd. omnibus. Sed rectissime mihi videtur Gedoynus, Francogallicus Quintiliani interpres (praef. p. 45 seqq.), errorem suspicari in isto nomine. Malit ille reponi *Quintiano*, cuius meminerit Plin. Epist. IX, 9. Quamquam ne is quidem, quum (§. 2), *Miseros tueretur* videtur adeo fuisse augusta re domestica, ut in dotem filiae L millia nummum a Plinio acciperet. Sed corruptela nominis in Quintiliano longe manifestior, cuius

plexi forent, consuluissent labori meo: sed parco nominibus viventium; veniet eorum laudi suum tempus: ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.
22 Non tamen post tot ac tantos scriptores pigebit meam quibusdam locis posuisse sententiam. Neque enim me cuiusdam sectae, velut quadam superstitione imbutus, addixi: et electuris quae volent facienda copia fuit, sicut ipse plurium in unum confero inventa; ubicunque ingenio non erit locus, curae testimonium meruisse contentus

II. Nec diu nos moretur quaestio, Quae rhetorices origo sit. Nam cui dubium est, quin sermonem, ab ipsa rerum natura, geniti protinus homines acceperint

*Scriptores*) Guelf. et Turic. *auctores* cum codd. puto omnibus. Voss. enim 1, et 3 *actores*, error est. Edd. contra plurimae vett. ut et Iens. (contra quam narrat Gesn.) *script.* elegantius sane, quum modo fuerit *auct.* §. 21, quod tangit Burm. sed hoccine sufficit contra codd.? — *Plurium*) Voss. 3, *plurimum* cum Gibs. et Obr. et ipso quoque Gesnero, ubi tamen sphalma credo, quod repetierunt Bipontini, quum Burm. det *plurium*, quae est reliquorum librorum omnium scriptura, nisi quod possunt videri Gibsoniani codd. dare, quod est in eius editione dissentiente tamen Leidensi. Sed vera est recepta.

divitias ad caelum fert Iuvenalis VII, 188 seqq. Accedit, monente Gedoyno, quod Prooem. l. VI, noster nullam filiae facit mentionem in comploratione ista suorum; et, quod ille non tetigit, Tutilium socerum profecto non erat neglecturus, in morte praesertim uxoris lugenda. Nisi forte alteram uxorem duxit, ex qua filiam susceperit, quae quum primum nubilis esset facta, in matrimonium cederet Nonio Celeri. Haec est Dodwelli ratio (Annall. Qu. §. 29—32 mira quidem sollertia eruta illa; sed quae tota nitatur Pliniana epistola. Ei tamen obstat tum paupertas ista vix credibilis Quintiliani, tum id quoque (et urget hoc Baelius Quint. lit. C.), quod nulla ibi fit mentio disciplinae Quintilianeae, cui traditus fuerit Plinius, qua de re constat ceteroqui (Plin. Epp. II, 14, VI, 6, 3). Sic, quare hanc Gedoyni coniecturam, quae omnem eximit scrupulum, tantopere aversemur (vid. Gesn. praef. Qu. §. 11) non equidem video, eaque acquiescere malim profecto, quam secundas (an priores etiam, cum Nic. Antonio?) nuptias, filiam, paupertatem Quintiliani operose comminisci. Vetus quae solet editionibus praemitti Quintiliani vita, habet quidem ea huius filiae mentionem; sed quae sit eius auctoritas, non intelligo.

(quod certe principium est eius rei), huic studium et incrementum dederit *utilitas*, summam *ratio* et *exercitatio?* Nec video, quare curam dicendi putent quidam inde coepisse, quod ii, qui in discrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui, defendendi sui gratia, instituerint. Haec enim, ut honestior causa, ita non utique prior est: quum praesertim *accusatio* praecedat *defensionem:* nisi quis dicit, etiam gladium fabricatum ab eo prius, qui ferrum in tutelam sui, quam qui in perniciem alterius, compararit. Initium ergo dicendi dedit natura: initium artis, observatio. Homines enim, sicut in medicina, quum viderent alia salubria alia in- 2 3

*Quod certe — rei*) Frigere videtur haec parenthesis. Si enim *nemini dubium, quin — acceperint*, est sane hoc, *eius rei principium*. Quamquam *principium* h. l. est oppositum *perfecto operi*, et *certe* valet *saltem*. Paulo tamen concinnior videtur ratio, si *quum* inseratur post *quin*, a quo ipso haustum fuerit illud (*quum* saltem solet intercipi a praecedente *qui*, vid. Drakenb. ad Liv. Epit. LVIII, cui simillimum *quin*). Sic erat, quare repeteretur sententia in parenthesi, quae modo nonnisi oblique fuisset significata; et *huic* quoque aptius, post coniunctionem *quum*, quam si ἀσυνδέτως iungitur praecedenti sententiae, intellecto *et* vel *autem*. — *Summam*) Guelf. *summa* cum Iens. (tac. Gesn.) Turv. et aliquot aliis, quod inveniebat Regius, qui correxit; necessario. Videntur addicere, praeter Goth. qui habet receptam, multi, saltem Britannici; non refert, in summa facilitate erroris. Vid. de *summa* substantivo ad I, Prooem. 19. Turic. *sumam*, alt. coll.

*Comparavit*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *comparavit*, ut edd. meae a Gryphio ad Obr. omnes, cum codd. Britannicis, ut puto, aliisque multis. Cod. Turic. Alm. et edd. ante Gryph. omnes receptam, meliorem

*Quod certe — rei*) Vid. not. Crit.

*Putent quidam — instituerint*) Qui hoc diserte dixerint, non invenio. Neque enim Pinus, qui Ciceronem hic, suppresso, ut fere soleat, nomine, notari a Quintiliano monet, locum ullum designat, ubi talis opinio legatur in huius scriptis, neque ipse memini. Brut. c. 12 de primordiis artis rhetoricae in Sicilia, huc nequaquam pertinet. Ne illud quidem huius loci puto, quod videtur communi opinione receptum fuisse, feritatem et violentiam hominum agrestium mansuefactas esse dicendo, quod copiose persequitur Aristides contra Platonem, p. 48 seqq. (tom. II, ed. Iebb.) ubi haec v. c. ἀρχὴ μὲν οὖν αὕτη καὶ φύσις ῥητορικῆς καὶ βούλημα τοῦτο, σῶσαι πάντας ἀνθρώπους καὶ τὸν βίαν διὰ τῆς πειθοῦς ἀπώσασθαι. Ea ipsa iam significarat noster II, 16, 9. Cicero autem de Inv. I, 2. De Or. I, 8. Ciceronem, ut et

salubria, ex observatione eorum effecerunt artem: ita, cum in dicendo alia utilia alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandumque, et quaedam, secundum rationem eorum, adiecerunt ipsi quoque: haec confirmata sunt usu: tum, quae sciebat quisque, docuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium ac legum latoribus dedit: in quibus fuisse vim dicendi necesse est: cur tamen hanc primam originem putet, non video; quum sint adhuc quaedam vagae et sine urbibus ac sine legibus gentes, et tamen, qui sunt in his nati, et legationibus fungantur, et accusent aliqua ac defendant, et denique alium alio melius loqui credant.

III. Omnis autem *orandi ratio*, ut plurimi maximique auctores tradiderunt, quinque partibus constat, *inventione*, *dispositione*, *elocutione*, *memoria*, *pronuntiatione* sive *actione* (utroque enim modo dicitur). Omnis vero sermo, quo quidem voluntas aliqua enuntiatur, habeat necesse est et *rem*, et *verba*. Ac, si est brevis, et una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, et quo modo dicamus, sed etiam

sane. — *Originem putet*) Turic. *putem* cum Alm. quod recepit Obr. Non male.

*Maximique auctores*) Guelf. *m. oratores*. Solus; quantum video. — *Omnis vero*) Guelf. *Omnis enim*. Non displicet, quum languerat recepta: *Omnis autem — Omnis vero*. Neque locus est oppositioni, quam habet *vero*. Exspectabas causam sic dividendae *orandi rationis*, quam praestat scriptura *enim*. Poterat alienum videri hoc, quia modo praeces-

alios scriptores summos, ubi ab eorum sententia recedat noster, non utique taceri, multis exemplis manifestum est, ut mox in hac ipsa re §. 4.

*Cicero*) Loca vide in nota proxima. Improbat tamen Qu. ea maxime, quae leguntur *de Inv.* Altero enim loco nihil fere, nisi quod ipse dixit, defenditur; de *origine* non agitur.

*Omnis vero*) Vid. not. crit.

*Rem et verba*) Describit *inventionem* et *elocutionem*.

quo loco: opus ergo est et *dispositione.* Sed neque omnia, quae res postulat, dicere, neque suo quaeque loco, poterimus, nisi adiuvante *memoria:* quapropter ea quoque pars quarta erit. Verum haec cuncta cor- 3
rumpit ac propemodum perdit indecora, vel voce vel gestu, *pronuntiatio.* Huic quoque igitur tribuendus est necessario quintus locus. Nec audiendi quidam, quo- 4
rum est Albutius, qui tres modo primas esse partes volunt, quia *memoria* atque *actio* natura, non arte, contingant (quarum nos praecepta suo loco dabimus), licet Thrasymacus quoque idem *de actione* crediderit. His adiecerunt quidam sextam partem, ita ut inven- 5
tioni *iudicium* subnecterent, quia primum esset *invenire,* deinde *iudicare.* Ego porro ne invenisse quidem credo eum, qui non iudicavit: neque enim contraria, com-

serat, *utroque enim.* Sed hoc negligendum, quippe in parenthesi positum, qualem typis quoque exprimere satius duxi. Solus tamen *enim* dare videtur Guelf. — *Est et disp.*) Sic Guelf. et Goth. cum iis, quos designat Gibs. et edd. ante Gryph. meis omnibus. Is cum aliquot ante Gibs. omittit *et.*

*Ea quoque p.*) Goth. Voss. 2 cum edd. ante Gryph. omnibus, praeter Aldinam utramque omittunt *quoque.* Placet; nimium enim geminatur. Retinet tamen Guelf.

*Haec cuncta*) Goth. (tac. Gesn.) *haec omnia*, solus.

*Trib. est necess.*) Goth. (tac. Gesn.) commodiori ordine *necess. trib. est*, quem habent ante Stoerium omnes meae, et reduxit Rollinus. Sed Guelf. receptum. — *Volunt*) Goth. (tac. Gesn.) *voluit* cum Voss. 1, 3, non memorato Voss. 2, quod miror. Male. — *Crediderit*) Non dubito quin vera sit scriptura edit. Colinaei et Marg. Basil. *tradiderit*, etsi in codd. videtur reperiri nullis; *de actione idem credere* parum credo latinum; et unde rescivit Qu., eum *credidisse*, nisi *tradiderit*? cf. not. crit. ad I, 10, 17, *tradatur.*

*Neque en.*) Sic Guelf. Ceteri *nec en.* Cf. not. crit. ad II, 11, 3.

*Quarum — dabimus*) Hoc ipso, quod *praecepta* est daturus, revincit eorum opinionem, qui *arte* contingere eas negabant. Fiet hoc l. XI, c. 2, et 3.

*Trasymachus*) Cf. III, 1, 10. Potuit hoc dicere in τέχνῃ ῥητορικῇ, quam ei tribuit Suidas, in loco erroribus non carente. Non unum eius librum exstitisse, demonstrat Cic. Orat. c. 52; vid. not. crit. *crediderit.*

*Iudicavit*) Malim *iudicarit.* Libri nihil variant; cf. I, 2, 2, *comparavit.*

*Communia*) Recte monet Gesn. intelligi ea argumenta, quae utrique

munia, stulta *invenisse* dicitur quisquam, sed *non vi-*
6 *tasse*. Et Cicero quidem in *Rhetoricis* indicium subiecit inventioni: mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum (nam neque *dispositio* sine eo, neque *elocutio* fuerit) ut *pronuntiationem* quoque vel
7 plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in *Partitionibus oratoriis* ad easdem, de

litigatorum possint inservire. Sic et VI, 5, 2. (Integrum autem illud caput est *de iudicio* et haec nostra fere repetit). Haec ἀντιστρέφοντα alias vocari ait idem, de quibus vide Gellium V, 10, ubi Euathli praestigiae. Κοινὰ eadem prope significatione Arist. Rhet. II, 22, 12, nisi quod in demonstrativo solum genere.

*Cicero — in Rhetoricis*) Solus hic rectum vidisse videtur, qui primus locum tractavit, Regius. Alios illos Ciceronis libros, quam quos vulgo *de Inventione* appellamus, designari, nemini, si sapimus, credemus; quum constans Quintiliani aliorumque veterum usus repugnet, hos solos *Rhetoricos* vocantium. In quibus quum haec, quae tangit Qu., frustra quaerantur, relinquitur ut interciderit operis pars, quae contineret ista. Neque ceteroqui dubium est, quin imperfectum ad nos pervenerit illud, quod unicuique extremum librum secundum legenti incurrit in oculos. Ipsum quidem scriptorem telam non pertexuisse sed librum, ut se indignum (qualem tum, quum scribebat, profecto non putabat), omisisse, temere sibi persuadent quidam. Nonnisi prava interpretatione eo trahas De Or. I, 2 init. vid. Fabr. bibl. lat. Ern. I, 145. Quum igitur *inventionem* prioribus duobus libris tractasset, in sequentibus videtur transiisse ad *dispositionem*; ita tamen, ut negaret de *iudicio* seorsim opus esse praecipere, quod *subiectum* esset *inventioni*. *Subiiciendi* significatio sane et hic retinenda est ea, qua generi species dicitur *subiecta*. Aliud est *subiungere* (§. 10) *subnectere* (§. 5), aliud *subiicere*. Illo faciendo rem *subiunctam*, *subnexam*, ponimus ipsam post praecedentem, ut alteram speciem; hoc eam praecedenti, tanquam genere, comprehensam demonstramus, ipsamque interdum etiam omittimus. Exempla apud nostrum I, 4, 20, ubi vid. not. crit. *species*. III, 3, 9; III, 8, 26, 52 etc. Apud. Cic. de Or. I, 42; De Off. I, 27; Top. c. 8; De Fin. II, 4. Neque putes, *sex eloquentiae partes factas* exprobrari Ciceroni, verum illud reprehendi, quod *iudicium* magis cum *inventione* coniunxerit, quam cum ceteris partibus. Fateor tamen, in sequentibus etiam *numerum* ipsum eloquentiae partium auctum a Cicerone in *Rhetoricis* significari, quoniam *quinque* partes, in aliis eiusdem libris agnitae, opponuntur. Haec autem ut existat sententia, mutatione opus esse existimo, ut pro *subiecit* legatur *subiunxit*. Solos *de Inventione* libros in hoc ipso loco agnoscendos recte tenet Burm. in praef. ed. Lugd. Bat. Rhetorr. ad Herr. etc. 1761 p. 10; cf. not. crit. ad *Idem in Oratore*.

*Partitt.*) C. 1, §. 3. De iudicio ibid. c. 3, §. 8, c. 17, §. 58; Or. c. 15,

quibus supra dictum est, quinque pervenit partes. Nam quum dupliciter primum divisisset, in inventionem atque elocutionem: res ac dispositionem inventioni, verba et pronuntiationem elocutioni dedit: quintamque constituit, communem, ac velut custodem omnium, memoriam. Idem in *Oratore*, quinque rebus constare eloquentiam dicit: in quibus postea scriptis certior eis sententia est. Non minus mihi cupidi novitatis alicuius 8 videntur fuisse, qui adiecerunt *ordinem*, quum dispositionem dixissent: quasi aliud sit dispositio, quam rerum ordine quam optimo collocatio. Dion non inventionem

*Quintamque constituit*) Turic. *quintam quoque constituit* cum multis et codd. et edd. Guelf. dat *quintam* solum.

*Idem in Oratore*) Guelf. *Idem cum in oratore.* Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *Item in oratore*, cum edd. ante Stoerium omnibus, qui primus *Idem.* Sed est error in laudando libro; vid. not. ex. Etsi enim in *Oratore* ipso cap. 14—17 init. percenset eloquentiae partes, fit tamen illud obscurius et desideratur numerus earum, qui in altero loco est expressus: quare erratum puto, non quidem ab ipso, sed a librariis, qui inter *in* et *Oratore* omiserint haec, *libris de*, quomodo solet designare hoc Ciceronis opus, quum ipsum diserte commemorat; cf. II, 12, 5; III, 4, 2; X, 5, 2. Sic scriptum fuisse, etiam hoc suadet, quod sequitur, *in quibus.* Hoc enim nonnisi conferte retuleris ad duo ista scripta Ciceronis, *Partitiones* et *Oratorem.* Neque obstat quod IX, 3, 90, *Oratorem postea scriptum* appellat. Ibi enim cum libris de Oratore comparat, hic cum Rhetoricis. Apparet tamen hoc ipso tanto manifestius, in *Rhetoricis* ullum aliud opus, quam *Inventionis*, nequaquam posse intelligi; ut mireris Gesnerum agnovisse locum a Quintiliano improbatum in *Oratore* (putat enim in *Rhetoricis*, §. 6, respici *Oratorem* cap. 14, 15) quo ipso libros *de Oratore* post *Oratorem* scriptos facit, turbatis temporum rationibus. Quomodo vera scriptura in vitio isto Guelf. *cum* lateat, equidem non exputo. Etiam Turic. *idem in Oratore*, a secunda manu. — *Rerum ordine quam optimo*) Gueff. *rerum in ordinem quam optima* cum Goth. Voss. 2, et Vallensi, ut refert Badius; *rerum ordine quam optima* Iens. (tac. Gesn.) cum edd. ante Bad. omnibus. Videntur abhorruisse editores a structura verbalis casum verbi sibi iungentis: quum enim *res ordine quam optimo collocari* rectissime dicantur, fit inde *rer-*

*In Oratore*) Recte monet Gesn. hoc in libro I de Or. inveniri c. 31 versus fin. non in *Oratore*. Vid. not. crit.

*Rerum — collocatio*) Vid. not. crit.

*Dion.*) Prusensis, ob eloquentiam Χρυσόστομος cognominatus. Huius

modo et dispositionem tradidit, sed utramque duplicem, rerum, ac verborum, ut sit elocutio inventionis, pronuntiatio dispositionis: his quinta pars, memoria, accedat. Theodorei fere inventionem duplicem, *rerum*, 9 atque *elocutionis*, deinde tres ceteras partes. Hermagoras, iudicium, partitionem, ordinem, quaeque elocutionis sunt, subiicit *oeconomiae*, quae, graece ap-

*ordine quam optimo collocatio* item recte. Vide Vossium de Constructione c. 8, pag. Aristarchi 345, et Gronov. ad Liv. XXIII, 35, 7; Cic. de Legg. I, 15, *obtemperatio — legibus*. Codd. h. l. scriptura minus placet, quod *collocari* cum accusativo non struitur. Turic. cum Alm. *r. ordinem q. o.* male imposito apice in *ordine*.

*Tradidit*) Consentiunt mei quidem libri omnes. Malim tamen *tradit*, ut errore non insolito librariorum male fuerit geminata syllaba cf. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 30, 4. Sequitur enim, *ut sit*, pro quo debebat, post praeteritum *tradidit*, esse, *ut esset*; cf. I, 11, 8, *praecipit*. Fateor, modo etiam post *adiecerunt* legi, *quasi sit*, ubi fortasse diligentior Ciceronis ratio postulabat, *quasi esset*. Sed potest hoc ferri, quippe ex ipsius Quintiliani animo dictum, iudicantis *nunc* de ista adiectione, *antea* facta. Nostro loco ordinatio ea, *ut sit*, est ipsius Dionis. Et solent scriptores, quae libris prodita sunt, tanquam nunc demum dicta, commemorare praesenti tempore.

*Memoria*) Cod. Turic. *memoriae*, ubi commodum Sulzbergerus V. C. citat III, 5, 1, *quartam — imitationis*.

*Subiicit oec.*) Ita Guelf. cum Alm., nisi quod is veteri more *subicit*

saltem aetas mirifice convenit cum Quintiliani ipsius. Neque obstat, quod Domitiano invisus, et ipse vicissim infensus, voluntario exsilio urbe abstinuit; quapropter eum Domitiano vivente potuisse commemorari negat Turnebus, eoque utitur argumento amandandi editionem operis Quintil. ad tempora Traiani, a quo plurimi factum Dionem constat. Quod unde arripuerit personatus ille Turnebus, ignoro; id video, nisi vivente Domitiano edita fuerit haec *Institutio Oratoria*, fraudari bonum Quintilianum sola necessitatis excusatione vilissimae adulationis; abhorrere autem ab omni verisimilitudine, foe-

dissimam belluam, quam etiam Martialis conculcaverit mortuam, a tam frugi viro potuisse laudari post mortem. Et poterat commemorare Dionem profecto, quem hoc ipso loco improbaret et paene irrideret. Sed quo in libro haec proposita fuerit a Dione eloquentiae divisio, haereo, nulla usquam commemorata eius *arte rhetorica*. An alius fuit eiusdem nominis? Sed eiusmodi liber cadit sane in hominem, qui frequenter declamaverit Romae aliisque in urbibus. Adeant de Dione tirones Fabr. bibl. Graec. Harl. vol. V, 122 seqq.

*Tradidit*) Vid. not. crit.

pellata ex cura rerum domesticarum et hic per abusionem posita, nomine latino caret. Est et circa hoc quaestio, quod *memoriam* in ordine partium quidam *inventioni*, quidam *dispositioni* subiunxerunt: nobis quartus eius locus maxime placet. Non enim inventa tantum tenere, ut disponamus, nec disposita ut eloquamur, sed etiam verbis formata memoriae mandare

(cf. I, 4, 11). Goth., cum edd. ante Stoerium meis omnibus, *subiecit*. Gibsoni silentio, nullam codd. suorum varietatem afferentis, minus tribuas hoc loco, quoniam ne edd. quidem suarum memorat eas, quae habent perfectum, quum ipse e Leidensi det praesens. Mihi, vel ob ea, quae modo tangebam, potius videtur praesens. Neque enim sic cogor ad subiectum: *Theodorei* intelligere *tradiderunt*, sed *tradunt*.

*Posita nomine*) Guelf. inter haec duo vocabb. *nam nunc non abusive dispensatio*; cum solo, quod sciam, Aldo; sed in utraque editione. Is tamen ponit haec post *caret*. Glossam nemo non agnoscit, quae doceat tirones etiam codicibus diffidere in loco. Quod autem Burm. negat *abusive* dignum esse Quintilianea eloquentia, poterat id ipsum adverbium legere bis apud nostrum VIII, 6, 35, et IX, 2, 35, locis nequaquam controversis, in quibusque ipse Burm. nihil moneat. Regii nota posita est in Burmanni editione, monentis Martianum Capellam *dispensationis* vocabulo uti, Sulpicium Victorem (ap. Pith. pag. 246) *oeconomiam* nonnisi de ordine artificioso usurpare. Eam in meis commentarii Regiani edd. non invenio, cuius vicissim omissa est a Burm. annotatio, aliquid et ipsa monens de *dispensatione*; sed diverso modo scripta in Veneta (1494) quam in ceteris (Loc. Rusc. Bad.). Rursus illud de Sulpicio Victore in Leidensi tribuitur Turnebo, qui tamen Martiani nullam habet mentionem, et ita contaminavit notam istam undecumque arreptam, ut nunc vix possit intelligi. Dicas igitur eiusmodi quid de *dispensatione*, quo vocabulo posset verti οἰκονομία, allitum fuisse margini veteris codicis, quod Guelf. et, quem Aldus expressit, invexerint in ipsam scriptoris orationem. Post *caret*, ubi Aldus habet emblema istud, Iensoniana, quantum video, sola orditur novum caput, pertingens ad finem usque nostri, sed sine inscriptione. Etiam Turic. ex alt. coll. glossam illam Guelferbytanam habet, sed inserto *dicitur* ante *dispensatio*, et in margine. — *Quart. eius loc.*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *quart. ei loc.* cum edd. ante Bad. omnibus, praeter Aldum. Bad. post *quart.* inserit *sit*, cum Cervicorno. Gryphius (1544) et hoc et ante *quart.* item *ut*. A Stoerio inde, inter meas quidem, obtinet recepta, quam et Ald. defendit et cod. Guelf. Verissimam puto, quum *ei* referre ad vocabulum *locus*, ubi intelligas, *datus*, *tributus*, durum videatur et proclivis sit error.

*Per abusionem*) Cf. VIII, 2, 5; VIII, 6, 34; X, 1, 12. De *oeconomia*, vid. I, 8, 9.

*abusio*, *quae* κατάχρησις *dicitur*;

debemus. Hac enim omnia, quaecumque in orationem
11 collata sunt, continentur. Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non *Rhetorices* partes esse existimarent, sed opera oratoris: eius enim esse inve-
12 nire, disponere, eloqui, et cetera. Quod si accipimus, nihil arti relinquemus. Nam bene dicere est oratoris; rhetorices tamen est bene dicendi scientia: vel, ut alii putant, artificis est persuadere; vis autem persuadendi, artis. Ita *invenire* quidem et *disponere*, oratoris; *inventio* autem et *dispositio*, rhetorices propria videri
13 potest. In eo plures dissenserunt, utrumne hae *partes* essent rhetorices, an eiusdem *opera*, an (ut Athenaeus credit) *elementa*, quae vocant στοιχεῖα. Sed neque *elementa* recte quis dixerit; alioqui tantum initia erunt, ut mundi vel humor, vel ignis, vel materia, vel cor-

*Hac enim*) Goth. (tac. Gesn.) *Hac autem* cum Voss. 2, soli meorum. Confusas has particulas videas Cic. de Off. III, 29, 14 ed. Heus. cf. not. crit. ad III, 3, 1. Ne hic quidem displicet Goth. scriptura, ob *enim* modo, hac ipsa §. positum. Neque enim sententia magnopere flagitat *enim*, etsi potest paulo aptius videri, quam *autem*. Hoc quidem explices: *deinceps*, *porro*. — *Rhetorices tamen*) Ita Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2. Ceteri libri, quod sciam, omnes *rhetorice tamen*). Concinnitas postulat genitivum: *oratoris* — *rhetorices* — *artificis* — *artis*. Et librarii ipsi, scribentes *rhetorice*, volebant *rhetoricae*. Cf. similem, sed contrariam, mutationem, aeque necessariam II, 21, 13. — *Propria*) Ita libri plerique, Tarv. quoque, quum Iens. (cf. Fabr. Bibl. lat. Ern. II, 268) et aliquot edd. vett. dent *prima*. Hunc errorem inde repetit Burm., quod Qu. dederit *priva* (vid. de hac confusione Drakenb. ad Liv. XXX, 43, 9). Equidem non puto voce hac usum usquam. Confunduntur enim *proprius* quoque et *primus*; vid. Drakenb. ad Liv. IV, 50, 3. — *Ath. credit*) Etiam hic malis, *tradit*; cf. III, 3, 4.

*Humor — insecabilia*) Cf. II, 17, 38, hic *materiam* tertiam posuit, quum supra eo loco essent *elementa* ex Empedoclis disciplina. Significat autem *materia* nominanda *Aristotelem* ni fallor, qui primus videtur ὕλης vocabulo usus, hoc quidem significatu, quum Plato eandem fere rem aliis nominibus appellarit; quam quam deinceps et Stoici *materiam* alterum agnoverunt principium Laërt. VII, 134. Legitur quidem in Timaeo illo Locrensi frequenter ὕλα, sed eius antiquitati hodie nemo temere fidat.

pora insecabilia: nec *operum* recte nomen accipient, quae nec ab aliis perficiuntur, et aliud ipsa perficiunt. *Partes* igitur. Nam quum sit ex his rhetorice, fieri 14
non potest, ut, quum totum ex partibus constet, non sint partes totius, ex quibus constat. Videntur autem mihi, qui haec *opera* dixerunt, eo quoque moti, quod in alia rursus divisione nollent in idem nomen incidere: partes enim rhetorices esse dicebant *laudativam*, *deliberativam*, *iudicialem*. Quae si partes sunt, materiae sunt potius, quam artis. Namque in his singulis rhe- 15
torice tota est; quia et inventionem, et dispositionem, et elocutionem, et memoriam, et pronuntiationem quaecumque earum desiderat. Itaque quidam genera tria rhetorices dicere maluerunt: optime autem ii quos sequutus est Cicero, genera causarum.

*Nec ab al. — et al.*) Guelf. et Turic. *non ab al. — sed al.* Et sic a Gryphio ad Gesnerum meae omnes, qui nostram scripturam recepit ex Goth. et Voss. 2, sed et Badio et Cervicorno. Vett. edd. reliquae ante Gryph. *nec ab al. — sed et al.* Librariorum erroribus obnoxia est ea structura, ubi *nec* atque *et* iunguntur eo modo, quo alias *et — et*, vel *nec — nec*; vid. Liv. IV, 29, 6 ed. Drakenb. item Cic. de Off. I, 19, 9 ed. Hens. *Non* autem cum *nec*, et *sed* cum *et* saepissime confunduntur. — *Ex quib. constat*) Ita Guelf. et Goth. cum Iens. (tac. Gesn.) sed et edd. ante Gryphium omnibus; accedentibus codd. Bern. et Turic. Recipiendum autem erat pro eo, quod cum Gryphio recentiores, praeter Capperonnerium, habent omnes, *constet*; non quidem quod bis in *una linea* non potuerit *constet* scribi a Fabio, quod magnopere aversatur Capperonnerius, hic iterum (cf. I, 6, 13, *simpliciter*) *Stephanianam* suam laudans, quae praeferat *constat*: sed quod secundo loco verbum habet certae et ab omnibus agnitae rei significationem, cui non convenit subiunctivus. Sed alia est varietas Gryphii sequentiumque ad Obrechtum usque, dantium haec: *ut* (sine *cum*) *t. e. p. o. nisi s.* etc., unde orta, nescio. Cui scripturae congruere codd. Britt. dicas e Gibsoni silentio.

*Genera — genera caus.*) Ita Turic. Goth. Voss. 2, 3; Bern. cum edd.

*Materiae — artis*) *Partes* intellige ad hos genitivos, ne forte accipias eo sensu, quo erant modo §. 12: *oratoris — rhetorices — artificis — artis.*

*Genera — rhetor*) Vid. Aristot. Rhet. I, 3, 1, 3: Εστι δὲ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν. — Ωστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν.

*Cicero*) De Or. I, 31: *Sed causa-*

IV. Sed, tria an plura sint, ambigitur. Nec dubie prope omnes, utique summae apud antiquos auctoritatis, scriptores, Aristotelem sequuti, qui nomine tantum alio *concionalem* pro deliberativa appellat, hac
2 partitione contenti fuerunt. Verum et tum leviter est tentatum, cum apud Graecos quosdam, tum apud Ciceronem in libris de oratore, et nunc maximo temporum nostrorum auctore prope impulsum, ut non

Iens. Tarv. Loc. Venet. Rusc. Recentiores, ut Gesn. (sed hic uncis appositis ad pronomina) *genera ea — qui gen. caus.* Quam scripturam qui videntur defendere codd. fortasse negligentius sunt collati. Vtrumque quidem pronomen nulla praefert editio ante Basil. (1541). Ald. retinens *ea* omittit *qui*; et haec, si rectum vidi, est ratio Guelf. Vicissim expuncta *ea* habet *qui* Bad. cum Cervic. Neutrum necessarium.

*Tantum alio*) Guelf. *tamen al.* cum Goth. et Voss. 2, quod verum puto. Edd. quidem omnes receptam. Frequentissima confusio II, 15, 14.

*rum* (pendet genitivus a sequenti *partim*) — *partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus: esse etiam genus tertium* etc. Topic. c. 24: *Tria sunt igitur genera causarum.*

*Aristot. — concionalem*) Dicas ex hoc Qu. loco, Aristotelem id genus causarum, quod reliqui appellent συμβουλευτικόν, solere vocare ἐκκλησιαστικόν. Frustra tamen id nominis quaeras apud eum. Neque abhorret ab illa συμβουλευτικοῦ appellatione, ut modo vidimus. Scriptor autem Rhetoricae ad Alexandrum, quem mox diversum ab Aristotele non uno argumento suspicabimur c. 2 init. δημηγορικόν in divisione ponit, pro συμβ. quamquam ne hoc quidem κατὰ πόδα vertitur per *concionale*. Et hoc prope vocabulo (δημηγορικὸν enim dicit et δημηγορίαν) utitur ipse Aristoteles. Rhet. I, 1, 10; III, 14, 11. *Concionis* mentio apud eum fit I, 3, 2, ubi auditorem oratoris dispescit in θεωρὸν et κριτήν, κριτὴν autem in ἐκκλησιαστὴν et δικαστήν. Cuius loci si memor fuit Qu. quum haec scriberet, paulo plus quam debebat inde collegit, memoria fallente; quod equidem miror in tam diligente Aristotelis lectore.

*Apud Ciceronem*) Locus est II, 10 seq. ubi Antonius, si quis *laudandi* faciat proprium genus (sic enim, *demonstrativum*, solebat appellari), quotcumque dicendi occasiones existant, tot, ait, constitui genera eloquentiae; cf. ei. lib. c. 8, 4 init. Eo tendit igitur haec generum simulata multiplicatio, ut, praeter *deliberativum* et *iudiciale*, ullum aliud esse genus negetur. *Graecorum* aliquot, qui similia senserint, ipse mox recensebit.

*Impulsum*) Significatio verbi, quum praesertim opponatur *leviter tentatum*, manifesta. *Impulsum* est, quod quum vehementia et nemine iam resistente persuadetur hominibus, unde natum nostrae vocis interpretamentum, *persuasum*, quod ab Aldo, pro omnium librorum scriptura *imp.*

modo plura haec genera, sed etiam paene innumerabilia videantur. Nam si *laudandi* ac *vituperandi* officium 3
in parte tertia ponimus: in quo genere versari videbimur, quum *querimur*, *consolamur*, *mitigamus*, *concitamus*, *terremus*, *confirmamus*, *praecipimus*, *obscure dicta interpretamur*, *narramus*, *deprecamur*, *gratias agimus*, *gratulamur*, *obiurgamus*, *maledicimus*, *describimus*, *mandamus*, *renuntiamus*, *optamus*, *opinamur*, et plurima alia? ut mihi in illa vetere persuasione per- 4
manenti velut petenda sit venia, quaerendumque, Quo moti priores rem tam late fusam tam breviter astrinxerint? Quos qui errasse putant, hoc sequutos arbitrantur, quod in his fere versari tum oratores videbant; nam et *laudes* ac *vituperationes* scribebantur, et ἐπιταφίους 5
dicere erat moris, et plurimum in consiliis ac iudiciis insumebatur operae; ut scriptores Artium pro solis

*Et plur. al.*) Elegantior est scriptura codd. Alm. et Turic. omittentium *et*. Sic et Ald. (cf. II, 15, 6, *et postr.*)

receptum miror. Exemplo tamen alio, ubi *opinio* aliqua, vel adeo in genere *res*, dicatur primum *leviter tentari*, deinde *impelli*, destituor; quare nec certo demonstrem, unde mutuo sumpta sit imago. Quum agitur de pernicie hominis aut civitatis, tralatitium etiam, ut dicatur *inclinatus impelli*, scil. casurus. Aliquid in eam sententiam habet locus Ciceronis pro Milone c. 13: *Milonis consulatus*, *qui*, *vivo Clodio*, *labefactari non poterat*, *mortuo denique tentari coeptus est*. Sed in nostro loco *tentando* et *impellendo* non quidem *destruitur* aliquid, sed *extruitur* quasi, h. e. asseveratur. Simile etiam dicas, quod in Thesauro Gesnerus affert ex Lucano V, 330: *impulsi* — *praemia belli*, ubi *impulsum bellum* explicat *profligatum*. Si veram locutionis originem demonstravi, Qu. nihil aliud in ea spectavit, nisi *timide conandi* et *vehementer perficiendi* significationem, plane obliterata ruinae imagine. Quod ad *maximum* — *auctorem* attinet, mihi Turnebus, sive quicumque latet sub nomine, satis probat suam rationem intelligendi Pliuii maioris; cf. III, 1, 21. Ceteri non digantur quidquam monere. Neque tamen certa res est.

*Describimus*) Recte monet Almeloveenius ea potestate hoc accipiendum esse, qua Horat. Epist. II, 1, 154: *malo carmine* — *Describi*; de quo videant tirones Clavem Ciceron. Ern. Etiam manifestius hoc altero loco, ubi simili modo geminantur verba V, 8, 2.

6 comprehenderint frequentissima. Qui vero defendunt, tria faciunt genera auditorum: unum, quod ad delectationem conveniat, alterum, quod consilium accipiat, tertium, quod de causis iudicet. Mihi cuncta rimanti et talis quaedam ratio succurrit, quod omne oratoris officium, aut *in iudiciis* est, aut *extra iudicia*. 7 Eorum, de quibus iudicio quaeritur, manifestum genus est: ea, quae ad iudicem non veniunt, aut praeteritum habent tempus, aut futurum: praeterita lau- 8 damus aut vituperamus; de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, ut cuique est animus, laudat aut culpat: ex dubiis partim nobis ipsis ad electionem sunt libera, de his deliberatur; partim aliorum 9 sententiae commissa, de his lite contenditur. Anaximenes *iudicialem* et *concionalem* generales partes esse

*Comprehenderint*) Guelf. *comprehenderent*. Ne sic quidem male. — *Rim. et tal.*) Ita Guelf. et Turic. cum Goth. Voss. 1, 2, 3, Bern, et edd. ante Gryph. omnibus praeter Badium et Cervicorn. qui cum recentioribus omittunt *et*, quod necessarium est, quia etiam prius positam rationem agnoscit Qu.

*Ad electionem*) Guelf. *ad delectionem*. Venet. ad *lectionem* per sphalma. Quid sit, quod Gesn. in margine ponit, *delectationem* sine libri, qui hoc det, significatione, ignoro. Equidem in Goth. nil observavi diversitatis. Et *delectionem* facili scribebatur errore, ob *ad* antecedens.

*Tria — auditorum*) Locum Aristot. vide in nota ad §. 1.

*Ex dubiis partim*) Structura vocis *partim* est tanquam nominis, non adverbii, de qua vid. not. ad prox. caput extremam. Similius etiam est quod e Cic. de Legg. II, 17 affert, quem vide Tursellinus: *Partim ex illis — iacent.*

*Anaximenes — ἐξεταστ. dicit*) Anaximenes, Lampsacenus rhetor et historicus, Diogenis Cynici et Zoili Grammatici discipulus, Alexandri, ut Suidas refert, magister. De hoc ita Dionysius Hal. ad Ammaeum p. 111: Ἀναξιμένης δὲ ὁ Λαμψακηνὸς — καὶ — ἱστορίας γέγραφε, καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεις (an similes τὰς καθ' Ὁμήρου συντάξεσι magistri sui Zoili?) καταλέλοιπε, καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν, ἥπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων· οὐ μέντοι τελειός γε ἐν οὐδεμιᾷ τούτων τῶν ἰδεῶν, ἀλλ' ἀσθενὴς καὶ ἀπίθανος ὢν ἐν ἁπάσαις. Hunc Alexander lacessendi Aristotelis causa impense co-

voluit; septem autem species: *hortandi*, *dehortandi*; *laudandi*, *vituperandi*; *accusandi*, *defendendi*; *exqui-*

uit. Vid. Laërt. V, 10, qui locus male sollicitatus fuit a VV. DD. Huic scriptori quin sit tribuenda *rhetorica ad Alexandrum*, inter Aristotelis libros vulgo relata, nemo facile dubitabit, qui cum nostro loco contulerit, quae leguntur ibi c. 2 init. (pag. Sylburg. 160) εἴδη δὲ τούτων ἑπτά, προτρεπτικόν, ἀποτρεπτικόν, ἐγκωμιαστικόν, ψεκτικόν, κατηγορικόν, ἀπολογητικόν καὶ ἐξεταστικόν. Iste nimius est concentus, quam ut neges hunc ipsum locum obversatum Quintiliano, quum scriberet quae cummaxime tractamus. Quis enim alius rhetor (ut cetera praetermittam) speciem aliquam fecisse traditur, quam appellaret τὸ ἐξεταστικὸν εἶδος? Sed est quod obiicias. Qu. Anaximenem ait *duas* constituisse partes generales. Apud scriptorem *rhet. ad Al.* legis haec: Τρία γένη τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων, τὸ μὲν δημηγορητικόν, τὸ δὲ ἐπιδεικτικόν, τὸ δὲ δικανικόν. Neque sufficit, quod affert Gesnerus, omnia haec, ab auctore in prooemii fine dici, scripta περί τε τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν δικανικῶν παραγγελμάτων. Etiamsi enim confecta esset res de hoc prooemio, ut non est, nova dubitatio existeret de πολιτικῶν καὶ δικανικῶν differentia, cui mox subiungeretur τὸ δικανικὸν γένος tanquam pars τῶν πολιτικῶν λόγων. Nequaquam tamen tanta haec est discrepantia Anaximenis et scriptoris *rhet. ad Al.* quae praegravet Menaechmeam illam in reliquo loco similitudinem. Facile igitur adducor ut accedam non tam Capperonnerio, quam Petro Victorio (auctori aliquanto maiori) suspicanti mendum in loco Quintilianeo, unde exciderit *tertiae* partis generalis mentio, sive *demonstrativam* eam latine appellaverit sive *laudativam*. Quamquam temerarium credo Capperonnerii factum in textum immittentis de suo *demonstrativam*, contra omnes libros, et scriptos et excusos; immutato etiam ordine, quo scilicet magis conveniret Quintiliano cum Anaximene. Sic enim Capp. ex ingenio: A. *concionalem demonstrativam* et *iudicialem g. p. e. v.* Vellicat in emendatione sua mirifice gloriantem Burmannus in Epistola p. 15, 16, qui poterat ei exprobrare ingrate suppressum nomen Victorii, qui dudum proposuerat hanc emendationem in praefatione ad Commentarium Rhetoricae Aristotelis. Ipsam mutationem ne Burm. quidem improbat. Sed a ponenda in textu voce aliqua cautum Criticum debebat avertere, quod neque quo loco ea esset ponenda appareret, neque quae maxime Quintiliano placuisset quisquam certo posset ostendere. Variasse enim videmus nunc *concionalem* dicendo partem, nunc *deliberativam*; nec probat ipse ἐπιδεικτικὸν versum *demonstrativum* (mox §. 13) etsi usui facile cedens. Vt igitur idem audere nolim, ita de mendo obliteratae tertiae partis unice assentior. Neque video, quo argumento Buhlius V. C. (Aristot. Opp. ed. Bip. vol. IV, p. 546) asseveret, Quintilianum *diserte* de *duabus* — partibus loqui. Numerus nullus reperitur in nostro loco, cui si ab ullo Codice adderetur illa tertia pars, sive *demonstrativa*, sive *laudativa*, omnia mire conspirarent in verissimam lectionem. Neque tum ipsum diutius opinionis isti repugnaturum arbitror, qua cum Victorio tot

*rendi*, quod ἐξεταστικὸν dicit: quarum duae primae *de-*

*Quod* ἐξ. *dicit*) Guelf. *quod est* ἐξ. *dicunt*. Etiam cod. Alm. et aliquot edd. interponunt aliquid post *quod*. Alm. *et*; cum Gryph. et Vidov. Ald. cum Basil. *etiam*. Male omnes, pessime Guelf. Natum puto erro-

doctissimi viri libellum Aristoteli abindicatum Anaximeni vindicarunt. Parum huius loci fortasse est ea disputatio. Aliqua tamen in transcursu monebo. ° *Theodecteorum*, si ea habuerunt collectionem artium ab aliis conditarum (quae Buhlii est sententia p. 5), epitome esse nequit *Rhet. ad Al.* quae ne vestigium quidem continet alienorum praeceptorum, sed tota est dogmatica. 2° *Rhet. ad Al.* Anonymus Menagianus non laudat. Litera ή quam pro coniunctione ἤ accepit V. C. numerum designat, non vocabulum. Diversa igitur sunt opera, Περὶ Ἀλεξάνδρου, constans VIII libris, et Περὶ ῥήτορος ἢ Πολιτικοῦ. Sic suum robur constat argumento Victorii, quo *Rhet. ad Al.* inter Aristotelis scripta recenseri negat. 3° Diversam in *Rhet. ad Al.* et Aristoteli ipsius scriptis definitionem τοῦ τεκμηρίου urget Victorius (p. 545 Buhl.). Dissentiunt item in πίστεων generibus constituendis. Arist. Rhet. I, 2, 2 dispescit eas in ἀτέχνους καὶ ἐντέχνους, et, post eum, quis non? Scriptor *Rhet. ad Al.* p. Sylb. 177 in τὰς ἐξ αὐτων τῶν λόγων καὶ τῶν πράξεων καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς ἐπιθέτους. Si quis autem ἀτέχνους et ἐπιθέτους diverso nomine easdem significatas putat, facit eas Aristot. I, 15, 2 *quinque*, Scriptor *ad Al.* l. c. *tres*. 4° Quod autem prooemium libelli, epistolam Alexandro missam, nunc vindicandi nunc abiudicandi Aristoteli operis argumentum faciunt, in eo solus, quid res esset, vidisse mihi videtur Bredovius V. C., qui suam mecum communicavit coniecturam. Suspicatur is, epistolam hanc esse progymnasma, sive μελέτην a seriore quodam in schola rhetore confectam, quae, forte fortuna iuncta huic scripto, artem hanc ad Alexandrum esse missam, primo hominibus persuaserit, eaque ratione titulum libello talem pepererit, nisi forte quum iam crederetur liber ipse esse Aristotelis declamator aliquis praefationem de industria condiderit. Locus ipse, quo utitur Buhlius p. 5, aliqua inde promens ad ordinandos libros Aristotelicos, obscurissimus est et certissime corruptus; talis tamen, qui paululum convellat ingeniosam Bredovii coniecturam. Quae enim ibi legnntur, de Theodecteis et Coracis libro videntur abhorrere ab otioso declamatoris commento. Nisi forte id voluit, qui consarcinavit hanc προσφώνησιν, ut ea videretur omnibus rhetoricis suis ab Aristotele praemissa. Ceteroquin allegoriis et affectata sapientia tam referta est haec epistola, ut sit Sophiste auctore dignissima. Eius νοθεία suboluit Victorio Varr. lectt. XIV, 11, et Heumanno in Fabric. bibl. Gr. Harl. III, 223. Anaximenis esse posse vetat locus de Theodecteis, quae sua vocat scriptor iste. Cf. nos ad II, 15, 10. Eadem ratione epistolam libro *de mundo* praemissam non eius puto, qui librum ipsum scripserit, sed longe vilioris Sophistae.

Ἐξεταστικὸν *dicit*) ἡ ἐξέτασίς ἐστι προαιρέσεων ἢ πράξεων ἢ λόγων πρὸς ἄλληλα, ἢ πρὸς τὸν ἄλλον βίον ἐναν-

*liberativi;* duae sequentes *demonstrativi;* tres ultimae *iudiciulis* generis sunt partes. Protagoram transeo, qui *interrogandi*, *respondendi*, *mandandi*, *precandi*, quod εὐχωλὴν dixit, partes solas putat. Plato in Sophiste, *iudiciali* et *concionali* tertiam adiecit προσομιλητικὴν, quam sane permittamus nobis dicere *sermonicatricem:* quae a forensi ratione disiungitur, et est accommodata privatis disputationibus; cuius vis eadem profecto est, quae dialecticae. Isocrates in omni genere inesse *laudem* ac *vituperationem* existimavit. Nobis et tutissimum

rem, quod volebat primum latt. litt. vocem exarare librarius, quas deinde non erascrit. Sed peior est plerorumque librorum consensus praeferentium *dicunt*, pro eo quod dedi, *dicit*. Mecum faciunt cod. Bal. Ald. uterque et Vidov: soli. Accedunt tamen, leviter tantum diversi, Tarv. Sich. Basil. praeferentes *dicitur*, ut facile ad veram scripturam *dicit* adhaeserit cauda, quae in MSS. passivum designat. *Dicit* tamen solum esse retinendum apparet, quia non *homines vulgo*, sed *Anaximenes solus* hanc τοῦ ἐξεταστικοῦ speciem constituit, et opus erat addere, quod esset potissimum Anaximenis vocabulum, quod *exquirendo* redderet Qu. Si pervulgatum fuit nomen, quare Graecum hoc demum loco posuit? Saltem *Graeci* debebat addi ad illud *dicunt;* cf. §. 12, ubi facile hoc intelligitur ex antecedente *Graeco*. Et plane simili modo mox de Protagora *quod* εὐχωλὴν *dixit*, solus nimirum, non omnes *dixerunt*. Ortum puto *dicunt*, postquam vulgo iam in codd. legeretur *dicitur*. Vicissim *dicunt* pro *dicit* Guelf. dat II, 15, 21, cf. et III, 6, 52.

*Sophiste*) Guelf. *Sophistae*, solito errore. Sed Goth. Turic. et edd. ante Stoerium omnes *Sophiste* non *Sophista*, quod habent recentiores. Praetuli graecam formam, quum affectatio quaedam sit in latina, a qua alienus Qu. cf. I, 5, 59.

*Disiungitur*) Voss. 1, 3, *diiungitur*; cf. II, 15, 2.

*Nob. et.*) Guelf. inserit *autem* cum Goth. Voss. 2, et edd. ante Stoerium omnibus. Elegantius sane omittitur.

τιουμένων ἐμφάνισις. *Rhet. ad Al.* c. 6, p. Sylb. 175, iterum de ἐξεταστικῷ εἴδει agit c. 38, p. 220.

*Protagoram — dixit*) Diog. Laërt. IX, 53: διεῖλε — τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα· εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν.

*Plato*) Bip. vol. II, p. 212. Steph. p. 222: Διττὴν τοίνυν — τὴν ἠμεροθηρικὴν (artem venandorum hominum) εἴπωμεν. — Τὴν μὲν ληστικὴν καὶ ἀνδραποδιστικὴν καὶ τυραννικὴν, καὶ ξύμπασαν τὴν πολεμικὴν, ἓν πάντα βίαιον θῆραν ὁρισάμενοι. — Τὴν δέ γε δικανικὴν, καὶ δημηγορικὴν, καὶ προσομιλητικὴν, ἓν αὖ τὸ ξύνολον, πιθανουργικήν τινα μίαν τέχνην προσειπόντες.

*Isocrates*) Librum illum designat, qui nomen praeferebat Isocratis, sive vere sive falso; vid. II, 15, 4.

est auctores plures sequi, et ita videtur ratio dictare. Est igitur, ut dixi, unum genus, quo laus ac vitupe-
12 ratio continetur, sed est appellatum a parte meliore *laudativum*. Idem alii *demonstrativum* vocant; utrumque nomen ex Graeco creditur fluxisse; nam et ἐγκωμιαστικὸν et ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non
13 tam *demonstrationis* vim habere, quam *ostentationis* videtur, et multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre; nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit Panegyricos
14 ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, et plerumque de utilitatibus Graeciae loquuntur. Vt cau-

*Auct. plures*) Guelf. *auct. plurimos* cum Turic. Bodl. Ioann. Alm. Voss. 1, 3, sed editione, praeter Obrechtum, nulla.

*Nam et ἐγκ.*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *et*. Male, et solus. — *ἐγκ. et ἐπιδ. dicunt. Sed*) Guelf. *ἐγκ. ut ἐπιδ. Sed.* Omissio τοῦ *dicunt* ferri possit; sed reliqua mutatio sine sensu. — *Multum*) Iensonio et Locatello perperam dantibus pro hoc *nihil tamen* (ex male intellecto *tum* tanquam compendio τοῦ *tamen*, ut bene monet Gesn.) accedunt Ven. Rusc. Sed verum dat Tarv. cf. ad III, 3, 12. — *Illo ἐγκωμιαστικῷ*) Guelf. *illo ἐγκωμιαστικὸν*. Cum Tarv. et Obr. Male. Loc. Ven. Rusc. *ἐγκωμιαστικο*, male posito o pro ῷ, vero tamen sensu; quem non attinebat denuo perverti ab Obrechto. — *Forte non ex.*) Guelf. omittit *non*. Male, et solus. *Mutuantes*. Ita scripsi, adhuc quidem codice nullo auctore facto, qui cum edd. plerisque dant *mutantes*. Hoc autem pro *vertentes* dici, qua sola potestate (τοῦ μεταφράζειν, übersetzen) hic posset accipi, equidem non novi. Fateor, pro *ex Graeco*, melius cum *mutuari* coire: *a Graecis*, sed hanc loquendi novitatem facilius feras quam illam. Confusionem *mutandi* et *mutuandi* sponte probabilem, vide apud Drakenb. ad Liv. V, 30, 3, et habemus II, 2, 24, *mutuavimus* pro *mutavimus*. Edidere autem *mutuantes* Ald. Bad. Cervic. Basil. Gryph. Stoer. Chouet. Capp. cum aliquot praeterea, quos ipse oculis non usurpavi, sed recenset Burm. Leidensis nonnisi forte fortuna videtur revocasse vett. editionum, *mutantes*, quam deinceps sequuti sunt recentiores, ut et Gesn.

*Formam suadendi*) Isocratis Panegyricus exemplo est, de quo sic in Panegyrici ipsius argumento H. Wolfius, graece scribendi non imperitus: Μικτός δ' ἐστὶν ὁ λόγος ἐξ ἐγκωμίου καὶ συμβουλῆς. Ορῶντι μὲν οὖν εἰς τὸ τέλος, ὅπερ Φάβιος θεῖν φησίν, ἐπὶ τὸ συμβουλευτικὸν εἶδος ἀνενεχθήσεται· ἦν δὲ Διονυσίῳ τῷ Αλικαρνασσεῖ πειθώμεθα (Art. Rhet. c. 9, p. 57), ἐσχηματισμένον Αθηναίων, συμβουλῆς προφάσει, ἐγκώμιον ὑποληψόμεθα.

*Vt causarum — posita*) Colligit ex iis quae adhuc disputabat, genera

sarum quidem genera tria sint, sed ea tum in *negotiis*, tum in *ostentatione* posita. Nisi forte non ex graeco mutuantes *demonstrativum* vocant, verum id sequuntur, quod laus ac vituperatio quale sit quidque demonstrat. Alterum est *deliberativum;* tertium *iudiciale.* 15 Ceterae species in haec tria incident genera: nec invenietur ex his ulla, in qua non *laudare* aut *vituperare*, *suadere* aut *dissuadere*, *intendere* quid, vel *depellere* debeamus. Illa quoque sunt communia, *conciliare*, *narrare*, *docere*, *augere*, *minuere*, concitandis componendisve *affectibus animos* audientium *fingere*. Ne his qui- 16 dem accesserim, qui laudativam materiam *honestorum*,

*Incident*) Ita Guelf. cum Voss. 2, Bern. et edd. ante Basilcensem (1541) omnibus. Recentiores *incidunt*. Praetuli quod congrueret sequenti *invenietur*, quamquam et pro hoc aliquot libri, *invenitur*. — *Laud. aut vitup.*) Goth. et Iens. (tac. Gens.) *laud. ac vitup.* cum omnibus edd. ante Badium. Nec displicet, quoniam vix continget aliqua causarum species, in qua non sint iuncta haec, sed alterutrum solum sit faciendum. Mox, pro *suad. aut dissuad.* solus Voss. 2, *suad. ac dissuad.* Male, neque accedente Goth. — *Vitup. suad.*) Ita Guelf. cum Turic. Goth. et Voss. 3, (2 non memoratur) sed credo et multis aliis, quos neglexerint, qui contulerunt; edd. saltem ante Stoërium omnibus. Hic primus et deinceps recentiores omnes *aut* inserunt praepostere, quod uncinavit Gesn., omiserunt Bipontini; rectissime.

ea tria, *delib. iudic. laudat.*, subiici partim *negotiorum gestioni* partim *ostentationi*, ut in ipso, quod vocant, *demonstrativo* genere itidem insint tria ista omnia. Hic longe aberrat Gedoynus, qui malè sententiam nostram referebat ad solos Panegyricos, suadente hoc minus apta diremptione. Eam primus emendavit Gesnerus.

*Demonstrat.*) Non displicet h. l. P. Francius coniiciens, *demonstrant.*

*Alterum*) Refer hoc ad §. 12, *unum genus*. Sunt pro parenthesi quae interiiciuntur *idem alii — demonstrat.*

*Laudativam — putant*) Aristot. Rhet. I, 3, 5: Τέλος — τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν (τὰ δὲ ἄλλα τρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει)· τοῖς δὲ δικαζομένοις τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον (τὰ δ' ἄλλα καὶ οὗτοι κ. τ. λ.)· τοῖς δὲ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν (τὰ δ' κ. τ. λ.). Cic. de Inv. II, 4: *In iudiciis, quid aequum sit quaeritur, in demonstrationibus, quid honestum, in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit et quid utile; nam ceteri utilitatis modo finem in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt.* Id. Top. c. 24: *Iudicii finis est ius — Deliberandi finis*

deliberativam *utilium*, iudicialem *iustorum* quaestione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione, quam vera. Stant enim quodammodo mutuis auxiliis omnia. Nam et in laude *iustitia utilitasque* tractantur, et in consiliis *honestas:* et raro iudicialem inveneris causam, in cuius non parte aliquid eorum, quae supra diximus, reperiatur.

V. Omnis autem oratio constat aut ex iis, quae significantur, aut ex iis, quae significant, id est, *rebus*, et *verbis*. Facultas orandi consummatur *natura*, *arte*, *exercitatione:* cui quartam partem adii-

*Tractantur*) Guelf. *tractatur*, cum Goth. (tac. Gesn.) Turic. Alm. Voss. 1, Bern. Male. — *Honestas*) Guelf. *honesta* cum Turic. Alm. Voss. 1, 3. — *Ex iis — ex iis*) Scripsi ita pro *ex his — ex his*, quod post Basileensem pleraeque dant edd. codd. sane multis addicentibus. Sed displicet h. l. pronomen *hic*. Et mecum faciunt edd. ante Basil. omnes, cum Gibs. et Obr. — *item*) Iens. *autem* cum omnibus ante Stoerium meis edd. sed cod., praeter Goth., quod sciam, nullo; et refert hoc scriptor ad numerum ternarium modo positum, ut praestet *item*. Confusa *autem* et *item* vid. apud Heusing. ad Cic. Off. III, 3, 13. — *Debeat*) Sic Guelf. cum Turic. et edd. ante Gryph. omnibus. Hic primus *debet*, quod omnes retinuerunt deinceps. Et adest iis Goth. et fortasse multi praeterea; sed concinnior est nostra scriptura; cf. III, 6, 12: *hoc est quod — debeat*. — *Irruperunt*) Ita Guelf. cum Alm. et Voss. 3, item Obr. Sed Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *irrumpunt* cum Voss. 2, et edd. ante Basil. omnibus. Haec prima *irruperint*, ut omnes deinceps. Coniunctivus alienus; sed et perfectum praestat praesenti. Ex Turic. affertur altera collatione *iruperint*. Sed confer de hoc post *cumque* coniunctivo Bentlei. ad Horat. Sat. I, 10, 88, qui ex poëtis tuetur indicativum.

*Utilitas — Laudationis finis honestas.* Id. Partitt. Orr. c. 4: *Sibi proponet orator — Delectationem in exornatione: in iudicio aut saevitiam aut clementiam iudicis: in suasione autem aut spem aut reformidationem deliberantis.* Bene suam rationem defendit Aristot. l. c. §. 6: περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαιεν — ταῦτα δ' οὐδέποτε ἂν ὁμολογήσαιεν.

*Celeri — ac rotunda*) In *celeritate* est *brevitas* ut videbimus ad IV, 2, 107. Eadem cum elegantia coniuncta est in *rotundis*, quo sensu Graeci usurpant στρογγύλον (vid. I. C. Th. Ernestum in lexico rhetorico.) Similis imago Horatii: *Est brevitate opus ut currat sententia.* Sat. I, 10, 9.

*Aut — aut*) Ne accipe disiunctim positum. Est ut *vel* II, 20, 2. Quamquam exemplo simili destituor.

ciunt quidam *imitationis*, quam nos arti subiicimus. Tria sunt item, quae praestare debeat orator, ut 2
*doceat*, *moveat*, *delectet*. Haec enim clarior divisio, quam eorum, qui totum opus in *res* et in *affectus* partiuntur. Non semper autem omnia in eam, quae tractabitur, materiam cadent. Erunt enim quaedam remotae ab affectibus: qui, ut non ubique habent locum, ita, quocumque irruperunt, plurimum valent. Praestantissimis auctoribus placet, alia in rhetorica 3
esse, quae probationem desiderent, alia, quae non desiderent: cum quibus ipse consentio. Quidam vero, ut Celsus, de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quaeratur, existimant: cui cum maxima pars scri-

*Quaeratur*) Ita Guelf. Verum Goth. cum Voss. 2, *quaeritur*, sed et et Ieus. (tac. Gesn.) cum edd. ante Stoërium omnibus; qui meorum primus coniunctivum dat, nemine iam dissentiente. Recte profecto. — *Constet*) Guelf. *constent* cum Ieus. (tac. Gesn.) et edd. ante Basil. omnibus, exceptis Badio et Cervic. quorum prior, se *constet*, legere, monet lectorem; rectissime ille. — *Illud legale* — λογικόν) Ita Goth. et Ieus. (tac. Gesn. qui post *genus* incidit colo, et omittit *id est*) cum edd. ante Bad. omnibus. Hic cum Cerv. rationem Gesnerianam habet. Cum nostra consentiunt Ald. Basil. Sed Gryphius et sequentes omnes Gesneri scripturam tuentur. Nostram et Turic. habet et Guelf. quoque adiuvat pro *id est* dans *idem*, quod e Vallensi quoque affert Bad., mero librarii errore, frequentissimo illo. Altera scriptura sententiam habet prope ridiculam, si Qu. monet Graecos Graecis vocabulis haec appellare. Sed non est insolitum ei, postquam latine Graecorum vocabula reddidit, subiungere ipsam graecam vocem, ne quis haereat, quomodo tandem Graeci ipsi appellaverint; ubi solet praemittere nunc *id est*, nunc *quod dicitur*,

*Imitationis*) Ad Herenn. I, 21 *Imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse.*

*Subiicimus*) Cf. ad III, 3, 6.

*Cum quibus*) Sic pro *quibuscum* optimi quique scriptores. Priscian. p. (Putsch.) 949: *cum quibus et quibuscum — antiquissimi utrumque dicebant, sed in plurali primae personae, cacephati causa solebant per anastrophen dicere, nobiscum pro cum nobis. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt.* Sed vide *cum quibus* apud Cic. de Off. II, 23, 9, ed. Heus. item Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 9, 2 plurima huiusmodi loca Livii excitantem. Cf. *cum quo* apud nostrum III, 6, 13, 14, 16; vid. nostr. II, 21, 8.

ptorum repugnat, tum etiam ipsa partitio: nisi forte laudare, quae constet esse honesta, et vituperare, quae ex confesso sint turpia, non est oratoris officium.
4 Illud iam omnes fatentur, esse quaestiones, aut *in scripto*, aut *in non scripto*. In scripto sunt *de iure;* in non scripto *de re*. Illud *legale*, hoc *rationale* genus Hermagoras atque eum sequuti vocant, id est νομικὸν
5 et λογικόν. Idem sentiunt, qui omnem quaestionem ponunt in *rebus*, et in *verbis*. Item convenit, quaestiones esse aut *infinitas*, aut *finitas*. *Infinitae* sunt, quae remotis personis et temporibus et locis, ceterisque similibus, in utramque partem tractantur, quod Graeci θέσιν dicunt; Cicero *propositum;* alii *quaestiones universales civiles;* alii *quaestiones philosopho convenientes;*
6 Athenaeus *partem causae* appellat. Hoc genus Cicero *scientia* et *actione* distinguit, ut sit *scientiae*, *An pro-*

*quod vocant*, *quod dicit*. Ponit etiam *id est* ubi Graecis subnectit suam versionem. Cf. II, 15, 2; IV, 2, 21; III, 3, 6; II, 28, 46; I, 8, 16; II, 13, 14; II, 20, 3; V, 1, 1; X, 1, 12, 15, 26; I, 11; VI, 3, 4, 9; X, 3, 6, 27. — Νομ. *et* λογ.) Guelf. omittit *et*, fortasse non male.

*Illud — fatentur*) Solent scriptores artium tractare hanc differentiam *scripti* et *non scripti* in loco de *statibus*, de quibus noster mox, capite sequenti. Vide ad Her. I, 11, 12; Cic. de Inv. II, 40, ad eumque Marium Victorinum p. Pith. 220. De Or. I, 31; Topic. 25, 26; Partitt. Orr. 38, 39; Hermog. περὶ στάσεων p. 12, ed. Coll. All. 1614: ἤτοι δὲ περὶ πρᾶγμα ἔχει τὴν ζήτησιν ἢ περὶ ῥητόν (cuius loco Qu. ponit *scriptum*, *ius*). Κἂν μὲν περὶ ῥητὸν, νομικὴν ποιεῖ τὴν στάσιν — ὢν δὲ περὶ πρᾶγμα, λογικήν. Quamquam hic duplex hoc genus agnoscit in sola *qualitate*, quae *statuum* species secundum pervulgata praecepta, ipsius etiam Qu. Cf. et Curium Fortunatianum p. Pith. 44: *Rationales* (status) *rei alicuius vel facti habent quaestionem*, *legales autem legis et iuris continent disceptationem;* item Sulpic. Vict. p. ibid. 250, quique praeterea in opere Pithoeano.

*Graeci —propositum*) Cf. II, 1, 9.

*Athenaeus partem*) Tale quid Cic. Partit. Orr. c. 18: *Est consultatio quasi pars causae quaedam et controversiae;* it. Topic. c. 21: *propositum pars causae est.*

*Cic. — distinguit*) Topic. c. 21, Partit. Orr. c. 18.

*An prov. — an acc.*) Recte monet Gesnerus haec fere coniungi exempla a Qu. ex argumentatione Stoicorum,

*videntia mundus regatur? actionis, An accedendum ad rempublicam administrandam.* Prius, trium generum, *an sit? quid sit? quale sit?* omnia enim haec ignorari possunt: sequens, duorum, *quo modo adipiscamur? quo modo utamur? Finitae* autem sunt ex complexu *rerum,* 7 *personarum, temporum,* ceterorumque: hae ὑποθέσεις a Graecis dicuntur, *causae* a nostris. In his omnis quaestio videtur circa res personasque consistere. Amplior 8 est semper *infinita:* inde enim *finita* descendit. Quod ut exemplo pateat, infinita est, *An uxor ducenda?* finita, *An Catoni ducenda?* ideoque esse *suasoria* potest. Sed etiam remotae a personis propriis, ad aliquid referri solent. Est enim simplex, *An respublica administranda?* refertur ad aliquid, *An in tyrannide administranda?* Sed hic quoque subest velut latens persona; tyrannis 9

*Rerum*) Sic libri omnes. Francius malebat *locorum* (ob ea quae sunt §. 5, *remotis pers. tempp. et locis*) coniectura neque necessaria, nam possunt esse *loca* in *ceterorum*, et audaci. Est et II, 1, 9 (ut et V, 8, 6), *citra complexum rerum personarumque*; et II, 4, 36 iterum variatum *citra compl. pers. temp. causarum.* Istis *ceteris* quot insint res, vide §. 17.

*Hae ὑποϑ.*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *haec ὑποϑ.* cum Loc. Ven. Rusc., male.

*Tyrannis*) Guelf. *tyrannus* cum omnibus libris et scriptis et excusis, praeter Bipont. et Gesneri ed. qui praeclaram scripturam recepit ex Goth. Accedit huic Turic. si recte tacuit Sulzbergerus. — *In quaest. venit*

qui, quum Sapientem Dei imitatorem constituant, quod providentia agat in mundo regendo, idem esse sapientis contendunt in republica administranda. Manifestum hoc ex locis, quos conferre iubet V, 10, 14, 89; XII, 2, 21. Stoicis decretis favere Qu., non uno loco apparet; cf. II, 15, 20. Similis nota Stoicae disciplinae apud Horat. Epistol. I, 1, 16: *Nunc agilis fio et mersor civilibus undis*, Cicero ll. cc. eodem utens exemplo *actionis*: *Sitne sapientis ad rempublicam accedere* aliud ponit *cognitionis*: *a naturane ius profectum sit, an ab aliqua conditione hominum et pactione* (Top.) et *ius in naturane sit, an in more* (Partitt.) Theon in arte progymnasmatum copiose tractat locum de *providentia* sed sine alterius de republica administranda mentione.

*Prius — sequens*) Etiam has divisiones habes apud Cic. ll. cc. maxime in Partitt. orr. etsi alteram minus claram Quintilianea ratione.

*Uxor. duc.*) Cf. II, 4, 25.

enim geminat quaestionem, subestque et temporis et *qualitatis* tacita vis: nondum tamen hoc proprie dixeris *causàm*. Hae autem, quas infinitas voco, et *generales* appellantur; quod si est verum, finitae *speciales* erunt. In omni autem speciali utique inest
10 generalis, ut quae sit prior. Ac nescio an in causis quoque, quidquid in quaestionem venit *qualitatis*, generale sit. *Milo Clodium occidit: iure occidit insidiatorem;* nonne hoc quaeritur, *An sit ius insidiatorem occidendi?* Quid *in coniecturis?* non illa generalia, *An causa sceleris odium? cupiditas? An tormentis credendum? Testibus an argumentis maior fides habenda?* Nam *finitione* quidem comprehendi nihil non in uni-
11 versum, certum erit. Quidam putant etiam eas posse *theses* aliquando nominari, quae personis causisque contineantur, aliter tantummodo positas: ut causa sit, *quum Orestes accusatur:* Thesis, *An Orestes recte sit absolutus;* cuius generis est, *an Cato recte Marciam*

*qual.*) Guelf. *in quaest. venit velut qual.* Alm. *in quaest. velut qual.* Turic. eadem, sed voci *velut* impositum habet *venit.* Apparet, primum erratum, ut *velut* scriberetur pro *venit*, post dubitatum, utrum verum esset, tandem coaluisse utramque scripturam.

*Sit ius*) Goth. Iens. (tac. Gesn.) *An hoc sit i.* cum Voss. 2, et edd. omnibus ante Cervic. qui omittit *hoc.* Basil. in marg. ablegat. Revocat in textum Gryph. sed Stoërius, cum eoque recentiores omnes omittunt.

*Comprehendi nihil non*) Ita plane Guelf. et Goth. cum Turic. nisi quod hic *comprehendi* dat. Credibile est etiam reliquos codd. idem praeferre, quod in Vallensi diserte commemorat Badius. Edd. quidem ante Ald. omnes, ut et Iens. (tac. Gesn.) *comprehendendi nihil*, absque *non*, quod coniectura, an ex cod. inseruit Regius; rectissime. Alter error ne tangitur quidem a Regio, sed scribit ipse in nota *comprehendi.*

*Qualitatis*) Significatione illa rhetorica accipiendum hoc vocabulum, qua *statum qualitatis* dicimus; cf. III, 6, 10, ubi etiam *coniecturae* exemplum.

*Finitione*) Item rhetoribus appellata; cf. III, 6, 5.

*Cato — tradiderit*) Q. Hortensius, nimius et prope insaniens in admiratione Catonis, quum frustra ex eo petiisset ut Porciam filiam, Bibulo nuptam, divortio facto, sibi concederet, ausus est ipsius uxorem Marciam, Philippi filiam, sibi traden-

*Hortensio tradiderit.* Hi thesin a causa sic distinguunt, ut illa sit *spectativae* partis, haec *activae:* illic enim veritatis tantum gratia disputari, hic negotium agi. Quamquam inutiles quidam oratori putant universales 12
quaestiones, quia nihil prosit, quod constet, *Ducendam esse uxorem*, vel *Administrandam rempublicam*, si quis vel aetate vel valetudine impediatur. Sed non omnibus eiusmodi quaestionibus sic occurri potest; ut

*Oratori putant*) Guelf. *orationi p.* cum Goth. et Iens. (tac. Gesn.) accedd. plurimis codd. et edd. ante Cervic. omnibus, excepto Aldo. Etiam Turic. cod. *orationi.* Sed videntur tueri receptam Bodl. et Voss. 1. Regius coniectura probavit *oratori.* Nec erat quod ei Vallensem cod. *orationi* dantem opponeret Badius, negaretque quidquam interesse ad sensum sive hoc scriberes sive illud. Confusio autem *oratoris* et *orationis* in plerisque casibus obliquis non est infrequens; cf. II, 1, 12, ubi pro *oratorem* dant *orationem* plerique et scripti libri et excusi, tuetur autem receptam Guelf. II, 15, 12 pro *orationis* Guelf. *oratoris*, solus, puto. III, 4, 6 pro *oratoris* Guelf. *orationis* cum Alm. et Bern. et alia exempla.

*Non — ut illis*) Guelf. *n. o. eiusdem q. s. o. p. u. i.* Multi codd. et edd. *in* post *non* inserunt et *eisdem* dant pro *eiusmodi.* Praepostere Alm. cum Turic. *utilis* pro *ut illis*; (cf. Drak. ad Liv. XXII, 50, 1) et *quaestio* pro *quaestionibus.* Alm. *eidem*, sed hoc Turic. imposito compendio syllabae *us* (9). Defendi videtur recepta a tribus Britannicis et Voss. 1. Verissimam credo, neque ipsam praepositionem *in* post *non* a Qu. positam, cui respondisset altera ante illis.

dam rogare, quum fas esse negaret, Catonis illum sanguinem, plus quam humanum, una contineri domo, quam saepius pariendo ad rei tenuitatem esset redactura Marcia, quum sibi concessa suam esset gentem Catoniana virtute imbutura. Neque tam portentosas preces aversatus est Cato, sed consulto patre Philippo eoque consentiente, uxorem, sibi magnopere dilectam et ex se quummaxime gravidam, despondit Hortensio, quo mortuo rediit ad Catonem; vid. Lucan. II, 340 seqq. it. Plut. Cat. min. p. 771. Conferant tirones et Freinsh. in Suppl. Liv. 114, 57, et Schroekhium. V. Cel. in biographia, vol. III, p. 154 seqq. Verissime Lucanus, in hanc ipsam rem, de Catone, *Urbi pater est, urbique maritus*; l. c. v. 388. Rem iterum tangit noster X, 5, 13.

*Spectativae — activae*) Cf. II, 17, 42, it. c. XVIII, 1, 5.

*Quod constet*) Poterat infinitivo quoque uti, *constare*, sed vitavit, quoniam mox itidem infinitivus, *Duc. esse ux.*

*Occurri — ut illis*) Cave referas *ut* ad *sic. Ut* est pro *veluti*, *exempli gratia. Occurri quaestioni* h. l. est *impugnari eam*, *reprehendi*, ne forte quis accipiat *responderi*, quod inter-

illis, *Sitne virtus finis? Regaturne providentia mundus?*
13 Quin etiam in iis, quae ad personam referuntur, ut non est satis generalem tractasse quaestionem, ita perveniri ad speciem, nisi illa prius excussa, non potest. Nam quomodo, *An sibi uxor ducenda sit*, deliberabit Cato, nisi constiterit *uxores esse ducendas?* Et quomodo, *An ducere Marciam debeat* quaeretur,
14 nisi *Catoni ducenda uxor est?* Sunt tamen inscripti nomine Hermagorae libri, qui confirment illam opinionem, sive falsus est titulus, sive alius hic Hermagoras fuit. Nam eiusdem esse quomodo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa composuit, quum, sicut ex Ciceronis quoque rhetorico primo manifestum est, materiam rhetorices in *theses* et *causas* diviserit? quod reprehendit Cicero: ac thesin nihil ad oratorem pertinere contendit, totumque hoc genus quaestionis ad philosophos refert.
15 Sed me liberavit respondendi verecundia, et quod ipse

*Quaeretur — est*) Guelf. *quaereretur — esset*, solus, quod sciam. Male, etsi cum aliqua erroris constantia.

*Rhetorico*) Guelf. *rhetorice* cum Goth., quem falso narrat Gesn. dare *rhetoricae*, etsi hoc voluit librarius, si consulto scripsit; male. — *Respondendi*) Guelf. *Reprehendendi* cum Goth. aliquotque praeterea codd. et edd. post Badium, qui primus dedit, omnibus; exceptis secunda Aldina Colin. et Obrect., retinentibus nostram scripturam. Hanc dant Bodl. Ioann. Bal. Alm. Turic. et edd. quas modo demonstravi plurimas et antiquissimas. Male Badius. Vallensem Codicem receptae ante se scripturae opponit. Ea enim tum repetitionem ingratam (*quod reprehendit*, §. 14) vitat, tum duriorem vocem neque tam religioso Ciceronis cultore dignam *reprehendendi*, ubi *respondendo* poterat defungi Qu. Andreanam *reprehendendi* praeferre dicas e Gibsoni silentio, sed vix credo.

dum apud nostrum quoque significat *occurrere. Quae sequuntur quaestiones eae non sunt eiusmodi, ut possint eodem argumento supervacuae ostendi.*

*Finis*) Summum bonum, ut in operis Ciceroniani inscriptione, *de finibus.*

*Illam op.*) Qua ab oratoris opere segregantur *quaestiones*; cf. II, 21, 22.

*Cic. — primo*) De Inv. I, 6; cf. et nostr. II, 21, 21.

*Respondendi — verec.*) Molliit rem asperam honestioris vocabuli fomento, quoniam Ciceronem impugnat. Nam *respondere* est refragantis ut II, 15, 23, 36: *utrique responsum est*; V, 7, 24: *responderi locis communibus*; IV, 4, 13. V, 13, 46, 49, 50;

hos libros improbat, et quod in oratore, atque iis, quos de oratore scripsit, libris, et Topicis, praecipit, ut a propriis personis atque temporibus avocemus controversiam: *quia latius dicere liceat de genere, quam de specie, et, quod in universo probatum sit, in parte probatum esse necesse sit.* Status autem in hoc omne ge- 16
nus materiae iidem, qui in causas, cadunt. Ad hoc adiicitur, alias esse quaestiones in rebus ipsis, alias, quae ad aliquid referantur: illud, *An uxor ducenda?* hoc, *An seni ducenda?* illud, *An fortis?* hoc, *An fortior?* et simi-
lia. Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgii 17

*Ad hoc*) Guelf. *Adhuc* cum Goth. Voss. 2, 3, Bern. Alm. Turic. et edd. ante Gryph. meis omnibus. Gryph. cum Colin. *ad haec.* Ceteri nostram dant, nisi quod Gesn. habet sphalma *Ac hoc*, male repetitum a Bipontinis. *Ad hoc*, pro *insuper*, scriptoribus familiare ostendit Burm. ad Ovid. Metam. VI, 459, quo h. l. ablegat lectorem. Cf. et Liv. Drakenb. VI, 12, VI, 21, 52; X, 29, 4, 6; it. Flor. Duk. III, 9, 2; noster quoque VIII, 5, 22; XII, 10, 40. *Ad hoc* autem et *adhuc* frequentissime confusa vide item apud Drakenb. ad Liv. XXI, l. c. et iis, quos indicavi nostri locis.

*Ad aliquid*) Ita Guelf. cum Goth. Voss. 2, 3 Bern. Ioann. Turic. et edd. ante Griph., quod sciam, omnibus, Gryph. primus dedit *aliud*, quod recentiores sequuti sunt omnes. Sed *ad aliquid* est legitima in hac re locutio, expressa e Graeco Aristotelis; cf. §. 8; it. III, 6, 24; I, 6, 13. — *Valgii*) Guelf. *Valgi* cum Goth. (tac. Gesn.) Ienss. Tarvis. Ald. An forte sic dedit Qu? ut in nominibus propriis servatus fuerit eo[e] tempore mos genitivorum ab *ius* et *ium* scribendorum, qui in appellativis obsoleverat; vid. de eo Bentlei. ad Terent. Andr. II, 1, 20; cf. I, 7, 19, ubi Guelf. *Lucili.*

IX, 2, 93, et Cic. de Harusp. resp. c. 8, citante Drakenb. ad Liv. XXX, 31, 1, *verecundiam respondendi*; cf. cum *negandi* Prooem. tot. op. §. 3.

*Improbat*) Cf. II, 15, 6.

*In oratore*) C. 14, ubi id ipsum legitur, quod mox refert, *quia — sit.*

*De oratore*) III, 30.

*Topicis*) C. 21 agit de *quaestionibus infinitis*, ut vidimus ad hui. c. §. 5. Praeceptum tale invenio potissimum c. 22 extr. et sequente.

*Hoc genus materiae*) Quaestionum infinitarum.

*Alias — alias*) Eandem partitionem habes apud Cic. Topic. c. 22: *Quum autem quaeritur, quale quid sit; aut simpliciter quaeritur, aut comparate* etc., quae fere repetuntur Partitt. Orr. c. 19.

*Ad aliquid*) Cf. not. crit.

*Valgii*) Cf. III, 1, 18, et not. crit.

discipuli eius utar, ita, *Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quaestionem*: aut, *Causa est negotium, cuius finis est controversia.* Ipsum deinde negotium sic finit, *Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, et non scri-*
18 *ptorum. Causam* nunc intelligimus ὑπόθεσιν, *negotium* περίστασιν. Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, ut Apollodorus negotium. Isocrates causam esse ait *quaestionem finitam civilem, aut rem controversam in personarum finitarum complexu.* Cicero his verbis, *Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum.*

*Intelligimus*) Guelf. *intelligamus*, cum Alm. Voss. 1, 3 Bern. et edd. ante Badium omnibus. (de Iens. tac. Gesn.) Hic receptam dedit, quem imitati sunt deinceps omnes, excepta Ald. sec. Veriorem puto coniunctivum. Solent sic induci interpretationes Graecorum, quasi venia petenda a lectore, apud nostrum (cf. V, 10, 1, ubi legendum *interpretemur*; it. §. 104 ibid.) et Ciceronem, ut de Fin. III, 14. Sed potuit et monere lectorem, qua significatione dixerit, tumque probus indicativus, quem videntur habere edd. Britannici, et habent Goth. Voss. 2. In Loc. Ven. Rusc. errore omissum ὑπόθεσιν, quoniam erat lacuna graeco vocabulo relicta in antiquioribus libris, ut Iensoniana. Tarv. male utroque loco posuit περίστασιν. — *Intelligimus.* Turic. quoque ex alt. coll. *intellegamus.* Ad usum coniunctivi in tali sententia cf. III, 4, 10, *quam sane permittamus.* — *Aggredior*) Goth. (tac. Cern.) *aggrediar* cum Aldo, Basil. Gryph. et aliquot praeterea edd., non vetustissimis illis. Placet, quum videatur pendere a *puto*; neque tamen necessarium; cf. II, 10, 1.

*Omnibus — ad quaestionem*) Non valde clara definitio. In universum hoc apparet, significari *negotium incertum.* Neque tamen intelligo, cur non et id negotium, cuius aliqua pars *non spectet ad quaestionem* (i. e. certa sit, si recte interpretor) *causa* possit appellari. Saltem *quaestionem* h. l. non esse pro graeca θέσει, verum pro ζητήσει, ἀπφισβητήσει ex eo colligo, quod in altera definitione est *controversia.*

*Finis*) Quo significatu hoc accipiam, parum invenio. Si τέλος dixit Apollodorus est id οὗ ἕνεκα τὰ ἄλλα ex Aristotelis disciplina. Explicem fere *summam*, quo totum tendat. *Negotium, cuius summa vertitur in controversia.*

*Isocrates*) Cf. 3, 4, 11.

*Cicero*) Topic. c. 21 init.

VI. Ergo, quum omnis causa contineatur aliquo statu, priusquam dicere aggredior, quo modo genus quodque causae sit tractandum; id quod commune est omnibus, *Quid sit status*, *et unde ducatur*, *et quot*, *et qui sint*, intuendum puto. Quamquam id nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putaverunt; quo-

*Vnde ducatur*) Sic Guelf. et plerique libri. Prava autem est aliorum, ut Voss. 1, Bodl. Ioann. et Tarv. (Ienson. non praeeunte; cf. ad III, 3, 13, *propria*) cum Ald. scriptura 1 *dicatur*, quae poterat blandiri, nam §§. 3, 4, *nominis origo* tractatur; sed obiter, neque eo ordine, qui hic promittebatur, si verum esset, *dicatur*. Sic enim decurrit disputatio, *Quid sit* 4—13. *Vnde ducatur* 13—22. *Quot* 22—83. *qui*, usque ad finem capitis. — *Generale caput*) Adiectivum abest a Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) ut et ab edd. ante Badium omnibus, ad quas accedit Ald. sec. Regius coniectura inseruit; verissima illa, nisi quod malim substantivo postponi adiectivum, ut §. 21 *cap. gen.* et hoc ipso loco graeca; quamquam §. 5, et c. 11, 3, *Theod.* (*ut d.*) — *generall. cap.* Dixeris Britannicos codd. tres dare *generale*, sed suspectum sit Gibsoni silentium, etiam edd. suarum varietatem tacentis. Alm. quoque et Bern. silentur, unde non equidem colligam in iis legi adiectivum. Abest et a Turic. Reliquus multarum edd. error inter *appareat* et *Theodorus* inserentium *caput* a nullo codice videtur defendi, quem tamen Badius tuetur, vocemque *caput*, quamquam absit a Vallensi, eo loco etiam necessariam putat. Mearum, praeter Ald., prima Basileensis omittit. Badii iudicium, omnia ista: *generale caput id est* proscribentis, ut graeca solita posita fuerint a Quintiliano, specie quidem non caret; sed obstant plurima exempla iunctorum ita Latinorum et Graecorum, quae vide ad III, 5, 4. — γενικώτατον) Sic codd., puto, omnes. Aldus tamen τεχνικώτερον, quod aliqui in margine ponunt. Badius ex Aldo affert γενικώτερον, ut gradu solo varietur. An sphalma credidit ille, quod legimus in utraque Aldina, τεχν.? Fons erroris videtur apparere in Tarvisina quae literis Graecis minus elegantibus: τεγνικώτερον. Sane mirum est, Theodorum usum alio gradu quam positivo, quum Qu. latine positivum exprimat. — *Referantur*) Guelf. *referuntur* cum Goth. Voss. 2, et edd. meis ante Basil. omnibus, praeter Ald. Sane nec necessarius est coniunctivus, quum hoc ad Theodori sententiam non utique sit referendum, sed possit ab ipso Quintiliano adiectum videri; quod etiam magis placet.

*Id quod — omnibus*) Cave hoc referas ad praecedens; praemittitur sequenti; nam *status* omnibus causae generibus communis est. Solet ita poni *id quod* ut observat Thomasius ad Tursell. de partt. p. 416, ed. Lip. Exempla haec habe; Sallust. Cat. 10: *Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum — catervas habebat.* Liv. I, 14, 7: *profectus, id quod quaerebat — hostem excivit*; noster I, 1, 26.

*Vnde ducatur*) Ab actore an a respondente? vid. not. crit.

rum inscitiam, quum omnia tria genera fuero exse-
2 quutus, res ipsa deprehendet. Quod nos *statum*, id quidam *constitutionem* vocant, alii *quaestionem*, alii *quod ex quaestione appareat:* Theodorus *generale caput*, id est κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referantur omnia. Quorum diversa appellatio, vis eadem est: nec interest discentium, quibus quidque nominibus appelletur, dum
3 res ipsa manifesta sit. *Statum* Graeci στάσιν vocant: quod nomen non primum ab Hermagora traditum putant, sed alii ab Naucrate Isocratis discipulo, alii a Zopyro Clazomenio: quamquam videtur Aeschines quoque in oratione contra Ctesiphontem uti hoc verbo, quum a iudicibus petit, ne Demostheni permittant eva-

*Naucrate*) Guelf. *Eucrate* cum codd. prope omnibus et edd. ante Basil. meis omnibus, inter quas Aldinae dant, *Heucrate*, in qua scriptura latet vera. N enim et H frequentissime permutantur in codd. Primus Philander suasit receptam, verissimam illam, quam et Bodl. videtur tueri. Neque credas obstare *ab*; praepositioni consonans adiungitur etiam ante consonantes frequentissime, praesertim liquidas.

*Petit ne*) Goth. mire *ut* pro *ne*. Suspicor a Quintiliano esse *ut ne*.

*Quum fuero — deprehendet*) Ita ut nulla oratione indigeat mea. Vid. tamen c. 7, 28; it. c. 8, 4, 5, 16, 17, ubi *status* in ipsis duobus reliquis generibus ostendit.

*Constitutionem*) Sic Cicero de Inv. I, 8. Scriptor ad Herenn. I, 11. Qui reliquis appellationibus usi fuerint, non invenio.

*Referantur*) Vid. not. ad it.

*Naucrate*) ὁ τοῦ Σωκράτους (lege Ἰσοκράτους ut pridem videre VV. DD. ex ipso Dionysio p. 111, et Cic. de Or. II, 23, III, 44; Or. c. 51) ἑταῖρος (discipulus, ut ἐπιτήδειος, γνώριμος; vid. not. ad II, 15, 19) Ναυκράτης. Dionys. Halic. in Arte p. 39, vol. II. Qui *artem* aliquam Naucratis memoraret, in qua tamen sola de στάσει aliquid potuit explicari, inveni neminem; nisi quod Cic. de Or. III, 44, et Or. c. 51 significat eum aliquid de historia artis eiusque praeceptis memoriae prodidisse. Funebres eius orationes, in Mausolum in primis Cariae regem, celebrantur a scriptoribus.

*Zopyro*) Est apud Diog. Laërt. IX, 114, Τίμων (ὁ σιλλογράφος) Ζωπύρῳ τῷ ῥήτορι ἀναγινώσκων τι (ex emendatione M. Casauboni) quem putat Menagius esse ipsum nostrum a Qu. designatum. Sic apparet aetas eius, incidens in successores Alexandri M.

*Aeschines*) Locus est in ed. H. Stephani p. 83, vs. 21 seqq. (sunt hi numeri apud Reiskium quoque):

gari, sed eum dicere de ipso *causae statu* cogant. Quae appellatio dicitur ducta vel ex eo, quod ibi sit primus causae congressus, vel quod in hoc causa consistat. Et nominis quidem haec origo: nunc quid sit. *Statum* quidam dixerunt *primam causarum conflictionem:* quos recte sensisse, parum eloquutos puto. Non enim est status prima conflictio, *Fecisti, non feci:* sed quod ex prima conflictione nascitur, id est genus quaestionis, *Fecisti, non fecit, an fecerit? Hoc fecisti, non hoc feci, quid fecerit?* Quia ex his apparet, illud coniectura, hoc finitione quaerendum; atque in eo pars utraque *insistit:* erit quaestio *coniecturalis*, vel *finitivi*,

Nunc unus nostri succurrit locus VI, 3, 64, *ut ne — ponam — facit.* Sed vide Sanctium Periz. p. 707, et Drakenb. ad Liv. X, 27, 2. Facillime intercedebat *ut* post *petit.* — *Demostheni*) Sic et Guelf. dativum, quum edd. ante Obr. omnes dent accusativum, praeter meorum unum Gryphium. Ne illae quidem male.

*Non en. est*) Hoc ordine Guelf. et Goth. cum edd. ante Gryph. omnibus. Recentiores, *Non est en.*

*Insistit*) Cod. Alm. cum Turic. *insisterit.* Male, orto errore ex sequenti *erit.* — *Quid si en.*) Hoc ordine codd., puto, omnes. Sed edd. sat

ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως πρὸς ἀλλήλους διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ περὶ τῆς τάξεως αὐτῷ τοῦ λόγου μάχεσθε καὶ μὴ ἐᾶτε κ. τ. λ. Demostheni, ut extra accusationis formulam vagaretur, permittere iudices vetuit Aeschines. Comparatur itaque ἡ τῶν πυκτῶν στάσις cum formula litis. Hunc locum si memoriter percenseret Qu., potuit videri satis manifesta origo appellationis rhetoricae, neque necessariam puto quam Philander, Petrus Faber ad Cic. pro Caec. (p. Graev. 521) et Gesnerus probant mutationem, pro περὶ τῆς τάξεως — τοῦ λόγου legendi περὶ τῆς στάσεως — τ. λ. Obstat ei in primis quod paulo ante (v. 17) est item συγχωρῆσαι αὐτῷ περὶ τῆς τάξεως τοῦ λόγου. Sed habent aliquam difficultatem verba ista ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ περὶ κ. τ. λ. Καὶ omittit Cod. praestantissimus Helmstad., cum nonnullo sententiae emolumento, modo appareret apta structura τῶν: ὑπὲρ τῆς πόλεως ad quae Reiskius intelligit διαμαχόμενοι, parum proficiente coniectura. ὅλην τὴν ἡμέραν, quae ipsa possint mira videri, noli sollicitare. Est enim proverbialis forma, apud Aeschinem non infrequens, pro ὑπὲρ τέλους.

*Causar. conflict.*) Cf. Cic. de Inv. I, 13; it. Partitt. Orr. c. 29, 30, quamquam ibi nihil de *prima* conflictione.

*Quia — erit*) Ab *erit* ordire apodosin.

6 status. Quid si enim dicat quis, *Sonus est duorum inter se corporum conflictio?* Erret, ut opinor; non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. Et hoc levius; intelligitur enim utcumque dictum. Inde vero ingens male interpretantibus innatus est error, qui, quia primam conflictionem legerant, crediderunt statum semper ex prima quaestione ducendum: quod est vitiosis-

multae suasore Regio *enim* antevertunt τῷ *si*. Accedunt Burmanno memoratis Tarv. Rusc. Ald. Hoc constituto ordine eleganter ita dirimitur a Cervicorno aliisque oratio: *Quid enim? si — conflictio; erret* etc. Sed nostram collocationem praeter codd. et edd. recentiores defendit Iens. quoque; in qua aliter, ac feci, posse dirimi verba, equidem non puto. Gesnerus Burmanni et Capper. rationem, quae est mea, descruit, colon ponens post *conft.* Fateor offendi me istis *enim*; mire geminatis in loco nostro. Legitur quater intra non ita multa verba. Hic *enim* spectat ad id, quod modo negabat statum esse primam conflictionem.

*Et hoc lev.*) Turic. cum Alm. *Sed hoc. l.* Non placet ob id quod mox est *vero*. — *Qui quia*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *qui* cum Voss. 2, et fortasse Argent. quoniam Obr. non agnoscit. Alm. autem cod. *qui* retinet, monente Burm. quod male neglexit Capp. Etiam Guelf. habet *qui*, cum Turic. Omissum pronomen sensum idoneum relinquit, si inciditur semicolo vel colo ante *quia*, quod fecit Obr. Et sane suavior est compositio; cf. I, 4, 12, *qui quia a.*

*Crediderunt*) Ita Guelf. et Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum Alm. Turic. et edd. ante Gryph. omnibus, qui primus dedit, quod recentiores retinuerunt, *credidere*, nulla idonea causa (cf. I, 4, 10). Apud Stoërium tamen et Chouetum invenio *credere*, quod a quibusdam dari monet Almeloveenius, ex mero, puto, sphalmate eius quicumque primus exhibuit.

*Quaestione*) Ioann. *Conflictione*, cum Voss. 1, 3, et edd. Vascos. et Rob. Steph. (in margine, ait Gibs. An apud utrumque?) item Gryph. (1544) in textu, in margine, *quaestione*. Potest haec scriptura advertere diligentem lectorem, sed propius introspecta non placebit, ut opinor.

*Ducendum*) Ita Guelf. cum Voss. 1, 3, et edd. ante Stoërium omnibus, praeter unam Tarvis. dantem *dicendum* cum recentioribus, sed ex

*Quid si en.*) Vid. not. crit. Ad ipsam sententiam quod attinet, Badius e notis Codici suo adscriptis, quas putat Vallae, refert scitam observationem. Aristoteles enim de Anima lib. II, (p. Sylb. 38 extr.) ait hic, ea utitur definitione, quam improbat Qu. ἔστιν — ὁ ψόφος κίνησις τοῦ δυναμένου κινεῖσθαι τὸν τρόπον τοῦτον, ὅνπερ τὰ ἀφαλλόμενα ἀπὸ τῶν λείων, ὅταν τις κρούσῃ. Sequitur Aristotelem Diomedes p. Putsch. 414. Acuta mihi quidem videtur Quintilianea huius definitionis reprehensio; cf. si cui vacat, Mendelides de hac ipsa re disputans. Berliner Monatsschrift Aug. 1784, p. 140 seqq. Similis quaestio §. 21: *status an in eo.*

simum. Nam quaestio nulla non habet utique statum: 7
constat enim ex intentione, et depulsione: sed aliae sunt
propriae causarum, de quibus ferenda sententia est:
aliae adductae extrinsecus, aliquid tamen ad summam
causae conferentes, velut auxilia quaedam: quo fit, ut
in controversia una plures quaestiones esse dicantur.
Harum porro plerumque levissima quaeque primo loco 8
fungitur. Namque et illud frequens est, ut ea quibus
minus confidimus, quum tractata sunt, omittamus,
interim sponte nostra velut donantes, interim ad ea

mero sphalmate, ni fallor, quum Ienis. (tac. Gesn.) ipsa ostendat *ducendum*, cf. ad §. 1, *unde ducatur*. Bodl. Bal. Alm. Turic. Goth. *deducendum* (quod praefert Obr.) cum quibus Voss. 2, facere arbitror, etsi Burm. refert ex eo *ducendum* in quo verbo sphalma suspicor, quum alioqui ne opus quidem fuerit meminisse seorsim eius codicis, qui poterat cum 1, et 3 coniungi. Capperonn. recentiorum primus nostram restituit, quem sequuti sunt Bipontini. Sola vera est, neque se commendet ulli *deduc.*, quum supra (§. 1) fuerit *unde ducatur*, non *deduc.* — *Harum porro*) Goth. Ienis. (tac. Gesn.) *Porro harum* cum edd. ante Basil. meis omnibus. *Porro* h. l. ea fere est potestate, quam vidimus ad II, 1, 7, ubi post primum sententiae vocabulum ponitur. Longius tamen et insuavi compositione diremptum dicas genitivum ab eo unde pendet: *levissima quaeque*, neque prorsus est necessarium in *porro* h. l. esse oppositionem; potest esse prioris argumentationis continuatio. Guelf. receptam dat, neque ullius praeter Goth. varietatem comperi — *Fungitur*) Turic. *fungiantur*, in quo monstro an quid lateat, equidem non dixerim. Voss. 3, *fingitur*. Ceteri libri in receptam consentiunt; neque erat, quod Gallaeus sunderet, *funditur*. Loco honorata videtur quaestio talis, quoniam *prima* comparet, sed nihilominus est *levissima*, ut aliquis irrisionis color insit *fungendi* verbo gravitatem quamdam velut magistratus prae se ferenti, quae minime conveniat ei, qui nunc forte fortuna sustinet eam.

*Tract. sunt.*) Ita Guelf. Goth. Turic. et codd. puto omnes, praeter Voss. 3, cum hoc edd. vett. ante Stoërium omnes *tract. sint.* Post hunc primus Burm. revocavit coniunctivum, quem sunt imitati, qui deinceps ediderunt. Qui *sint* praetulerunt, retulisse videntur ad *confidimus*. Fateor etiam in nostra ratione (vid. not. ex.) coniunctivum posse defendi ex oratione suspensa, sed expeditior profecto est indicativus.

*Fungitur*) Vid. not. crit.

*Quum tractata sunt*) Cave haec referas ad *confidimus*; designatur tempus quando *omittuntur* haec, tum nimirum *quum* iam *tractata sunt*. *Omittuntur* autem non solum ea, quae ne tractamus quidem, sed etiam quae, tractari coepta, non persequimur; vid. et not. crit.

quae sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti.
9 Simplex autem causa etiamsi varie defenditur, non potest habere plus uno, de quo pronuntietur: atque inde erit *status causae*, quod et orator praecipue sibi obtinendum, et iudex spectandum maxime intelligit;
10 in hoc enim causa consistet. Ceterum quaestionum possunt esse diversi. Quod ut brevissimo pateat exemplo: quum dicit reus, *Etiamsi feci, recte feci;* qualitatis utitur statu, quum adiicit, *sed non feci;* coniecturam movet. Semper autem firmius est *non fecisse:* ideoque

*Obtinendum* ) Guelf. *opponendum*, cum Ioann. Voss. 1, 3, et ed. praeter aliis memoratas Tarv. ( a Iens. deficiente, cf. §. 6, *ducendum* ) Goth. cum Voss. 2 ( solito horum consensu ) *proponendum*, quam scripturam margo Gryphii et Burm. monent esse etiam in Vallae libro. Hunc, qui sit, nondum habeo compertum, quum Badius, cuius cod. Vallensem novi, eius nullam habeat h. l. mentionem. Equidem veram existimo receptam, quam esse in Alm. Turic. Bodl. Bal. et aliquot praeterea, ex eorum qui contulerunt silentio recte colligere mihi videor. Edd. aliquot veteres *optinendum* praeferunt ( cf. I, 7, 7 ), ut Iens. Loc. Venet. Inde natum suspicor errorem librariorum compendium in codd. suis, ubi *p* esset, non *b*, male interpretantium. *Proponendum*, quod Gesnero placet, meram puto correctionem, a librarii ingenio profectam, pravae illius scripturae *opponendum*. *Propositio* tam late non patet, quam noster de industria tractat l. IV, c. 4. — Turic. ipse ( ex alt. coll. ) *optinendum*.

*Adiicit, sed non* ) Ita Guelf. cum mearum edd. Basil. et Obr. plane sic dantibus locum, quibus Burm. addit Gryph. ( Sebast. Lugd. 1536 quum idem 1544 det receptam recentiorum ) et Colin. De *adiicit* consentiunt edd. Andr. Sich.; de *sed* cod. Bern. Sed nostram scripturam esse quoque in Turic. et Alm. codd., etsi corruptam, facile intelliget unusquisque. Alm. haec dat, referente Burm. *quum a. dicit* ( hoc interpretatur Burm. *quum autem dicit*; falso ille, ut mox apparebit) *si non feci*. E Turic. haec refert Sulzbergerus *quum adicit si non feci*, sed voci *si* superimpositum est *sed* ( an ab alia manu, non docemur ). Vides mirum Turicen-

*Quum adiicit, sed* ) Apparet verbo *adiicit*, afferri ab reo utrumque in eadem causa. Iam negari nequit, duos hic comparare *status* in una *causa*, tum *qualitatis* tum *coniecturae*. Vter igitur *causae* appellabitur status? *Coniecturalis* profecto, quoniam *semper — firmius est non fecisse. Qualitatis status* ad solam pertinet *quaestionem, An recte fecerit*, et est *status quaestionis*, cuiusmodi nullam esse sine *statu* negabat §. 7. Sed *coniectura*, ut potentior ad defendendum reum, faciet *statum* ipsius *causae*.

*Coniecturam movet* ) Vid. ad III, I, 8, *movisse — Empedocles*.

in eo statum esse iudicabo, quod dicerem, si mihi plus, quam unum, dicere non liceret. Recte igitur est 11
appellata *causarum* prima conflictio, non *quaestionum*. Nam et pro Rabirio Postumo Cicero prima parte orationis in hoc intendit, ut actionem competere in equitem Romanum neget: secunda, nullam ad eum pecuniam pervenisse confirmat. Statum tamen in eo dicam fuisse, quod est potentius. Nec in causa Milonis circa 12

sis cum Almeloveeniano consensum, de quo (praeter multa in superioribus exempla) item cf. §. 5 *insistit.* §. 6 *et hoc lev.* III, 4, 3 *et plur. al.* III, 5, 10, *in quaest. venit qual.* III, 5, 12 *non — ut illis.* Neque iam dubitabis quin et Alm. librarius aut dederit aut dare certe voluerit *adicit*, quae ipsa scriptura nihil aliud significat nisi *adiicit* (cf. III, 3, 9 *subiicit*, item I, 4, 11). *Si* autem pro *sed* merus est error, correctus ille in Turicensi. Restat ut exhibeam receptam plerarumque edd. et aliquot codd. scripturam: *dicit*, *Non.* Hac loci constitutione, quae est etiam apud Gesn., tantum abest, ut *pateat* quod vult Qu., ut ne ulla quidem lux relinquatur. vid. not. ex.

*Prima parte*) Guelf. *primam partem*, cum Bal. Voss. 1, 3, Bern. cum edd. ante Bad. (qui abl. esse in Vallensi libro refert) omnibus, praeter Ald., proclivi librariorum errore. Nam ablativus solus placet, qui est in Goth. et Voss. 2. Neque est infrequens usus *intendendi* absolutus pro *tendendo*, etiam quum loci adverbio ut apud Terent. Andr. II, 2, 6 (cf. Drakenb. ad Liv. X, 43, XIII, et XXXV, 11 extr.) apud nostrum VII, 1, 30, et apud Sallust. aliquoties. Nostrae structurae simillima apud Senecam Nat. Quaest. l. 1, praef. (quem locum affert Gesn. in Thes.) *Deus totus in se intendat an* etc. Quare in recepta acquiescam, etsi magnopere variant libri. Alm. et Turic. haec dant *primam partem — in hoc tendit* (cf. not. prox., et similiter confusa *intend.* et *tend.* vide apud Drakenb. ll. cc. quamquam placere potest haec scriptura, modo deleveris apices in *primam partem*, qui ex abl. male fecerunt acc.). Voss. 2, Goth. et Ald. *prima parte — hoc intendit*, ubi Gesn. malit *huc*; sed potest ferri ipsa ista scriptura, quoniam non semel est apud ipsum Cic. *aliquid int.* Tarv. sola, ni fallor, *primam partem orationum hoc int.* ex mero, puto, sphalmate *orationum* pro *orationis in.* Nostram ipsam dare videntur Bodl. Ioann. cum Vall. — Vide I, 10, 49: *ad efficiendum quod intendimus.*

*Pro Rabirio Postumo Cic.*) Vid. orationem ipsam quae exstat in Ern. ed. vol. II, parte 2, p. 1386, *prima* illa *pars* pertingit ad finem usque c. 7. Fit igitur causae huius status *coniectura*, quum, si prius solum tractasset Cic., fuisset futura *translatio*, qua id quaeritur, *iurene actio intendatur*; Cf. §. 84, 85, 86. Negat autem *parte prima* Cic., posse lege Iulia de repetundis actionem intendi in equitem magistratu nullo functum.

primas quaestiones, quae sunt ante prooemium positae, iudicabo conflixisse causam: sed ubi totis viribus *insidiator Clodius*, *ideoque iure interfectus*, ostenditur. Et hoc est, quod ante omnia constituere in animo suo debeat orator, etiamsi pro causa plura dicturus est, quid maxime liquere iudici velit. Quod tamen, ut primum cogitandum, ita non utique primum dicendum
13 erit. Alii statum crediderunt primam eius, cum quo ageretur, deprecationem. Quam sententiam his verbis Cicero complectitur, *In quo primum insistit quasi ad*

*Ante prooem. pos.*) Pertinax est error omnes obsidens codd. Ausi quidem sunt aliquot editores deserere eos et, quod ratio suaderet, reponere; neque tamen ullus veram, quam censeret, scripturam cum eo, quod praeferrent Mss., conciliare laboravit. Venit mihi in mentem *a prooem. pos.* ut *a* esset pro *post*, quod non est infrequens apud scriptores. Quam mutationem non una premi difficultate sponte intelligo. Saltem durius etiam est *post*, quod dant non pauci, ut meorum Ald. Cervic. Basil. Gryph. Qui praeferunt *ante in prooemium* videntur sequuti coniecturam Badii, qui, quum in textu ponat: *in prooemio*, haec ipsa verba fortasse legenda esse ait, interpretans ea: *ut faciant prooemium orationis*. Vt pro *prooemium* legatur *narrationem* (quod est in margine Goth. An igitur quisquam mutationem eam suasit Badii aetate?) sibi placere negat, *eo quod vestigia errantis librarii illic non agnoscantur*; rectissime ille. Aliquid de *prooemio* iterum monet Qu. quum hasce in Miloniana quaestiones tangit IV, 2, 26. *Ergo hae quoque quaestiones vim prooemii obtinebunt*. Si scriptorum testimoniis constaret ἀντὶ προοιμίου fuisse tralatitiam Graecorum rhetorum locutionem, inventa esset loci nostri medicina, ut, ab ignaris librariis, latinis literis haec fuerint scripta, quae est Buttmanni coniectura. Sed adest sane et *prooemium* in Miloniana, diversum illud a *quaestionibus* istis, quae deinceps a tertio cap. tractantur usque ad octavi finem. — *Insidiator*) Guelf. *insidiatur* cum Goth. Gesnerus coniicit *insidiatus*, sed cf. III, 5, 10 et videntur ceteri codd. dare receptam omnium edd., praeter Tarv. et Basil., quae praeferunt: *insidiatur*. — *Quid maxime*) Ed. praeter Burm. et Gesn. memoratas Tarv. *quod*. Codd. omnes *quid*. Mox Ienss. (tac. Gesn.) *iudicii*, quem errorem non repetiit Tarv.

*Deprecationem*. Sic Guelf. cum Goth. et optimis quibusque codd. Aliquot tamen *depulsionem* ex interpretamento; vid. not. ex.

*Cicero*) Tenuioribus litt. impositum huic nomini in Guelf. *in topicis*.

*Ante prooem. pos.*) De praeposterа hac lectione vid. not. crit.

*Deprecationem*) Sic et scriptor ad Herenn. I, 11: *Constitutio est prima deprecatio defensoris*. Hoc vocabulo utuntur scriptores in quavis amoliendi ratione; cf. II, 12, 12.

*Cicero*) Topic. c. 25 init.

*repugnandum congressa defensio.* Vnde rursus alia quaestio, an eum semper is faciat, qui respondet. Cui rei praecipue repugnat Cornelius Celsus, dicens, *non a depulsione sumi, sed ab eo, qui propositionem suam confirmet:* ut, si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is velit probare; si iure occisum reus dicit, translata probationis necessitate idem a reo fiat, et sit eius intentio. Cui non accedo equidem; 14
nam est vero propius quod contra dicitur, nullam esse litem, si is, cum quo agitur, nihil respondeat: ideoque fieri statum a respondente. Mea tamen sententia varium 15
id est, et accidit pro conditione causarum: quia et videri potest propositio aliquando statum facere, ut in coniecturalibus causis; utitur enim coniectura magis

— *in quo primum ins.*) Goth. (tac. Gesn.) *in quo primo ins.* cum Voss. 2. *Pro ins.* Iens. (tac. Gesn.) *cons.* cum edd. ante Stoër. omnibus, codice nullo.

*Praecipue*) Goth. (tac. Gesn.) *maxime* cum Voss. 2, Steph. et Gryph. (1544) solis, quod sciam. — *Fiat*) Sic codd. praeter Voss. 1, 3, puto, omnes. Illi cum edd. ante Bad. omnibus (quibus accedit Ald. sec.) *fiet*; male.

*Agitur*) Guelf. *agatur*, cum Alm. Turic. et edd. ante Bad. omnibus, quibus accedit Ald. sec. — *Mea tam*) Guelf. *In ea*, praepostere, et solus quod sciam.

*Quia et vid.*) Guelf. *et quia vid.* Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *vid. et quia*, et hoc legebat Regius, qui *et* omitti, *vid.* autem transponi volebat post *quia*. Hunc sequuti sunt meorum Bad. Cerv. Basil. Ceteri ante Gryph. omnes faciunt cum Guelf. Gryph. eoque recentiores receptam dant, quae videtur defendi a multis, qui tacentur, codd., etsi Voss. 2 cum Goth. et hic conspirare suspicor. *Et* locum bene tuetur, quod respondet ei quod sequitur: *et in syll.* — *Mag. qui ag.*) Goth. (tac. Gesn.) *mag. quam ag.* Pessime, et solus fortasse.

*Sumi*) Scil. *statum*.

*Propositionem*) Cf. de hac not. crit. ad §. 9, *obtinendum*, extr.

*Intentio*) Aggressio.

*Quia et — et in syll.*) Possis mirari unius generis duo exempla afferri (utrumque enim est pro eo, qui statum fieri dicit ab actore) ubi exspectabas rei *varietatem* ostensum iri exemplorum differentia. Sed alterum illud, de respondente statum faciente, nimis manifestum existimat et vulgo receptum, quam quod exemplis debeat probari; hoc novum plu-

qui agit (quo moti quidam, eundem a reo *infitialem* esse dixerunt): et in syllogismo tota ratiocinatio ab eo
16 est, qui intendit. Sed quia videtur illic quoque necessitatem hos status exsequendi facere qui negat (is enim si dicat, *Non feci*, coget adversarium coniectura uti: et si dicat, *non habet legem*, syllogismo), concedamus ex depulsione *nasci* statum. Nihilominus enim res eo revertetur, ut modo is qui agit, modo is cum
17 quo agitur, statum *faciat*. Sit enim accusatoris intentio, *Hominem occidisti*. Si neget reus, faciet statum qui negat. Quid si confitetur, sed *iure a se adulterum*

*Illic*) Primus, nisi fallor, obtemperavi Regio scribenti *illic* pro *illis*, lenissima verissimaque mutatione, quae et Gesnero placuit. Cod. quidem adhuc nullum cognovi qui non daret *illis*, quod in Vallensi quoque esse monet Badius, referens pronominis dativum ad eos, qui *dixerint infitialem*. Perperam; satis enim hi, quorum obiter mentio iniicitur, dirimuntur a nostro loco; neque sic procedit argumentatio. Bad. et Cervic. in margine ponunt *illuc* per errorem pro *illic*.

*Coget*) Guelf. *cogit*. — *Neget* — *faciet*) Guelf. *negat* — *faciat* cum Turic. et Bern. — *Quid si confitetur*) Sic Guelf. Goth. Alm. (Turic. quoque, ut suspicor) et edd. ante Stoërium omnes. Is primus *quod* dedit; hoc autem in multis etiam codd. esse, vereor ut conferentium silentio recte credatur. Habet scabritiem in bipertita ratione positum prius *si*, deinceps quod *si*. Saltem exempla non succurrunt. Et locus videtur indigere aliqua interrogandi vehementia. Evellenda enim est iis, quibuscum agit Qu., opinio firmata longo usu, qua solum reum facere putant statum. Huic interrogationi respondetur illis: *Nisi aliquid* etc.

*Confitetur*) Non quidem Burm. et Obr. (ut putat Gesn.) sed Leiden-

ribus indigere argumentis, quorum prius quum sit incertum, subiicit alterum manifestum et evidens.

*Quo moti — dixerunt*) Vereor ut multi recte ceperint; Gedoynus saltem turbat plurima. Aliud est *a reo inf. dix.* aliud *a reo inf.* esse *dix.* Sententia haec: Quidam, quum intelligerent actorem magis, quam reum, uti *coniectura*, eundem statum, si fieret a reo, dixerunt esse *infitialem*, non *coniecturalem*. Ad verba *a reo* intellige *factum* vel *quando esset a reo*, ut mox *ratiocinatio ab eo est*; cf. §. 32.

*Syllogysmo*) Εστι — συλλογισμὸς ἀγράφου πράγματος πρὸς ἔγγραφον παράθεσις, εἰς ταυτὸν συνάγοντός τινος τὸ ἄγραφον τῷ ἐγγράφῳ· οἷον, τὸν ἐξ ἑταίρας μὴ λέγειν. ἐκ πόρνου τινὰ γεγονότα λέγειν κωλύει τις. Hermog. περὶ στάσεων; p. 16; cf. ad Her. I, 13; Cic. de Inv. I, 13, et II, 50. Noster passim et in primis VII, c. 8.

*Illic*) In *coniecturalibus causis* et *syllogismo*; vid. not. crit.

*Non habet*) Scil. *adversarius*.

dicit *occisum?* (nempe legem esse certum est quae permittat). Nisi aliquid accusator respondeat, nulla lis est. *Non fuit* (inquit) *adulter:* ergo depulsio incipit esse actoris: ille statum faciet. Ita erit quidem status ex prima depulsione, sed ea fiet ab accusatore, non a reo. Quid? quod eadem quaestio potest eundem vel 18
accusatorem facere vel reum: *Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne sedeat;* qui se praetori in hortis ostenderat, neque erat productus, sedit in quatuordecim ordinibus. Nempe intentio 19
est, *Artem ludicram exercuisti;* depulsio, *Non exer-*

sis ed. sphalma est *confutetur*, quod propagarunt ante Gesn. omnes, invitis codd., puto, omnibus.

*Certum est*) Haec, sine varietate inventa in omnibus libris, pro emblemate habet Gesnerus: *hominis qui continuationem et consequentiam orationis non intelligeret.* Ipse igitur ex eius ratione, reus monet *legem esse* etc., ut infinitivus pendeat e *dicit*, quod modo ponebatur. Sed hoccine de lege narrari, scilicet ignotum iudicibus, attinebat? cf. VII, 1, 7, ubi eadem *legem esse certum est*; vid. not. ex.

*Acc. respondeat.*) Guelf. *acc. ei respondet.* Indicativum habent etiam Alm. Turic. Bern. Voss. 3, Goth.

*Depulsio, non exerc.*) Turic. *dep. erit rei Non exerc.* cum Bodl. et ed. Andr. per errorem librarii ad mox sequentia aberrantis. — *A pluribus*) Guelf., *a plurimis*, cum Alm. Turic. Bern. et ed. Ald. utraque. Nec displicet, cf. c. 1 extr. *plurium*, contrarium, sed procliviorem, errorem.

*Nempe — permittat*) Haec interiicit scriptor, ne quis haereat, qui *iure* aliquis possit dici *occisus*? Eadem lege, ut notissima, rens utitur in Declam. Quint. p. (ed. Bip. vol. IV) 3: *Quis igitur dubitat hoc in civitate a legibus permissum.* Neque enim est *qualitatis* status in hac causa: *iurene occisus sit adulter*, sed *coniecturalis*: *Sitne adulter?*

*Inquit*) Scil. *accusator.*

*Quatuordecim — ord.*) Qui sunt *equitum* ludos spectantium ex lege Roscia theatrali, de qua vid. Ern. Clav. Cic. et Ruhnk. ad Vell. II, 32. Apparet quos hoc honore privarit L. Otho Roscius Cic. Philipp. II, 18, inter quos erant *infames* quoque; *infames* autem, *qui art. ludicr. exerc.*

*In hortis — productus*) Apparet eum, cui quatuordecim ordinibus hic interdicitur, artis periculum fecisse quidem, tanquam in scenam coram populo proditurum, sed, sive improbatum a Praetore, sive casu quodam impediente, non fuisse a populo spectatum; quare potuit in utramque partem disputari, ut vel annumeraretur histrionibus, vel eximeretur eorum numero. Adii virum doctissimum Carolum Augustum Boettigerum, ut discerem, an manifestis ve-

*cui artem ludicram;* quaestio, *Quid sit artem ludicram exercere?* Si accusabitur theatrali lege; depulsio erit rei: si excitatus fuerit de spectaculis, et aget iniuriarum; depulsio erit accusatoris. Frequentius tamen illud accidet, quod est a pluribus traditum. Effugerunt has quaestiones qui dixerunt statum esse id, quod appareat ex intentione et depulsione, ut, *Fecisti, Non feci*, aut *Recte feci*. Viderimus tamen, utrum id sit status, an in eo status. Hermagoras *statum* vocat, per

*Intent. et depulsione, ut* ) Guelf. omittit *et dep.* cum codd. vereor ne omnibus, nisi quod Baliol. tacetur a Gibs. non mutilus h. l. ut spero. Voss. enim 2, qui itidem siletur, cum Goth. facere est putandus; et Turic. item omittit, ut et ed. Andr. Ceterae edd., quod sciam, omnes habent haec verba. Sunt autem necessaria et facile poterant excidere.

terum locis constaret, periculum agendarum fabularum factum esse coram magistratibus, qui ludos curarent. Negavit, se, qui hoc diserte traderet, reperisse ullum; neque mirum, hoc semel fortasse nec nisi obiter perstringi, quum res scenica gravioribus apud Romanos scriptoribus semper despicatui fuisset. E nostro tamen loco id tuto posse colligi. Deinde ablegavit me ad Plinium Hist. Nat. XXXVII, 2, 7, ubi memoratur *theatrum peculiare trans Tiberim in hortis — quod a populo impleri, canente se, dum Pompeiano* (maximo theatro) *praeludit, etiam Neroni satis esset.* Intelligi autem apud Qu. hominem meliore loco natum, quales tunc temporis ludorum studio insanisse constat, facile mihi persuadet V. C. testem citans Iuvenal. VIII, 181 — 210. Ibi quoque vs. 194, *Praetoris* mentio, quem sub Imperatoribus ludos edidisse apparet multis veterum locis, ut Suet. Ner. c. 21. Digest. lib. XL, tit. 2, leg. 7: *quum — ludorum gratia prodierit praetor;* et in primis apud Dionem Cass. veluti lib. LIV, c. 2, p. Reim. 731: τοῖς — στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξε; it. Plutarch. in Bruto p. 988. D. παρὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν — θέατρα καὶ μονομάχους — ἀπαιτοῦσι; it. p. 993 F. τὰς θέας — ὤρεῖλε στρατηγῶν παρασχεῖν: quae loca demonstrat Pe. Faber in Semestribus lib. I, c. 20.

*Theatrali lege* ) Roscia illa, de qua modo egimus, lex aliquoties fuit renovata, ut et ab ipso Domitiano; vid. Martial. passim, in primis V, 8, et Sueton. Domit. c. 8. Copiose de hisce legg. egit Torrentius ad Suet. Neron. c. 11.

*Excitatus*, surgere iussus de quatuordecim ordd. Hoc saepe tangit Martialis, ut l. c. III, 95; V, 26, 36; VI, 9, qui aliquoties utitur *suscitandi* vocabulo.

*Depulsio — acc.* ) Negantis se artem ludicram exercuisse.

*Illud* ) Vt statum *faciat, qui respondet;* cf. §. 13.

quem subiecta res intelligatur, et ad quem probationes etiam partium referantur. Nostra opinio semper haec fuit, ut, quum essent frequenter in causa diversi quaestionum status, in eo crederem *statum causae*, *quod esset in ea potentissimum*, *et in quo maxime res verteretur*. Id si quis *generalem quaestionem*, vel *caput generale* dicere malet, cum hoc mihi non erit pugna; non magis, quam si aliud adhuc, quo idem intelligatur, eius rei nomen invenerit, quamquam tota volumina in hanc disputationem impendisse multos sciam: nobis *statum* dici placet. Sed cum in aliis omnibus inter scriptores 22
summa dissensio est, tum in hoc praecipue videtur

*Vt — crederem*) Guelf. *ut* omittens, pro *crederem*, dat *credere*, cum non paucis, ut quidem videtur, codd. Nostram scripturam defendunt Goth. et edd. meae ante Stoërium omnes. Intercidebat autem facillime *ut* post *it* in *fuit* (cf. §. 3 *petit ne*. Sic §. 49 inter *pervenit* et *An.* haustum fuit *ut* in Goth. Guelf. aliisque), et apex in ultima E τοῦ *crederem* evanescebat. Voss. 1, 3, pro *in eo* dant *me*, unde facilius etiam librarius aliud agens perveniebat ad infinitivum *credere*. Voss. 2, ex quo affertur *crederem* non dubito quin *ut* quoque det cum suo Goth., etsi eius rei nulla mentio apud Burmannum. Recepta recentiorum omnium: *opinio — credere* ferri nequit, quod monuit iam Gesn.; neque tamen veram in textu posuit, quod recentiorum solus fecit Capper. — *Malet*) Ita Guelf. cum Goth. (tac. Gesn.) Voss. 2, Alm. Turic. nisi quod hi *l* geminant per errorem; cf. I, 5, 64. Ceteri libri — *malit*.

*Praecipue*) Goth. cum Voss. 2, et edd. ante Stoërium meis omnibus, excepta Ald. utraque, *praecipuum*. Adverbium videntur defendere reliqui codd. omnes; et est profecto verius, quod ipsa collocatio suadet. Oportebat enim *quoque* statim subiici τῷ *praecipuum*. Sententia receptae haec est: reliqua dissensio invitis etiam, vel saltem id non agentibus, accidit scriptoribus, hanc etiam quaesiverunt de industria. Si adiectivum legi-

*Subiecta res*) Cf. II, 15, 22.

*Nostra — ut — crederem*) Singularem in verbo post pluralem in pronomine non est quod moremur. Neque enim poëtis solis licet dicere *nostros flentis ocellos*, (Ovid. Heroid. V, 45, de cuinsmodi forma vid. quos citat Gesnerus in Thes. et Fabro voce *Nos.*), sed et oratoribus non infrequens talis locutio. Sic Cic. ad Div. I, 9: *Tenebam — nobis consulibus*, et mox *memineram nobis privatis*, ubi nulla sui consulatus cum alterius coniunctio. Prorsus geminus in eadem epistola locus: *Nostrum — consilium — qui meos — noluerim — maluerim*, ubi recte Manutius: *habetur enim ratio sententiae potius quam Grammaticae*.

*Quamq. — sciam*) Conf. II, 17, 12.

mihi studium quoque diversa tradendi fuisse: adeo, nec qui sit numerus, nec quae nomina, nec qui ge-
23 nerales, quive speciales sint status, convenit. Ac primum Aristoteles elementa decem constituit, circa quae versari videatur omnis quaestio. Οὐσίαν, quam Flavius *essentiam* vocat: neque sane aliud est nomen Latinum: sed ea quaeritur, *An sit? Qualitatem*, cuius apertus

tur, etiam in priore illa dissensione *studium* fuit, ut hic demum esset *praecipuum*, quod non aeque placet. Voss. 2 hunc ordinem memorant: *Videtur mihi praecipuum studium*, qui tamen non facit ad commendandum adiectivum prae adverbio.

*Flavius*) Cf. II, 14, 2. Tarvis. sola ante Bad. recedit ab illo Iensonianae ed. monstro: *Plato*, praeferens *Plautus* (cf. §. 9 *obtinendum*). Sic et Turic. — *Sed ea quaer.*) Guelf. omittit *ea*, solus puto — *Translatio*) Sic Guelf. et Turic. cum libris et scriptis et excusis omnibus, puto, praeter Goth. Gesn. quique hunc expresserunt Bipontinos. Hi enim tres, *relatio*. Nititur ista scriptura solo Gothano cui ne Voss. quidem 2 h. l. accedit. Gesnerus, numerum et auctoritatem refragantium nihil moratus, paulo calidius *translatio*, inquit, *al. nos sequimur Gothanum et scholam Aristotelis*. Quod sit praesidium in *schola Aristotelis*, ipse viderit. Saltem, modo si, pro his *Qualitatem — Quantitatem* etc., legisset in Goth. vel quovis libro. *Quale, unde ducta qualitas — Quantum, u. d. quantitas*, illico reiecisset tam inanem appendiculam, si bene novi eius stomachum. Atqui idem frigus est in nostro loco, si legimus *relatio*. Quid enim *ad aliquid* aliud nisi *relatio*? Non ergo *ducitur* inde *relatio*, sed ipsa *est*. Quum omnis haec *categoriarum* commemoratio fiat a Qu. rhetoricae, non logicae, gratia, id protinus agit, ut appareat, quibus maxime *causis* accommodata sit quaeque categoria. Rectissime autem Capper. ablegat ad locum, quem designavi in not. ex. Goth. igitur librarius aliquid ex ingenio videtur novasse, levi specie motus, quae et ipsum Gesnerum ludificata est. Recte locum tuetur *relatio*, VIII, 4, 21, nihil variantibus libb. — *Esse, vestit*) Sic Guelf. Goth. Voss. 2, Alm. cum Iens. (tac. Gesn.) et edd. ante Bad. omnibus, qui primus inseruit

*Elementa*) *Categorias* facile agnoscis, quarum nomine inscriptum librum Aristoteleum recte h. l. contuleris. Scite monet Gesn. Aristotelem, de rhetorica securum, divisionem hanc ad subtiliorem propriamque philosophis disputationem comparasse.

*Sed — quaer.*) *Sed* respicit ad *sane*, et inest tacita significatio, nunc non id agi, quomodo latine possit verti οὐσία, sed vim ipsam vocis eique subiectam materiam tractari; inservit itaque et hic orationi, quae parenthesi illa, *quam — latinum* interrupta fuit, continuandae; vid. Heins. ad Cic. Off. I, 1, 3; De Flavio vid. II, 14, 2.

intellectus est, *Quantitatem*, quae dupliciter a posterioribus divisa est, *Quam magnum*, et, *Quam multum sit*? *Ad aliquid*, unde ductae *translatio* et *comparatio*. Post haec *Vbi*, et *Quando:* deinde *Facere*, *Pati*, *Habere*, quod est quasi *armatum esse*, *vestitum esse*. Novissime, Κεῖσθαι, quod est *Compositum esse quodam* 24

*et* languidum illud et abhorrens ab exemplo Aristotelis; ὑποδεδέσθαι ὡπλίσθαι sine copula.

Κεῖσθαι.) Sic Guelf. et codd., ut videntur, praeter Goth. et Voss. 2, omnes. Ii enim cum edd. aliquot vett. συγκεῖσθαι. Tarv. ἐγκεῖσθαι. Loc. Venet. (contra quam narrat Gisb.) Rusc. συγχεῖσθαι. Sunt meri errores, et Ald. vindex τοῦ κεῖσθαι, quod est apud Aristotelem ipsum et in edd. Qu. a Basileensi omnibus; cf. et Mar. Victorin. ad Cic. de Inv. apud Pithoeum p. 109. — *Sedere — iacere*) Guelf. *calere*, *facere*, *stare*, *irasci*, cum Bal. Ioan. Voss. 1, 3, Alm. Turic. (qui a secunda manu haec habet: *calefacere*, *iacere*, *quod nunc situm dicimus*) et ed. Andr. Goth. *calefacere*, *stare*, *irasci*, cum Voss. 2, et edd. meis ante Basil. omnibus, ad quas accedunt aliquot a Burmanno memoratae, non posteriores illae Basileensi. Eadem verba in margine saltem habent omnes ante Leidensem, quae praepostere ponit ea in nota, nullo addito auctore. Bodl. *calere*, *stare*, *irasci*. Bern. *calefacere*, *stare*, *iacere*. Vides miram et infaustam erroris pertinaciam. Quod igitur receptum est, sola recentiorum pititur correctione. Id quidem apparet altera ista Turicensis scriptura (nisi valde est recens, quod non doceor) mature sedulas fuisse manus

*Dupliciter a posterioribus*) Hi undecim igitur elementa constituerunt, duplicato unius *quantitatis* numero. Nisi enim diversas categorias fecerunt *quam magnum* (πηλίκον) et *quam multum* (πόσον VII, 4, 16), non video quid differant ab ipso Aristotele, qui haec docet: Τοῦ δὲ πόσου τὸ μέν ἐστι διωρισμένον· τὸ δὲ συνεχές — διωρισμένον, οἷον ἀριθμός, καὶ λόγος· συνεχὲς δὲ, οἷον γραμμὴ, ἐπιφάνεια, σῶμα. Catt. c. 4. Qui sint, quos appellat *posteriores*, ignoro. Theophrastus, Phanias, Eudemus Categorias scripserunt post Aristotelem.

*Translatio*) Intelligitur *status* ille, de quo egimus ad §. 11, *pro Rab. Post. Cic.* Recte Gedoynus: *La relation d' où se tirent les questions de compétence* (*translatio*) *et de comparaison. Comparatio* apud rhetores plerumque est species *qualitatis* seu *status iuridicialis* (graece ἀντίστασις) quum reus se peccasse quidem fatetur, sed peccatum illud summi maioris cuiusdam beneficii causam fuisse docet; cf. VII, 4, 12, et Cic. Inv. I, 11, II, 24; it. Victorin. ad priorem locum p. Pith. 118. Hic ea latius pateat istud nomen (velut VII, 2, 22), equidem non dixerim. Saltem *translatio*, quacum coniungitur, de toto *statu* accipienda, non de specie *qualitatis*, quod apparet §. 52, quem locum confer cum nostro.

*Arm. — vest. esse*) Aristoteles Catt. c. 2 extr. (p. Buhl. 449) ἔχειν δέ, οἷον ὑποδεδέσθαι, ὡπλίσθαι. Cur ab

*modo*, ut *sedere*, *stare*, *iacere*. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere, cetera ad quosdam 25 locos argumentorum videntur. Alii novem elementa

glossatorum in hisce scholasticis. Originem erroris vix spero quemquam certo demonstraturum. Nam quod *calere* ortum aliquando putabam ex male intellecta nota marginali eius, qui exemplum proximum *vestitum esse* pressius ex ὑποδεδέσθαι Aristotelis voluisset reddi verbo: *calceari*, id iam ne mihi quidem satis placet. Sed scrupulum restare puto in ipsa ea voce, quae minime videtur corrupta *stare*. Quare enim hic potissimum tertium aliquod exemplum Qu. adiecerit duobus istis Aristotelis, apud quem legimus: (p. Buhl. 449.) κεῖσθαι δέ, οἷον ἀνάκειται, κάθηται? (pro quibus tamen apud ipsum Aristotelem malim infinitivos). Ex *iacere* poterat fieri *calere*; an ex *sedere* item *stare*? *Facere* etiam facilius occu-

illo τοῦ ὑποδεδέσται exemplo recesserit Qu., potest quaeri. An Aristotelis aetate calceorum usus rarior quam Quintiliani, ut huic leve et putidum fuerit visum, quod ille, ut minus tritum, quum armatura iunxisset in exemplo? cf. I. H. Vossii Mythologische Briefe T. I, 21. Sic vestitum omnem commemorare malebat Qu. quam solos calceos. Quamquam potuit memoriter afferre Aristotelis locum Qu., ut inconsulto aberraret.

*Sedere — iacere*) Vid. not. crit.

*Novem elementa*) Qui fuerint illi, non invenio. Septem elementorum numerus (quem et ipse mox efficit deductis duobus §. 28) pervulgatus apud rhetores Pithoeanos, et sunt ea fere comprehensa hexametro scholastico: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Circumstantias* plerique appellant, velut Curius Fortunatianus pag. Pith. 55, Aurel. Augustinus p. 293 (ubi refert hasce partes ab Hermagora vocatas μόρια περιστάσεως, a Theodoro autem στοιχεῖα τοῦ πράγματος) M. Aurel. Cassiodorus p. 336 (qui de nominibus eadem fere, etsi non designans, quis potissimum *elementa* appellet) Alcuinus p. 360. Variant sane inter se in partibus constituendis, neque cum Qu. ullus plane consentit. Marius Victorinus in expositione rhetoricorum Cic. septem haec dicit locos argumentorum, ad cuius mentem ille, quem dixi, versus maxime est effictus, p. 141 et 147, ubi et ipse *elementa* vocat. Hermogenes passim, sed in primis de Invent. III, 4, pag. 140, 41 sex agnoscit (quot et Script. ad Her. II, 4, sed *signa* vocat) partes περιστάσεως, remota *materia* (τῆς ὕλης) quae proprie sit philosophorum. Eam Fortunatianus censet hoc ipso nomine, ceteri comprehendunt quaestione ista: *Quibus adminiculis*, Qu. (vide mihi, quam inconstanter quamque parum ad severitatem systematicam, a recentioribus tantopere custoditam) partim τρόπῳ complectitur, partim ἀφορμαῖς ἔργων, (§. 27). Alcuinus vocat *facultatem*. Augustinus (seu quicumque est auctor libelli, qui Augustino recte videtur abrogari) l. c. περιστάσεως ἀφορμάς a Graecis appellatas narrat, ubi suspicor περιστάτως esse mutandum in πράγματος. Theon in progymnasmatis sex agnoscit στοιχεῖα; πρόσωπον, πρᾶγμα, τρόπος, χρόνος, τόπος, αἰτία, p. 66 ed. Camerarii 1541.

posuerunt, *Personam*, in qua de animo, corpore, extra positis, quaeratur; quod pertinere ad coniecturae et qualitatis instrumenta video: *Tempus*, quod χρόνον vocant, ex quo quaestio, *An is quem, dum addicta est, mater peperit, servus sit natus? Locum*, unde controversia videtur, *An fas fuerit Tyrannum in templo occidere? An exsulaverit, qui domi latuit? Tempus* iterum, 26
quod καιρὸν appellant: hanc autem videri volunt spe-

pabat locum τοῦ *iacere* (cf. Drakenb. ad Liv. XLI, 4, 2). An igitur iuncti duo errores, deinceps positi, quum nonnisi unum deberet scribi vocabulum, ut est in Bodl.? Quid autem *irasci?* Nullam medelam exputo. An male repetitae literae ex vocibus *stare* et *sed* inter quas est positum? An aliquid allitum ad praedicamentum *pati?* quae est Gesneri et quodammodo Mosellani suspicio. Quod autem hic ait in Aristotelis categoria ποιεῖν exemplum esse *calefacere* mirifice errat, si ita vertit καίειν Equidem veram loci constitutionem credo eam, ubi nonnisi duo exempla compareant *iacere*, *sedere*. Manifestum vero fit hoc quod tractamus vitio, quam vetusta interdum ulcera obsideant veteres scriptores, immedicabilia illa si forte antiquitus nonnisi unum codicem nobis transmiserit tenebricosa illa maedii aevi barbaries; ἡμεῖς γὰρ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν!

*Pers. in qua*) Sic Guelf. cum Turic. et omnibus qui collati sunt codd., praeter Voss. 3 et Bern., edd. autem meis ante Stoërium omnibus praeter Bad. et Cervic. Accedunt Andr. ed. et aliquot recc., reliqui libri omittunt *in* ut et Gesn., sed probata praepositione, quam veram ipse puto. Nam differt paulum ratio ab illa §. 23, *sed ea* (non *in ea*) *quaeritur*.

*Corp. ext. pos.*) Foedum Iensonianae errorem *corp. ex propositis*, quem Regius emendavit, meae ante Ald. habent omnes. Sed ante *ext.* inserunt *et* Bodl. Alm. (Turic. tacetur) ed. Andr. et aliquot recc. quod non displicet, quia non exempli causa haec afferuntur, sed totum rei ambitum emetiuntur. Facile autem excidebat. — *Dum add.*) Iensonianae errorem *nondum* quem correxit Regius, non repetit Tarvis. (*cf.* §. 23, *Flavius*) sed iterum exhibent Loc. Venet. Rusc. quarum priores duae *nundum*. Cod., quantum video, habet nullus.

*Locum*) Guelf. *locus* cum Turic. Alm. Voss. 3, Bern. et edd. ante Gryph. meis omnibus; male, cf. I, 4, 16, *stlocum*.

Καιρὸν) Guelf. χρόνον, errore librarii ignari. Stolidam, quam in Aldo

*Addicta*) Cf. VII, 3, 26—28; it. V, 10, 60, sed et Lexica.

*Qui domi latuit*) Videtur hoc posse quaeri, ubi exsul exsilii tempus exiisse ait, adversarius negat, quippe cuius partem *domi latuerit* neque vere *exsulaverit*. Citat Gesn. Cic. pro Domo c. 27 extr. Ad Qu. frat. III, 2: (Gabinius) *undique actus quum a me maxime vulneraretur, non tulit, et me trementi voce exsulem appellavit*, etsi iam in urbe ipsoque senatu ver-

ciem illius temporis, ut aestatem, vel hiemem: huic subiicitur *ille in pestilentia comissator: Actum*, id est, πρᾶξιν, quod eo referunt, *Sciens commiserit, an insciens? necessitate, an casu?* et talia: *Numerum*, qui cadit in speciem quantitatis, *An Thrasybulo triginta*
87 *praemia debeantur, qui tot tyrannos sustulerit? Causam*, cui plurimae subiacent lites, quoties factum non negatur, sed quia iusta ratione sit factum, defenditur: Τρόπον, quum id, quod alio modo fieri licet, alio di-

(sed utroque) recte notat Badius, transpositionem, hoc loco πρᾶξιν ponendi, mox autem, *Actum* — καιρὸν, habet etiam Tarv., neque in ullo praeterea libro animadverti. Ienss. Graeca ubique omittit. — *Comissator*) Guelf. *comisator* cum Voss. 1, 3, Bern. Turic. qui tamen apice duplicat *m* et post *t* habet compendium scripturae, non prorsus manifestum. Hanc fere scribendi nominis rationem probant VV. DD. sed duplice *s*, quamquam et simplex sunt qui defendant. Dausquius Vol. II, h. v. *e* quoque teneri posse existimat. Voss. 2, *conversator*, aberrante librario quum Goth. det *commessator*; edd. ante Gesn. omnes *comessator*. Tarv. simplice *s*.

*Actum*) Alm. et Turic. *Actor*, per errorem; cf. §. 10, *adiicit, sed non.* — Πρᾶξιν) Sic προπερισπωμένως ipse Guelf. quum edd. meae omnes male dent παροξύτονον.

*Praemia*) Guelf. *praemio*; cum Bal., male.

*Qui tot*) Alm. Turic. cum Obr. *quia*. Admodum placet.

*Causam*) Turic. et Alm. *causa*, cum Voss. 1, Bern. male; cf. *locus*, §. 25. — *Dixi, actu*) Alm. et Turic. *actum*, cum Tarv. (Ienson. non praeeunte) Ald. et Bad. Cerv. in marg. — *Ne praeteriisse*) Guelf. *nec praeteriisse*. Mox Goth. (tac. Gesn.) *ne stat.*, pro *nec stat.*; cf. ad I, 6, 39. *Ne hoc feci.*

santem, quippe quem iure negaret rediisse. Vt *exsilium* non *loci* simpliciter sit nomen, sed *status*, vel *conditionis*.

*Illius temp.*) Modo (§. 25) positi, τοῦ χρόνου. *Opportunitatem* vocat Cur. Fortunatianus l. c. p. 56: *quam*, ait, *Graeci εὐκαιρίαν*, sed multarum temporis partium unam facit. Vid. et Augustin. l. c. Hermogenes de Inv. III, 4, p. 144, 46 promiscue videtur ponere χρόνον et καίρον.

*Subiicitur — comissator*) De *subiiciendo* cf. III, 3, 6, quamquam hic non dialectice dicitur de *specie*, sed de causa, quae referatur ad certam aliquam quaestionem. Explices, *quo pertinet*; cf. mox *subiacent*. Intenditur sine dubio reprehensio *comissationis*, quod inter summam reipublicae calamitatem fuerit agitata. Quod praemittitur *ille*, significat pervulgatam fuisse materiam, quam tamen apud alios rhetores nondum inveni.

*Trasybulo triginta*) Hoc videtur

citur factum; hinc est, *adulter loris caesus*, vel *fame necatus: Occasionem factorum*, quod est apertius, quam ut vel interpretandum vel exemplo sit demonstrandum: tamen ἀφορμὰς ἔργων vocant. Hi quoque 28
nullam quaestionem extra haec putant. Quidam detrahunt duas partes, *numerum* et *occasionem:* et pro illo, quem dixi, *actu*, subiiciunt *res*, id est πράγματα. Quae ne praeterisse viderer, satis habui attingere. Ceterum his nec status satis ostendi, nec omnes contineri locos credo: quod apparebit diligentius legentibus, quae de utraque re dicam. Erunt enim plura multo, quam quae his elementis comprehenduntur. Apud plures au- 29
ctores legi, placuisse quibusdam, unum omnino *statum* esse, *coniecturalem*. Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt, neque ego usquam reperire potui. Ratio-

*Vn. omn. stat.*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *omn.* solus quod sciam. — *Omnis*) Goth. et Ienis. (tac. Gesn.) *omnes*, quod necessarium ad reliquam eorumdem et Voss. 2 scripturam *colliguntur* pro *colligeretur*, quamquam veteri more poterat *omnis* esse pluralis. Sed *omnes — colliguntur* est in edd. ante Basil. omnibus praeter Ald. Levis differentia, quod Bad. altera (1519) et Cervic. dant *colligantur*. Possit placere *omnes — colliguntur*, ut Qu. ipse agnoverit, quod *colliguntur* (cf. I, 1, 2, *quod — consulant — quod — videtur*) quum praesertim in *qualitate* hoc omnibus esse commune affirmet: *quia — potest* (non *possit*). Sed languet *omnes res* prae *omnis res.*

postulasse Polycrates (cf. II, 17, 4) qui dixit, narrante Aristotele Rhet. II, 24, 3: ὅτι (Θρασύβουλος) τριάκοντα τυράννους κατέλυσε.

*Loris — fame*) Modus ultionis an fuerit concessus quaeritur, ultionem ipsam licuisse convenit. Citat Gesn. Bynkershoekii Observatt. Iur. Ro. V, 8, p. 142 seq. ed. Genevens. 1761, qui *loris caedere* adulterum licuisse ait, (exempla Val. Max. VI, 1, 13) *fame necare* negat, quae non subitae irae sit ultio.

*Tamen vocant*) *Tamen illud addam, vocari eam a Graecis* etc. Similis est ratio eius *tamen* quod connectit abruptam parenthesi orationem, (vid. Ernesti Clav. Cic.), in quo item notio particulae nunquam refertur ad subiectum verbi finiti, sed ad animum dicentis; cf. modo *sed*, §. 23.

*Hi quoque*) Respice §. 23, *circa quae — omnis quaestio.*

*Res — πράγματα*) Sic fere Pithoeani et Hermogenes, quamquam singulari numero utuntur.

*Locos*) Argumentorum. Cf. §. 24.

nem tamen hanc sequuti dicuntur, quod res omnis signis colligeretur; quo modo licet, qualitatis quoque solum statum faciant: quia ubique, qualis sit cuiusque
29 rei natura, quaeri potest. Sed utrocumque modo sequetur summa confusio. Neque interest, unum quis statum faciat an nullum, si omnes causae sunt conditionis eiusdem. *Coniectura* dicta est a *coniectu*, id est directione quadam rationis ad veritatem: unde etiam somniorum atque ominum interpretes *coniectores* vocantur. Appellatum tamen est hoc genus varie, sicut sequentibus apparebit. Fuerunt qui duos status facerent: Archidemus *coniecturalem*, et *finitivum*, exclusa *qualitate*, quia sic de ea quaeri existimabat, *Quid es-*

*Quo modo licet*) Sic Guelf. etsi continuata scriptura. Pleraeque edd. vett. *quomodolibet*, post quam vocem interpungunt, ut ipse Goth., et quidem maxima diremptione. Pessime; Voss. 2 non memoratur, ceteri omnes videntur hoc vitio carere. — *Sequetur*) Alm. et Turic. *sequeretur*.

*Sunt*) Ita Guelf. et Goth. Ceteri, quantum video, omnes *sint*, nisi forte neglectum hoc in codd. conferendis. Sponte succurrerat indicativus, quum coniunctivo non sit locus.

*Sicut sequent.*) Sic Guelf. Voss. 3, Alm. Turic. Ceteri inserunt *in*, quod displicet, quia *apparebit* h. l. est pro *probabitur*. Aliud fortasse est, *in epistolis apparet*, I, 7, 34, quamquam ibi quoque omittunt *in* Guelf. Voss. 3, et Goth. (tac. Gesn.) cum Voss. 2. Facile *in* natum ex *ut* antecedente, nisi malis *insequentibus* iungere, quo modo de rebus in suo opere scribendis tamen fere non loquitur; cf. II, 14, 4, ubi vicissim male deficit *in*. — *Archidemus*) Guelf. *Archiedemus* cum Goth. sed cui a correctore demum inserta est litera E. (Mox §. 33, itidem in utroque cod. ut et Voss. 2. In 3 autem Voss. *Archedemo*, in Bern. *Ar-*

*Signis*) Cf. V, c. 9, fortasse tamen hic latius accipit quam illo loco, ubi a τεκμηρίοις discernit σημεῖα.

*Archidemus*) De nomine vid. not. crit. Stoicus primarius, qui de *Voce et de elementis* (fortasse, uno opere) scripsit, sed totam philosophiam libris videtur illustrasse, iisque intellectu difficilibus. Sic enim Arrianus Epict. III, 2: ἐκεῖνος μέγα ἐῤῥέθνει, ὅτι ἐνόει Ἀρχέδημον. Ciceroni Acad. IV, seu Lucullo c. 47, audit *princeps dialecticorum* (et est hoc, quod tangit noster, dialecticae etiam artis) et *opiniosissimus homo*; cf. de eo Fabr. Bibl. Graec. Harl. III, 540.

*Sic de ea*) Ita de qualitate quaeri existimabat Archidemus, ut res omnis ad definitionem rediret.

*set iniquum? quid iniustum? quid dicto audientem non esse?* quod vocat, *de eodem et alio.* Huic diversa 23
sententia eorum fuit, qui duos quidem status esse voluerunt, sed unum *infitialem*, alterum *iuridicialem*. *Infitialis* est, quem nos dicimus *coniecturalem*, cui ab infitiando nomen alii in totum dederunt, alii in partem, quia accusatorem coniectura, reum infitiatione uti putaverunt. *Iuridicialis* est, qui διχαιολογικὸς graece di- 33

*caedemo.* Turic. *arci edomo.*) Hic, ut animadvertit Lipsius Manud. ad Stoic. phil. I, 12, a Graecis fere *Archedemus* scribitur, a Latinis *Archidemus*: Straboni l. XIV, p. 674 est Ἀρχέδαμος. An hoc voluit librarius, quem sequutus est qui scripsit Voss. 3, dans *Archademus?* Goth. et Guelf. scripturam ortam credo ex correctione eius qui, quum invenisset *Archidemum*, vellet dare *Archedemum*, cuiusmodi aliquid apparet in Goth. Nam diversos *Archedemum* et *Archidemum*, quae est Lipsii dubitatio l. c., non magis credo quam Menagius ad Laërtium VII, 40.

*Huic. div.*) Ita Guelf. Goth. Ioann. Alm. Bern. et edd. meae ante Leidensem omnes. Ea cum recentt. *Hinc*, quod etiam ex Turic. affertur. Cf. II, 5, 22. Capper. dedit *Huic.*

*Vol. sed un.*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) om. *sed* cum edd. ante Ald. quem errorem revocarunt Gryph. et Steph.

*Inf. est*) Ita Guelf. Bern. Alm. Turic. Ceteri, quod sciam, cum edd. meis omnibus, praeter Obr. fortasse ex Argent. et Capper., *est* omittunt; contorte. Neque probabile fit, tam ignaros librarios, quales Alm. et Turic. scripserunt, aliquid de suo addidisse, explicandi causa, *est* autem, una litera *e* signatum, facile intercidit; cf. Drakenb. ad Liv. II, 33, 5. Mox *nos* omittunt Alm. Turic. Voss. 3. — *Quia acc.*) Guelf. et Turic. *qui acc.* ad sonum melius, et fortasse ad sensum quoque.

*Qui διχ. graece dic.*) Goth. et Voss. 2, miro consensu: *qui agere διχ. dic.*, unde rectissime efficit Gesn. *q. a. Graecis δ., d.*, soli, quantum video.

*De eodem et alio*) Conferre iubet Gesn. §. 37, 49; VII, 3, 8; Cic. Topic. c. 22, 23; Partitt. Or. c. 19.

*Accusatorem — reum*) Cf. §. 15: *Infitialis* apud Cic. quoque Topic. c. 2.

Διχαιολογικός) Haec apud Hermogenem (p. 12, 13) species est eius constitutionis, quae appellatur *qualitas*: περὶ πρᾶγμα λογικὴ (ποιότης) — κἂν μὲν περὶ μέλλοντος ἔσται πραγματική. — ἂν μέν τοι πεπραγμένον ᾖ περὶ οὗ ἡ κρίσις ἦδη, — ὄνομα τούτῳ διχαιολογία. Ad hanc formam redigere velle videtur Ciceronis de Inv. doctrinam Mar. Victorinus ap. Pithoeum p. 116: *Iuridicialis semper de practerito est; negotialis semper de futuro: quae tempora in ipsarum partium definitione videtur Cicero non declarasse.* Is sane de Inv. I, 11; et

citur. Sed quemadmodum ab Archidemo qualitas exclusa est, sic ab his repudiata finitio. Nam subiiciunt eam iuridiciali: quaerendumque arbitrantur, *Iustumne sit, sacrilegium appellari quod obiiciatur, vel furtum, vel amentiam?* qua in opinione Pamphilus fuit: sed *qualitatem* in plura partitus est: plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, *in rem, de qua non constet, et in rem, de qua constet.* Nam est verum; nec aliter fieri potest, quam ut aut certum sit factum esse quid, aut non sit. Si non est certum, coniectura sit: si certum est, reliqui status. Nam idem dicit Apollodorus, quum

*Pamphilus*) Sic codd., puto, omnes. *Pamphilius*, quod apud Gibs. et Obr. solos invenit Burm. (addit ipse deinceps Gryph.) est etiam in Stočriana et Chouetus voluit dare si operae paruissent, non item Leidensis. Idem error in Geoponic. Graec. 10, 39, ed. Niclasii vol. II, p. 707, ubi pro Παμφίλου cod. Guelf. dat Παμφιλίου, item apud Fabric. Bibl. Graec. Harl. (ap. Fabric. ipsum enim recte) IV, 486.

II, 23, *iuridicialem* vocat speciem rationalem constitutionis *generalis*, ut ipse appellat, quae *qualitas* dicitur Quintiliano et aliis, quum *negotialis* sit eiusdem ei species legalis; cf. III, 4, 5; it. hui. cap. §. 58. Hermogeni *rationalis speciei* ipsa rursus *pars* est. In Topicis c. 24, *iuridicialem* Cicero appellat, quam in Inv. *generalem*; genus igitur, non speciem.

*Iustumne — vel*) Recte Gesnerus, et ante eum Badius monent *vel* non esse referendum ad *ne*, velut disiunctivae quaestionis alteram *partem*, ubi oportebat dicere *an*; sed esse indicem alterius exempli *eiusdem* quaestionis; Cf. I, 6, 32.

*Pamphilus*) Aristot. Rhet. II, 23, 21 memoratur ἡ Παμφίλου τέχνη quae tota constet ex petendis et fugiendis, sive eo solo argumentorum loco, qui sit in rebus ad faciendum aliquid vel impellentibus, vel inde deterrentibus. Hunc ergo esse cuius mentionem faciat Qu., facile credo. Qui utrum sit idem pictor apud nostrum XII, 10, 6, et Plinium aliquot locis, item Aristophanem Plut. vs. 385, eiusque scholiasten (etsi hic quidem Pliniano est antiquior) lubrica est disputatio. Neque magis ad liquidum perduci posse credo, utrum ad hunc unum pertineant loca Ciceronis De Nat. D. I, 26 (cf. Diog. Laërt. X, 14), et de Or. III, 21, quorum postremum nondum intelligo; quamquam tantum ex eo videtur apparere, pictorem eundem et rhetorem fuisse creditum a Cicerone.

*Idem — Apollod.*) Creditur a Qu. Apollodorus sua partitione idem significare quam quod illi qui *infitialem* et *iuridicialem* solos faciunt status; et sane πραγματικὸν est status *infit.* seu *coniect.*, περὶ ἐννοίας contra versatur *in nostris* de iusto, aequo *opinionibus* ubi nulla facti quaestio.

quaestionem aut *in rebus* extra positis, quibus coniectura explicatur, aut in *nostris opinionibus* existimat positam; quorum illud πραγματικὸν, hoc περὶ ἐννοίας vocat. Idem, qui ἀπρόλημπτον et προλημπτικὸν dicunt, id est

*Idem qui*) Guelf. *idem quae.* Goth. (tac. Gesn.) *idem quia* cum Alm. Turic. Voss. 1 (an 2?) Iens. (tac. Gesn.) *idemque* cum edd. meis ante Stoër. omnibus et duobus praeterea Burmanni; male. — Ἀπρόλημπτον) Ita Goth. Reliqui duo quos ipse inspexi codd. monstrum aliquod praeferunt scripturae, in quo ut receptum ἄπορον non esse apparet, ita quid sit non facile dicas. Turic. tamen, si conferas vocem alteram graecam, quae sic scribitur ibi, προλημτιτικον, item nostrum dare videbitur. Hi enim sunt ductus: α προλητιτον. Vt, in illo, τι manifesto est pro π, ita et hic, eandem mutationem afferens, habes ἀπρόλητον. Iam paulo confidentior accedo ad Guelferbytanum monstrum procurandum. Id est huiusmodi: ἀπόρντιτον (nam figura γ quae bis est in hac voce ex ratione Montefalconii Palaeogr. p. 320 et 336 est tertii decimi seculi ν). Agnoscis in fine πτον, quod sufficere puto ad efficiendum ex prioribus istis perturbatissimis ἀπρολη, ut λ fuerit cum ν confusum, et deinceps η haustum a simili ν. Accedit ed. Tarv. (mearum antiquissima, nam Iens. graecis lacunas relinquit) sic dans graeca haec: μρολημτικον et α ρολημτικον. Vides transposita vocabula et plane novum ἀπρολημπτικον, quod verum quidem non credo, sed propius sit nostro, quam recepto. Iam, a Locatelli inde ed., omnes, quos quidem norim, libri dant ἄπορον, quod quum a mera VV. DD. divinatione profectum credam, pro eoque vocabulum Lexicis Graecis (ante Schneiderum) ignotum invexerim, diligentius scripturae meae rationem reddere debui. Quod codd. nulla affertur varietas, non possum quin negligentiam interpreter conferentium, quum praesertim Voss. 2 et Alm. a suis Goth. et Turic. prorsus h. l. deficere a verisimilitudine maguopere abhorreat, et forte omnes, quos mihi licuit consulere, deserant receptam.

*Id est*) Sic Goth. cum Voss. 3, (an 2?) et Obr. (haud dubie ex Argentorat.) Alm. *idem* Turic. *idē*, qui voluit eandem scripturam dare, sed uterque falso pro *id est* (cf. III, 5, 4). Iens. (tac. Gesn.) *et* (in quo latet verum) cum edd. ante Basil. omnibus praeter Ald. qui praefert *quo*, quod deinceps est in omnibus edd. praeter Basileensem, quae ex coniectura Philandri exhibet *quibus*. In codd. ipsis inveniri errorem traiiciendi huius *quo*, cuius infra locus est post *praesumptum*, argumento est Guelf. in quo est recepta: *dic. quo dub. e. p. s.* Quam aptum sit h. l. *id est*

Ἀπρόλημπτον — προλημπτικόν) Prius est, quod nullis nostris προλήψεσι h. e. ἐννοίαις (utroque enim vocabulo appellant; vid. Cic. Acad. Lucull. c. 10; it. Topic. c. 7; cf. modo positam Apollodori partitionem, item Posidonii §. 37) assequimur, de quo igitur dubitamus, donec facta constent; posterius, quod in animis nostris versatur, propterea que certum est.

*dubium* et *praesumptum*, quo significatur, de quo li-
36 quet. Idem Theodorus: qui de eo *An sit*, et de *acci-*
*dentibus ei*, *quod esse constat*, id est περὶ οὐσίας καὶ συμ-
βεβηκότων, existimat quaeri. Nam in his omnibus prius
genus *coniecturam* habet, sequens reliqua. Sed haec
reliqua Apollodorus duo vult esse, *qualitatem*, et *de*
*nomine*, id est finitivam: Theodorus, *quid*, *quale*,
37 *quantum*, *ad aliquid*. Sunt qui et *de eodem et de alio*,

vide mox §. 35, et ad III, 5, 4. — *Praes. quo sign.*) Ita Obr. haud dubie ex Argent. Prope accedit Alm. *praes. quid sign.* Etiam propius Turic. *praes. quod sign.* Ceteri libri omittunt *quo*; cf. not. prox. — *Idem The.*) Guelf. *Item The.* cum Bal. Goth. Alm. (e Turic. nil memoratur) Bern. et edd. Iens. (tac. Gesn.) meisque ante Stoërium omnibus. Cave autem varietatem a Burm. et Capper. notatam accipias, quasi pro *Theodorus* hi dent *Theo*, quod secus est in iis quos contuli; debebat fieri compendium sic, *Theod.* erroris vitandi causa.

*Quod — constat*) Iens. (tac. Gesn.) *q. constet* cum edd. ante Bas. omnibus. Placet. Codd. videntur tueri indicativum.

*Duo*) Abest hoc a Voss. 3. Velim a pluribus; concinnitati officit, quoniam non sequitur *Theod. quatuor.*

*Sunt qui et*) Sic Guelf. Turic. Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum edd. ante Basil. omnibus. Reliqui *sunt et qui*. Minus habet taedii oratio, si hic ad *rem* refertur *et*, quum mox *et Posid.* ad *hominem*. — *Quid, quam*) Guelf. *quicquam* cum edd. (de Iens. tac. Gesn.) ante Gryph. omnibus. Sed levis erat error eius, qui, quum iunctum crederet vocabulum, solita ratione (cf. I, 7, 6) scribebat *quicquam* pro *quidquam*; neque indigebat locus Regiana emendatione, qui se pro *qui* malle ait *quid*, pro *quia* autem (quod equidem nusquam vidi, neque in codd. neque in edd. meis ante-Regianis Iens. et Tarv.) *quam*. Vera scriptura haud dubie est in reliquis codd. ut in Britann. tribus, Alm. Turic. et certe in Goth. In Voss. 1, 3, *quamquam*. — *In rebus*) Goth. (tac. Gesn.) ut Guelf.

*Praes. de quo liq.*) Sic *praesumptum est* usurpari Digest. XXI, 1, 37, pro verisimile est, pro comperto fere est, monet Budaeus in Commentt. Gr. L. p. (ed. Basil. 1556) 785. Cui exemplo Gesnerus in Thes. addit Tac. Annal. XIV, 64, 5: *praesumptum habeant*. Inest tamen significatio eius persuasionis, quae ne indigeat quidem probatione, quae iam ante eventum sit in animo, sicut et in Graecis προλήψει et ἐννοίᾳ. Ad *Idem* esse intelligendum *dicunt*, *sentiunt*, sponte apparet.

*Finitivam*) Accommodavit ad graecam vocem στάσιν, quum ipse *statum* fere dicat, non constitutionem. An scripsit, *finitionem*?

*Duo*) Vid. not. crit.

modo *qualitatem* esse, modo *finitionem* velint. In duo et Posidonius dividit, *vocem*, *et res*. In voce quaeri putat, *An significet*, *quid*, *quam multa*, *quo modo?* in rebus *coniecturam*, quod κατ' αἴσθησιν vocat, et *qualitatem;* et *finitionem*, cui nomen dat κατ' ἔννοιαν· et *ad aliquid*. Unde et illa divisio est, alia esse *scripta*, alia *inscripta*. Celsus Cornelius duos et ipse fecit status ge- 38
nerales, *An sit? Quale sit?* Priori subiicit *finitionem*, quia aeque quaeratur, *An sit sacrilegus*, qui *nihil* se sustulisse de templo dicit, et qui *privatam* pecuniam confitetur sustulisse. *Qualitatem*, in *rem* et *scriptum* dividit. Scripto, quatuor partes legales, exclusa translatione; *quantitatem* et *mentis quaestionem* coniecturae

omittit *in* cum edd. ante Gryph. omnibus (de Iens. tac. Gesn.) et codd. Alm. Turic., male, et Britannici saltem videntur tueri *in*.

Κατ' αἴσθησιν) Guelf. omittit κατ', male. Aliquot edd. ut Tarv. κατασταστιν; male. — *Pr. subiicit*) Ita Guelf. cum Voss. 1, 3 (hi tamen nescio utrum hic an mox). Ceteri libri, quod sciam omnes *subiecit*, quod mihi displicebat, ob id quod sequitur, *quia quaeratur*; cf. III, 3, , *tradidit*. Neque obstat, quod modo est *fecit*, sequente *an sit*. Quaestio ipsa ibi ponitur et est quasi pro nomine substantivo; praeteriti autem ratio est ea, quod refert quid *fecerit* Celsus; hic contra eius librum recenset. Quamquam non diffiteor isto quoque loco malle me *facit*; cf. tamen §§. 45, 47.

*Conj.* — *subiicit*) Sic dedi, levi codicum, magna, ut opinor, senten-

*Posidonius*) Plures hoc nomine fuerunt. Celeberrimus Apameensis Syrus, qui Rhodius dici maluit, Panaetii discipulus, Pompeii Magni magister. Cuius etsi rhetorica fere non memorantur a scriptoribus (nisi quod εἰσαγωγὴν περὶ λέξεως scripsisse dicitur) tamen huiusmodi dialectices et rhetorices tractatio magnopere cadit in Stoicum. Alter a Suida (secundo loco) et Eudocia pag. 365 memoratur Alexandrinus, cui plura ad rhetoricen pertinentia tribuuntur, sed quae ab aliis dicantur esse Posidonii, Sophistae Olbiopolitani, quos probat Suidas; vid. Fabr. Harl. III, 572 seqq. Ad *dividit* intellige *omnem rhetoricen*, *hanc quam tractamus* πραγματείαν.

*Unde*) H. e. ex quo genere, cuiusmodi cf. §. 27, *hinc — adulter;* VIII, 6, 51, *inde sunt*.

*Scripta — inscripta*) Cf. III, 5, 4. *Inscripta* ne forte quis sollicitet, malitque *non scripta*, quod Francio accidit, consulat Lexica.

*An sit sacrilegus*) Exemplum magnopere frequentatum nostro aliisque rhetoribus, ut Hermogeni, et scriptori ad Herenn. I, 12, et ipsi Aristoteli; vid. §. 49.

*Mentis quaestionem*) Cf. VII, 2,

39 subiicit. Est etiam alia in duos dividendi status ratio, quae docet, aut de *substantia* controversiam esse, aut de *qualitate:* ipsam porro qualitatem aut in *summo genere* consistere, aut in *succedentibus*. De substantia est
40 *coniectura*. Quaestio enim tractatur *rei, An facta sit? An fiat? An futura sit?* Interdum etiam *mentis:* idque melius, quam quod iis placuit, qui statum eundem *facti* nominaverunt, tanquam de praeterito tantum, et tantum de facto, quaereretur. Pars qualitatis, quae est de summo genere, raro in iudicium venit: quale est, *Idne sit honestum, quod vulgo laudatur?* Succedentium autem aliae de communi appellatione, ut, *Sitne sacrilegus, qui pecuniam privatam ex templo furatus est?* Aut de

tiae auctoritate. Goth. enim (tac. Gesn.) *subiecit* quidem, sed subterpuncto E, quasi voluerit legi *subicit*. Quis autem ferat *dividit — subiecit?* Sed illud corrumpebatur difficilius; cf. not. prox. Libri quidem, quod sciam, omnes *subiecit*, quod in Guelf. ipse cognovi et e Turic. affertur ob aliam varietatem, quia *coniecturam* ibi pro *coniecturae*.

*Mentis*) Ita codd. et edd. omnes, praeter Ald. (sed utramque) quae dat: *intentionis et voluntatis*; mira glossatoris licentia.

1, 6. Haeret in hoc loco Gesn. quod, post alteram partem *qualitatis* a Celso constitutae (i. e. *scriptum*) explicatam, prior i. e. *res* non tractetur; quare pro *coniecturae* malit *coniecturae rei*. Sed Qu., quid in *qualitate* esset *res*, opposita illa *scripto*, a quovis intelligi ratus (sunt autem quaestiones de *aequo*, *iusto* etc.), eam partem in divisione Celsi persequi neglexit; quumque videret posse quaeri, quo tandem loco Celsus poneret *quant.* et *ment. quaest.* (quas alii solent partes facere *qualitatis;* cf. VII, 4, 1) addidit protinus, eas a Celso relatas esse ad *coniecturam*, vel statum, *An sit*.

*Praeterito — facto*) Quum *facti* dicimus statum, et *tempora* excludimus praesens ac futurum, et *dumum* faciendi, in quae tamen ipsa quoque cadit status coniecturalis.

*Qualit. de summo gen.*) Cf. VII, 4, 1.

*Idne — laudatur*) Ex Aristippi doctrina (Diog. Laërt. II, 93) μηδὲν — εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ αἰσχρόν· ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει. Huic opposita est Stoicorum, quos sequutus Cicero de Finib. II, 15: *Ego*, ait, *iudico — quod — sit ipsum per se rectum atque laudabile, non ob eam causam tamen — dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset, specieque laudabile.* Cf. de Off. I, 4 extr.

*Aliae — Aut*) Ad *aliae* intellige *partes*. Sed quod subiicitur *Aut*,

re denominata, ubi et factum esse certum est, nec dubitatur, quid sit, quod factum est. Cui subiacent omnes de *honestis*, *iustis*, *utilibus*, quaestiones. His etiam ce- 42
teri status contineri dicuntur, quia et quantitas modo ad coniecturam referatur, ut, *Maiorne sol, quam terra?* modo ad qualitatem, *Quanta poena quempiam, quantove praemio, sit affici iustum?* et translatio versetur circa qualitatem: et definitio pars sit translationis: quin et contrariae leges et ratiocinativus status, id est 43
syllogismus, et plerumque scripti et voluntatis, aequo nitantur (nisi quod hic tertius aliquando coniecturam accipit, *Quid senserit legis constitutor?*) ambiguitatem vero semper coniectura explicari necesse sit: quia, quum sit manifestum, verborum intellectum esse duplicem, de sola quaeritur voluntate. A plurimis tres 44
sunt facti generales status, quibus et Cicero in oratore utitur, et omnia, quae aut in controversiam, aut in contentionem veniant, contineri putat, *Sitne? Quid sit? Quale sit?* quorum nomina apertiora sunt, quam ut dicenda sint. Idem Patrocles sentit. Tres fecit et M. 45

*Dicenda*) Sic Guelf. et Turic. cum codd. puto omnibus praeter Goth. Voss. 2, et Vallensem e quo *docenda* se dare narrat Badius, quamquam

pro quo exspectabas *aliae* iterum, id quidem mihi quam maxime videtur insolens.

*Re denominata*) Opponitur *communi appellationi*, qua totum aliquod genus sit comprehendendum, res, quae nomen suum iam acceperit, propterea*que certa* sit, in quaque de *nomine* iam non quaeratur.

*Quantitas — qualitatem*) Cf. VII, 2, 6; it. IV, 1.

*Translatio*) Quoniam et ipsa de *iure* disceptat, quamquam de solo *actionis* iure; cf. not. ad §. 11.

*Definitio — translationis*) Quoniam definiendo amolimur a nobis eam, quae intenditur, actionem, ut *sacrilegii*, si privatam modo pecuniam sustulimus de templo.

*Quin et contr. leg.*) Recenset hinc *status legales*, quorum *tertius* est scripti et vol. Cf. III, 5, 4; item mox §. 46. De *syllog.* supra §. 14.

*In Oratore*) C. 14: *Quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur.* Item de Or. I, 31; II, 24 extr. 26 extr.

*Patrocles*) Vid. II, 15, 16.

Antonius, his quidem verbis, *Paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum, non factum: ius, iniuria: bonum, malum.* Sed quoniam, quod iure dicimur fecisse, non hunc solum intellectum habet, ut lege, sed illum quoque, ut iuste fecisse videamur: sequuti Antonium apertius voluerunt eosdem status distinguere; itaque dixerunt *coniecturalem*, *le-*
46 *galem*, *iuridicialem:* qui et Virginio placent. Horum deinde fecerunt species, ita ut *legali* subiicerent *finitionem*, et alios, qui *ex scripto* dicuntur; *legum contrariarum*, quae ἀντινομία dicitur; et *scripti et sententiae* vel *voluntatis*, id est κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν; et μετάληψιν, quam nos varie *translativam*, *transumptivam*, *transpositivam* vocamus; συλλογισμὸν, quem accipimus *ratiocinativum*, vel *collectivum; ambiguitatis*, quae ἀμφιβολία nominatur: quos posui, quia et ipsi a plerisque *status* appellantur, quum quibusdam *legales* potius
47 *quaestiones* eas dici placuerit. Quatuor fecit Athenaeus,

parvi referat; quem imitantur Cerv. Basileenses duae, aliquot Burmanno memoratae et Gesnerus. Gryph. tamen meus (1544) *dicenda* retinet cum vett. edd. omnibus. Et hoc solum verum, quoniam ne *dixit* quidem nomina ista Qu. (quae forent *coniect. finit. qualit.*); sed sponte intelliguntur. *Nomina docere* pro *declarare*, *explanare* vereor ut recte dicatur.

*Dicimur fecisse*) Turic. *dicimus f.* Guelf. *dicuntur f.* cum Voss. 2, neque tamen mox pro *videamur* est *videantur*.

*Transumptivam*) Sic codd. mei Guelf. et Goth. cum edd. vett. ante Gryph. (exceptis Badii et Veneta) simplici *s* exprimunt vocabulum, quod placet; cf. I, 7, 4.

*Quum — placuerit*) Ita Alm. et Turic. (cf. ad §. 10) quam scripturam expressit Obr. solus, fortasse ex Argent. Guelf. et Goth. *quum* omittunt,

*Antonius*) Cf. III, 1, 19. Attende autem simplicitatis antiquae colorem in hoc fragmento.

*Legalem*) Eum igitur significavit Antonius istis: *ius*, *iniuria*, quibus ad *leges* solas respexit, non ad *iustitiam*.

*Virginio placent*) Vid. III, 1, 21. Idem numerus eademque nomina statuum apud script. ad Herenn. I, 11, qui et ipse *legitimae* (seu *legali*) constitutioni subiicit *definitionem*, ibid. Cetera si quis diligentius cupit cognoscere, is adeat Lexicon rhetoricum Ernestii V. C. utrumque.

προτρεπτικὴν στάσιν, vel παρορμητικὴν, id est *exhortativum*, qui suasoriae est proprius; συντελικὴν, qua *coniecturam* significari, magis ex his, quae sequuntur, quam ex ipso nomine apparet; ὑπαλλακτικήν· ea *finitio* est, mutatione enim nominis constat; *iuridicialem*, eadem appellatione graeca, qua ceteri, usus. Nam est, ut dixi, multa in nominibus differentia. Sunt qui ὑπάλλα- 47

sed dant *placuerit* cum edd. Iens. (tac. Gesn.) et vett. ante Cervic., excepto Aldo. Hic cum reliquis omnibus praefert *placuit*, sine *quum*. Rationem Gothani non improbat Gesn. qui videtur accepisse optativi Graeci potestate, ablegans ad §. 51. Sed obvertit sibi ipse §. 54*mam*. Recepta recentiorum ad sententiam par est nostrae, ad veritatem criticam eidem cedit. —Παρορμητικὴν) Ita Guelf. et Turic. quamquam latt. lit. Goth. et Bern. idem graecis. Iens. (tac. Gesn.) *parmethycen* (quantum agnoscere possum prae correctione eius, qui in exemplo, quod tracto, effecit *parormetycen*) cum Loc. et Rusc. ex quo monstro rectissime eruit Regius *parormeticen*. Tarv. (cf. ad III, 3, 12, *propria*) et Venet. cum recentioribus omnibus παραινετικήν. A corrigendo me paene absterruit Gibsoni de suis codd. silentium, quod tamen negligentiae, ex parte saltem tribuendum suspicor. Παραινετικὴ Senecae (Epist. 95 init.) est pars philosophiae constans praeceptis. *Ea*, inquit, (Epist. 94 init.): *dat propria cuique personae praecepta, nec in universum componit hominem, sed marito suadet* etc. Idem Ep. 95, p. 422 Bip.: *Persuasio ad totam pertinens vitam: hoc est, quod decretum voco. — In particulas suasisse, totum ordinanti parum est. M. Brutus — dat multa praecepta et parentibus et liberis* etc. Vides huiusmodi *praeceptis*, quae opponuntur *decretis*, locum hic esse nullum; iis tamen proprium παραινέσεως vocabulum, ut quidem videtur. Contra, praeter veterum librorum auctoritatem, παρορμᾷν solet cum προτρέπειν coniungi etiam a Glossographis ut Hesychio, Polluce, non uno loco. Quod enim παραινεῖν declarant iidem per συμβουλεύειν, id equidem ad defendendam vulgatam scripturam facere non puto. De universo genere συμβουλευτικῷ egisse isto loco non videtur Athenaeus. Inter figuras tamen sententiarum IX, 2, 103, *exhortatio* est, cui subiicitur graecum παραινετικόν.

*Nam*) Guelf. *non*, male (vid. not. ex.) et solus.

*Qui — proprius*) Refer ad *statum*, ne haereas in masculino.

Συντελικήν) Nomen, quod ipsi Qu. minus notum fuisse videtur, recte ex usu Grammaticorum illustrat Capperonnerius et hic et in praef. operis (p. 19). Iis enim (quod etiam pervulgatum) ὑπερσυντελικός est, quod Latinis *plusquamperfectum*. Apparet στάσιν συντελικὴν esse de rebus praeteritis, iam consummatis, qui intellectus est in *coniectura* quoque, vel statu *facti*; cf. §. 40, et IX, 1, 8. De Athenaeo vid. II, 15, 23.

*Appellatione graeca*) Cf. §. 33.

*Nam — ut dixi*) Vid. §. 22. *Nam* autem respicit suppressam sententiam, quae huiusmodi fere fuerit:

κτοχὴν *translationem* esse existiment, sequuti hanc mutationis significationem. Fecerunt alii totidem status, sed alios, *An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit?*
49 ut Caecilius et Theon. Aristoteles in rhetoricis etiam sic omne opus dividit, in *veritatem*, et *petenda ac fugienda*, quod est suasoriae, et *de eodem atque alio:*

*Et de eodem — putet*) Edd. ante Badium omnes (quibus acc. edit. Ald. sec.) sic: *e. d. e. a. a. p. tamen a. haec p. a. s. quid q. q. e. q. m. s. q. putat.* Omittunt igitur *ut* post *pervenit*, ut sententia integra ordiatur ab *An sit.* In hac ratione *haec*, quod est in Guelf. Turic. Goth. (tac. Gesn. etiam de Ienss.), probum est, in recepta non item; sicut *putat* quoque, indicativus. Eandem loci constitutionem tuentur codd. Guelf. Goth. Turic. nisi quod omittunt *quid* ante *quale*, cum Voss. 2, 3, Alm. Id et ipse expunxi sex bonis codd. auctoribus factis, quum sententia ipsa respuat, diserte subiiciente Quintiliano, *finitionem* (h. e. τὸ *quid*) nonnisi *quodam loco* ab Aristotele *tamen intelligi.* Nam Victorii (ad Ar. Rhet. I, 13, 9) et Capperonnerii ratio, iungentium *an sit quid* pro *an sit aliquid*, minus placet. Badius eam, quae est apud Gesnerum, scripturam (haec nostra est, sed addito *quid*) primus invexit; unde, non prodidit. Expresserunt omnes deinceps nisi quod pro *tamen* Basilcenses duae meae dant *tandem*) ante Stoërium. Hic primus hanc exhibet loci constitutionem: *et eodem atque alio partiendo ad hoc pervenit, ut, an sit, quid, quale — putet.* Antepouit autem his verbis colon, quo dirimit a praecedentibus. Id tenuerunt ante Gesn. omnes mei, exceptis Obr. et Capper. Inde sensum sanum vix efficias. Quod tres codd. (Voss. 1, 3, Bern.) omittunt haec omnia: *etiam sic — pervenit, ut*, hoc nisi natum est ex solito errore librarii ab *eti — am sic* aberrantis ad *an sit*, potest valde placere ei, qui sentiat difficultatem conciliandi hic cum Quintiliano Aristotelem; modo probabilis tam verbosi glosse-

*Poteratis quidem exspectare, et in hoc iuridicialis status nomine aliquid novatum fuisse ab Athenaeo, ut necesse esset monere diserte eius cum ceteris consensum.*

*Theon*) Huius nominis non paucos quum recenseat Suidas, non abhorret a verisimilitudine, eundem esse cuius *doctrina progymnasmatum* aetatem tulit. Is Aelius fuit cognominatus, gente Alexandrinus. Nam ut inferiorem Hermogenis et Aphthonii temporibus facias cum Fabricio B. G. IV, 451, idonea causa nulla est. Supremus enim eorum, quos laudat, scriptorum est Theodorus Gadarenus. Scripsit, narrante Suida, praeter illum, quem etiamnum versamus, elegantem sane librum, aliaque varia, *Artem* (cave enim cum Fabricio l. c. iungas τέχνην περὶ προγυμνασμάτων) in qua hoc, quod tangit Qu. tradidisse est putandus. De *Caecilio* cf. III, 1, 16.

*Aristoteles — quaerendum putet*) Locus vexatus. Vix enim ostendas, ubi haec in rhetoricis tradat Aristoteles. Quod si tollas quae absunt a tribus codd. (vid. not. crit.) ita continuans orationem: *Aristoteles in rhe-*

**partiendo tamen ad hoc pervenit, ut *An sit? Quale*, *Quantum*, et *Quam multum sit?* quaerendum putet.**

matis origo demonstretur. Equidem Gesnerianae rationi obtemperavi, etsi diffido τῷ *ut* post *pervenit*, itemque coniunctivo *putet*, quorum neutrius idoneum video auctorem. — *Quo dicit quaedam*) Turic. et Alm. *quod d. q.* Sed edd. meae ante Ald. sec. omnes (exc. Ald. pr.) cum Goth. et Voss, 2, *quando d. q.* Placet.

*toricis §. 1 sit — Quam multum sit? quaerendum putat*, sufficerit fortasse designare Arist. Rhet. III, 17, 1: περὶ τεττάρων ἡ ἀμφισβήτησις — ὅτι οὐ γέγονεν — ὅτι οὐκ ἔβλαψε — καὶ ὅτι οὐ τοσόνδε, ἢ ὅτι δικαίως (cf. Ar. Rhet. I, 3, 6, ubi itidem ὡς οὐ γέγονεν — ὡς οὐκ ἔβλαψεν). Quamquam vel sic Quintilianus, memoriter referens ista, turbasse aliqua est putandus. Nulla enim apud Aristotelem *quanti* et *quam multi* (τοῦ πηλίκου καὶ τοῦ πόσου; cf. supra §. 23, ubi hoc ipsum negabatur esse apud Aristotelem) divisio; et secunda ἀμφισβητήσεως pars videtur esse *finitio*, quae mox significatur hic esse omissa: *tamen—finitionis quoque vim intelligit.* Minus tamen convenit in Quintiliani designationem alter Aristotelis locus I, 3, 8, 9: ἀναγκαῖον—ἔχειν προτάσεις περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου· καὶ εἰ γέγονεν ἢ μή· καὶ εἰ ἔσται ἢ μή. Ετι δὲ — ἅπαντες — οὐ μόνον τὰ εἰρημένα δεικνύναι πειρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅτι μέγα ἢ μικρόν. Haec personatus ille Turnebus respexisse ait Quintilianum, mihi non magis quam Capper. et Gesnero suam rationem probans. Maior autem ingruit difficultas, si ea, quae adhuc omisimus cum tribus Codd. assumuntur, ut par est. Haeret in iis etiam Victorius (ad Arist. Rhet. I, 13, 9, p. 235 ed. Florent.) qui, si maxime *veritas* de genere iudiciali accipiatur, pro aequitate dicta; *petenda et fugienda* de deliberativo, pro iis quae conducunt atque obsunt: tamen, quid faciat tertio illi: *de eodem atque alio*, habere se prorsus negat. Relinquitur enim genus demonstrativum quod istis: *de eodem atque alio*, designari nequaquam potest. Victorius quidem, ut solet esse iniquior Quintiliano, veretur *ne negligentiae hominis hoc quoque assignandum sit.* Et, si in Rhetoricis *de eodem atque alio*, ut parte operis, agi ab Aristotele dicit Qu., profecto fallitur. Frustra enim huc trahas II, 23, 12: Ἄλλος (τόπος τῶν δεικτικῶν) ἐκ κρίσεως περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἢ ὁμοίου, ἢ ἐναντίου. Frustra II, 25, 3: Αἱ ἐνστάσεις φέρονται — ἢ — ἐκ ταυτοῦ ἢ ἐκ τοῦ ὁμοίου ἢ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἢ ἐκ τῶν κεκριμένων, aliaque loca, in quibus τοῦ αὐτοῦ καὶ τοῦ ἐναντίου (τοῦ ἑτέρου quidem non invenio) fit mentio, quae pertinent omnia ad probationem in genere iudiciali. Sin dicis Topica Aristotelis intelligi a Qu., non Rhetorica, et hanc vocem falso legi apud nostrum; frequentissima quidem in Topicis est mentio ταὐτοῦ ἢ ἑτέρου (velut I, 4 et passim, ut et in aliis Organi partibus) sed desideratur vicissim *totius operis* (h. e. eloquentiae) *divisio*; neque ad ullum alium statum, quod monet Capper. potest referri ταὐτόν, ἢ ἕτερον, nisi ad *finitionem*: (cf. §§. 31, 37) περὶ τοὺς ὁρισμούς, πότερον ταὐτὸν ἢ ἕτερον, ἢ πλείστη γίνεται διατριβή. — δυνάμενοι γὰρ ὅτι ταὐτὸν καὶ ὅτι

Quodam tamen loco finitionis quoque vim intelligit, quo dicit quaedam sic defendi, *Sustuli, sed non furtum feci: Percussi, sed non iniuriam feci.* Posuerat et Cicero in libris rhetoricis, *facti, nominis, generis, actionis:* ut in facto *coniectura*, in nomine *finitio*, in genere *qualitas*, in actione *ius* intelligeretur. Iuri subiecerat translationem. Verum hic legales quoque
51 quaestiones alio loco tractat ut species actionis. Fuerunt

*Vt species*) Iens. *at*, pro quo *ut* reponi iubet Regius. Neque erat quod Gesn. *ac* faceret ex isto Iensoniano errore, qui praeter Locat. et Rusc.

ἕτερον διαλέγεσθαι, τῷ αὐτῷ τρόπῳ καὶ πρὸς τοὺς ὁρισμοὺς ἐπιχειρεῖν εὐπορήσομεν. (p. 50, vol. III ed. Buhl.) Eodem et ad qualitatem, refert Cicero quoque (cf. ad §. 31), sed respuit noster locus omnem finitionis mentionem. Si quis tamen satis versatus in Organo Aristotelico invenerit ubi philosophus dicat, quae plane consentiant cum Qu. loco, is tutò poterit eius libri titulum reponere pro *Rhetoricis*, quod ipsum nomen hoc loco positum habet, quod displiceat, quum non opus esset titulum libri addere, si *Rhetorica* intelligebat Qu. (neque solet quidquam ponere praeter Aristotelis nomen, ubi laudat Rhetorica, nisi quum librum accurate designat V, 10, 17); sin alium librum, plane necessarium erat. Hoc ubi mutatum fuerit, mox ad *Quodam — loco* ascribetur istud: *in Rhetoricis*, ubi iam non poterimus eo carere. Potest etiam excidisse nostro loco deperditi cuiusdam libri, velut *Grylli* (II, 17, 14) *Sophistae* (not. ad III, 1, 8) nomen, quamquam haec medicina adeo tuta non est. Fatebor interim, Quintilianum, etsi negligentiae crimen ei tam leviter non impingam, potuisse decipi, quod ipse, terendis Apollodori, Hermagorae aliorumque Artibus, assuefactus erat doctrinae de statibus, ut eius in Aristotele quoque mentionem quaereret, quae nulla est. Inde potuerunt tenebrae obrepere loco nostro. Restat, quam cum lectore communicem, elegans Buttmanni coniectura, qui pro *etiam sic* malit *etiamsi*, expungens comma post *dividit*. Sic levigatur sane oratio. *Tamen* quoque, quum protinus recurrat *Quodam tamen*: mutes fortasse Basileensis ed. scriptura *tandem*. Nam hoc quoque in recepta non male reprehendit Capper.

*Quodam — loco*) Arist. Rhet. I, 13, 9: Λαβεῖν μὲν ἀλλ' οὐ κλέψαι' καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι —ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι· οὐ γὰρ δῆλόν τι; cf. §. 38.

*Cicero — actionis*) De Inv. I, 8, ubi genitivi pendent a voce *quaestionem*, quod hic apud Qu. est paulo obscurius. *Posuerat — subiecerat* pl. q. perf. significat hosce libros a Cicerone postmodum esse repudiatos.

*Hic—alio loco*) Vid. Partitt. Oratt. c. 31, et 38, ubi, post coniecturae, finitionis et qualitatis status in prioribus tractatos, *disputatione*, *quae versetur in scripto* (hae sunt legales quaestiones), *exposita omne munus promissi* sui *confectum fore* ait. Pes-

qui facerent quinque, *coniecturam*, *finitionem*, *qualitatem*, *quantitatem*, *ad aliquid*. Theodorus quoque, ut dixi, iisdem generalibus capitibus utitur, *An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit? Ad aliquid.* Hoc ultimum maxime in comparativo genere versari putat: quoniam melius ac peius, maius et minus, nisi alio relata non intelliguntur. Sed in illas quoque translativas, ut supra 52
significavi, quaestiones incidunt, *An huic ius agendi sit? vel facere aliquid conveniat? An contra hunc? An hoc tempore? An sic?* omnia enim ista referri ad ali-

t

in mearum est nulla. Codd. omnes *ut*, quod in Vallensi diserte mone Badius; item ed. Tarvis. ( cf. ad §. 47. ) — *Non intell.*) Goth. *nec intell.* cum Voss. 2, quod recte laudat Gesn. *Nec* et *non* in Mss. non raro permutantur. — *Significavi — incidunt* ) Pro priore Goth. et Voss. 2, *signavi* cum edd. ante Stoërium meis omnibus, exceptis solis Ald. et Basileensibus. Hoc magnopere tuetur Gesnerus, interpretans *nominavi*, ut respexerit Qu. ad §. 46, ubi eum *quaestionum* nomen translativo statui tribuisse, ait vir doctus. Hoc ipsum neque ego video, neque exemplis ullis doceor, *signare* sic posse dici pro *nominare*, *appellare*. Alium igitur locum, quem indicare voluerit Qu., demonstravi, sequutus Capperonnerium. Codd. quidem nulli, praeter menaechmos illos supra positos, praeferunt *signavi*, quod ego merum accipio errorem. Tanto magis sibi constant in altera corruptela ( talem enim credo ) retinenda, *incidunt* pro *incidit*. Vix manum abstinui a loco ad Capperonnerii coniecturam quam mihi ipse ascripseram nondum visa eius editione) contra omnes, quotquot sunt, libros praeter Capp. ed. refingendo, quem, si sanus est in recepta, equidem non intelligo. — *Cui. ad hoc.* ) Guelf. Goth. et Iens (tac. Gesn.) *ab hoc*, quae multorum codd. videtur scriptura, et edd. vett. fere omnium est. Regius coniecit *adhuc*, unde primus receptam videtur Vidovaeus (1538) effecisse. Haec tamen ( si Gibsoni, quod credo, silentium fidem meretur Baliolensem solum scripturae *ab hoc* testem citantis ), ipsa est in Bodl. et Ioann. Item Turic. nullam varietatem affert Cl. Sulzbergerus. Alm. dare *ab hac* narratur. Si *adhoc* iunctim scriptum esset, vel pro eo *adhuc* per errorem frequentissimum ( cf. not. crit. ad III, 5, 16 ), facillime fiebat *abhoc*; vid. Drakenb. ad Liv. III, 21, 7.

*Vt dixi* ) §. 36.

*Vt supra significavi — incidunt* ) Vid. §. 23. Pluralem *incidunt*, ex Capperonnerii animadversione, plane censeo mutandum in singularem *incidit*, quae non ita infrequens permutatio ( cf. not. crit. ad III, 4, 9 ). Refertur enim hoc manifesto ad solum istud *ultimum*, videl. τὸ *ad aliquid*, non ad reliqua etiam, quae modo recensuit, generalia capita Theodori; vid. not. Crit.

53 quid necesse est. Alii sex status putant, *coniecturam*, quam γένεσιν vocant; et *qualitatem;* et *proprietatem*, id est, ἰδιότητα, quo verbo finitio ostenditur; et *quantitatem*, quam ἀξίαν dicunt; et *comparationem;* et *translationem*, cuius ad hoc novum nomen inventum est μετάστασις· novum, inquam, in statu, alioqui ab Her-
54 magora inter species iuridiciales usitatum. Aliis septem esse placuit; a quibus nec translatio, nec quantitas, nec comparatio recepta est; sed in horum trium locum subditae quatuor legales, adiectaeque tribus illis ratio-
55 nalibus. Alii pervenerunt usque ad octo, *translatione* ad septem superiores adiecta. A quibusdam deinde divisa ratio est, ut *status*, *rationales* appellarent; *quae-*

*Inquam*) Guelf. Turic. et omnes paene codd. *tanquam*, nisi quod Bodl. in varietate commemoranda etiam hic tacetur a Gibsono, ut videatur, praeclarus iste codex tueri felicissimam coniecturam Regianam *inquam*, pro *tanquam*, quae vel nullo codice auctore debebat recipi. Vallensis, referente Badio, at *ab hoc* dat et *tanquam*. Badius Regianas emendationes probat, sed ponit nonnisi in margine. *Inquam* meorum primus recepit Gryphius. — Sed in alt. coll. dicitur Turic. dare *in quam*. *Iuridiciales*) Solus, quantum video, Obr. *iuridicialis*, quod non displicet.

*Quantitas*) Turic. et Alm. *qualitas*, soli quantum video (cf. §. 46, *quum — placuerit*); male.

ἰδιότητα) Hoc nomine *finitionem* appellatam a Theodoro. Qu. dicere non videtur, qui, illo commemorato, subiicit, *Alii* etc.; cf. §. 56. Tribuit tamen diserte istam appellationem Theodoro Augustinus Pithoeanus, p. 294.

*Comparationem*) Hic latiori significatione est accipiendum vocabulum; vid. supra §. 23. Vniversum aliquem statum intellige, quem ii, qui memorantur, rhetores hoc nomine appellaverint.

*Ad hoc*) Interpretare, *praeterea*, *insuper*; cf. Turselt. p. 37; noster VIII, 5, 22, *Ad hoc — gaudent*; XII, 10; 40. *Ad hoc quidam — putant*.

*Inter—iuridiciales*) Vid. not. crit. cf. VII, 4, 13, 14: *si* (defensio facti) *per se ipsam* — (non) *dabitur*, *proximum est*, *in alium transferre crimen — Hoc* μετάστασιν *dicunt*. Aquila Romanus (in Ruhnk. ed. Lupi), p. 155, (Metastasis) *species quaedam eius status*, *quem qualitatis — appellant secundum Hermagoram*. Cicero Inv. I, 11 hanc speciem appellat *Remotionem criminis*.

*Horum trium*) Non *harum*: intellige *statuum*, et cf. §. 61.

*Quatuor legales*) Cf. §. 46.

*stiones* (quemadmodum supra dixi) *legales:* in illis *de re*, in his *de scripto* quaereretur. Quidam in diversum hos status esse, illas quaestiones maluerunt. Sed alii ra- 56
tionales tres putaverunt, *An sit? Quid sit? Quale sit?* Hermagoras solus quatuor, *coniecturam, proprietatem, translationem, qualitatem*, quam per accidentia, id est κατὰ συμβεβηκότα, vocat, hac interpretatione, *An illi accidat viro bono esse, vel malo?* Hanc ita dividit, de appetendis et fugiendis, quae est pars *deliberativa; de persona*, ea ostenditur laudativa; *negotialem*, quam 57
πραγματικὴν vocat, in qua de rebus ipsis quaeritur, remoto personarum complexu, ut, *Sitne liber, qui est in assertione? An divitiae superbiam pariant? An iustum quid, an bonum sit? Iuridicialem*, in qua fere eadem, sed certis destinatisque personis quaerantur: *An ille iuste hoc fecerit, vel bene?* Nec me fallit, in primo 58
Ciceronis rhetorico aliam esse loci negotialis interpretationem, quum ita scriptum sit, *Negotialis est, in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur: cui diligentiae praeesse apud nos iurisconsulti existimantur.*

Συμβεβηκότα) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) συμβεβηκὸς cum edd. ante Stoër. meis omnibus. Sed verior videtur pluralis; cf. §. 36 — Πρ. *vocat,*) Goth. (tac. Gesn.) *vocant*, et sic modo ad συμβ. edd. ante sec. Bad. meae omnes (praeter Ald.); male utrumque.

*Iustum quid*) Ita Guelf. Turic. Goth. (tac. Gesn. ut et de Iens.) Voss. 2, et edd. ante Gryph. omnes. Recentiores inserunt *sit*. Turic. etiam post *bonum* tollit *sit*; non male.

*Scriptum sit*) Alm. et Turic. *scr. est*, soli.

*Supra dixi*) §. 46. extr.

*Per accidentia—vocat*) Vid. Aquil. Rom. 1. modo c. *status quem qualitatis, aut ex accidenti appellant secundum Hermagoram.*

*Hac interpretatione*) Intellige *subiecta*; vide mox §. 58, *interpretationem* eodem modo usurpatam, pro definitione.

*Qui — assertione*) Cuius igitur de libertate quummaxime litigatur; vid. Lexica.

*Iuridicialem*) Hoc nomine appellat igitur *qualitatem* in iudiciali genere.

*Cic. rhetorico*) I, 11.

59 Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, supra dixi. Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae: et si qua est in his culpa, tradentis est: sive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quaestionibus iuris; sive, 60 quod Graeci πραγματικοὺς vocant iuris interpretes. Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de oratore substituit, ideoque culpari, tanquam falsa praecipiat, non potest. Nos ad Hermagoram. *Translationem* hic primus omnium tradidit, quamquam semina eius quaedam 61 citra nomen ipsum apud Aristotelem reperiuntur. Le-

*Regestae — scholae*) Expressi scripturam codd. Alm. veteris Florentini (ref. Regio) et, nisi fallor, Turic. atque Bodl. qui a conferentibus silentur. In qua id unum mutavi ex recentiorum a Stoërio inde ratione, ut pro eorum *quas* scriberem *quos*, auctoribus codd. Alm. Turic. Guelf. Goth. multisque praeterea ut et edd. ante Gryph. meis omnibus. Aptius mihi videbatur, *commentarios* a Cicerone *deductos* dici, quam *scholas*, quae non sunt ipsius, sed tradentis. Ceterum Guelf. pro *regestae* dat *res gestae*, pro *scholae*, *schola*, cum multis aliis utrumque. Male reduxit Capper. aliquot priorum edd. scripturam: *res regestae — quas — schola*, quae in nullo est cod. — *Movit quod*) Guelf. Turic. *mov. id qu.* Goth. (tac. Gesn.) *mov. qui.* Hoc praepostere, illud fortasse recte. *Loco*) Goth. *libro*; vid. I, 10, 18.

*Supra dixi*) Vid. III, 5, 15.

*Regestae — scholae.*) *Hi libri nihil aliud sunt nisi scholae* (h. e. disputationes rhetoris; cf. III, 1, 14 et Lexica) *in Commentarios, quos adolescens contexuit Cicero, relatae.* Sic II, 11, 7, *regerunt* usurpatur, a quo verbo repetendum est (recte observante Regio et Vossio de vitiis serm. p. 74) barbarum vocabulum, *registrum. Deducere* autem de filo nentium proprie dictum, transfertur ad omnia, etiam ingenii, opera; cf. IV, 1, 60; it. VIII, 2, 9 e Virgilio; vid. Drakenb. ad Liv. V, 38, 1; XXI, 55, 5; Burm. ad Ovid. Amor. I, 14, 7.

*Tradentis*) Quem, quis fuerit, ignoramus hodie.

Πραγματικούς) Cic. de Or. I, 45: Apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, *ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur*; it. I, 59, extr. noster XII, 3, 4. Invenal. VII, 128.

*Nos ad Herm.*) *Convertamur.* Sic mox III, 6, 98: *Sed ad propositum*, c. 8, 10, *Sed nunc ad Suasoriam.*

*Primus omnium*) Cic. de Inv. I, 11: *Huius* (quam translativam nominamus) *constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur* etc.

*Semina — apud Aristot.*) Vnum Aristotelis locum (Rhet. III, 15, 8), satis manifestum illum in hanc rem, affert Capperonnerius. Negat ibi Eu-

gales autem quaestiones has fecit, *scripti* et *voluntatis* (quam ipse vocat κατὰ ῥητὸν, καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est *dictum et exceptionem:* quorum prius ei cum omnibus commune est, exceptionis nomen minus usitatum), *ratiocinativum*, *ambiguitatis*, *legum contrariarum*. Albutius, eadem divisione usus, detrahit translationem, subiiciens eam iuridiciali. In legalibus quoque quaestionibus nullum putat esse, qui dicatur *ratiocinativus*. Scio plura inventuros adhuc, qui legere antiquos studiosius volent: sed ne haec quoque excesserint modum, vereor. Ipse me paulum in alia, quam prius habuerim, opinione nunc esse confiteor. Et fortasse tutissimum erat famae modo studenti, nihil ex eo mutare, quod

62

63

*Studenti*) Hoc dare videntur codd. plerique, etsi Goth. et Voss. 2, cum edd. ante Basil. meis omnibus, praeter Ald. praeferunt *studentem*; minus bene. — *Dissimulati*) Sic Guelf. et Turic. cum iis qui ab aliis citantur; edd. ante Obr. fere *dissimulanti*. Sed nostra sola placet, quam-

ripides in iudicio debere agi causam, quam κρῖται in theatro iam disceptaverint. Hic tamen solus an sufficiat, solusque obversatus sit Quintiliano; equidem non dixerim, quamquam nec nego. Alterum in eodem Aristotelis capite (§. 2) designat, si sequamur coniecturam Victorii: ὡς οὐ βλαβερὸν ἢ οὐ τούτῳ. Esse enim in οὐ τούτῳ recusationem accusatoris, quae pertineat ad *translationis* statum. Et recepit Buhlius hanc ipsam lectionem, Mss. et veteri versione firmatam, pro vulgato οὐ τοῦτο, quod spectat ad *finitionem*. Sed emendationem istam Victorianam non prorsus tutam existimo una cum Capper. cf. Ar. Rhet. III, 17, 1, ubi eadem fere, et legitur εἰ περὶ τοῦ γενέσθαι τοῦτο ἡ ἀμφισβήτησις. Male autem vertunt, *si de facto controversia fuerit*, quum deberent ita: *Si quaeritur, an hoc maxime factum fuerit*. Est *finitivi* status significatio.

*Minus usitatum*) Pro quo pervulgatum est κατὰ διάνοιαν; cf. §. 46.

*Ratiocinativum*) Pendet masculinum a voce *statum* subaudita; ita mox §. 62, *nullum — qui*.

*Translationem — iuridiciali*) Cf. §. 42.

*Nullum — ratiocinativus*) Quo igitur retulit *ratiocinativum* statum? An ad *scripti et voluntatis*? quoniam, qui legem aliquam trahit eo, cuius disertam non fecit illa mentionem, is sane aliud scriptum, aliud intellectum a legis auctore contendit; cf. VII, c. 8 toto, ubi Qu. hanc quam tetigi duorum statuum affinitatem agnoscit, simul tamen monet, quid intersit.

*Ne — vereor*) Haec ipsa vide I, 7, 29.

multis annis non sensissem modo, verum etiam appro-
64 bassem. Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulati (in eo praesertim opere, quod ad bonorum iuvenum aliquam utilitatem componimus) in ulla parte iudicii mei. Nam et Hippocrates, clarus arte medicinae, videtur honestissime fecisse, quod quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est. Et M. Tullius non dubitavit aliquos suos libros iam editos aliis postea scriptis ipse damnare, sicut Catulum atque Lucullum, et hos ipsos, de quibus modo sum loquutus, artis Rhe-
65 toricae. Etenim supervacuus foret in studiis longior

quam Budaeus quoque (Comm. G. L. p. 20) Graecismum invenit in loco nostro. Vix enim referatur genitivus *iudicii* ad *in ulla parte*. Nunc *dissimulati iudicii mei* pendet a *conscius*: *in ulla parte* autem dicitur adverbialiter pro *usquam*; cf. II, 16, 18.

*Quod quosd. err.*) Sic Guelf. Turic. Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum Bal. et edd. vett. Recentiores a Gryphio inde *qui quosd. err.* Rectissime veterem scripturam defendit Gibs. qui cum Obr. recepit eam; neque enim tam ipse laudatur Hipp., quam quod confessus est. Vereor ut recte dicatur *videtur honestissime fecisse qui*. Error natus e veterum edd. et fortasse codd. scriptura *q* secta infra ductu obliquo quam confunderent cum altera recto; cf. III, 7, 5.

*Aliq. suos libr. iam edit.*) Ita Goth. cum edd. ante Bas. omnibus, sed repetit hanc rationem Gryphius. Recentiores ut est Gesn. *aliq. iam ed. libr.* omisso *suos* et ordine minus commodo. Malui sequi vett. edd. cum uno codice, etsi reliqui videntur tueri vulgatam. — *Catulum*) Guelf. et Goth. Iens. (tac Gesn.) *Catullum*, cum multis edd.; proclivi errore.

*Lucullum*) Goth. (tac. Gesn.) *Lucillium*. Turic. *bucullum*.

*Longior*) Guelf. *longus*, nec displicet.

*Hippocrates*) Locus celebratus: Τοῦτό ἑλκέ με δεόμενον πρισθῆναι· ἔκλεψαν δέ μου τὴν γνώμην αἱ ῥαφαὶ ἔχουσαι ἐν σφίσιν ἑωυτῇσι τοῦ βέλεος τὸ σάνος. Hippoc. Epid. V, 14, de quo haec Celsus: *A futuris se deceptum esse, Hippocrates memoriae prodidit, more magnorum virorum et fiduciam magnarum rerum habentium* etc. 8, 4. Vide etiam Ruhnkenium idem exemplum commemorantem in elogio Hemsterhusiano.

*Catulum — Lucullum*) Cic. Epp. ad Att. XIII, 12, 13, 16, 19. Academicas disputationes duobus primum libris complexus, quorum alteri Catulo, Lucullo alteri titulum fecerat, postmodo in quatuor contulit, in quibus Varroni partes dedit. Alterius editionis nonnisi primus liber ad nos pervenit. Prioris secundus, qui inscribitur Lucullus, superstes. Reliqua interciderunt. Tertius decimus Epist. ad Attic. liber multa pas-

labor, si nihil liceret melius invenire praeteritis. Neque tamen quidquam ex his, quae tum praecepi, supervacuum fuit: ad easdem enim particulas haec quoque, quae nunc praecipiam, revertentur: ita neminem didicisse poeniteat: colligere tantum eadem, ac disponere paulo significantius conor. Omnibus autem satisfactum volo, non me haec serius demonstrare aliis, quam mihi ipse persuaserim. Secundum plurimos auctores servabam tres rationales status, *coniecturam*, *qualitatem*, *finitionem*, unum *legalem*. Hi mihi status generales erant. Legalem in quinque species partiebar, *scripti et voluntatis*, *legum contrariarum*, *collectivum*, *ambiguitatis*, *translationis*. Nunc quartum ex generalibus intelligo posse removeri; sufficit enim prima divisio, qua diximus alios rationales, alios legales esse: ita non erit status, sed quaestionum genus: alioqui et rationalis status esset. Ex iis etiam, quos speciales vocabam, removi *translationem*: frequenter quidem (sicut omnes, 66 67 68

*Eadem ac.*) Goth. (tac. Gesn.) *ea atque*. Non male.

*Ipse persuas.*) Guelf. *ipsi demonstraverim*. Prius et Goth. cum Iens. (tac. Gesn.) Male utrumque. Iungunt *dem. ac pers.* aliquot edd. — *In quinque spec.*) Turic. *in hasque spec.* Vtrum *in has quinque spec.* volebat librarius an *in hasce spec.*? Alm. *in has spec.* cf. §. 54 *quantitas*.

*Ex iis*) Malui e Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum Tarv. Ald. Bas. *iis* prae aliorum *his*, tamquam clarius.

sim de hac editionis mutatione exponit, quae dilucide inde excerpsit Castilio in versionis Academicorum Francogallicae Prooemio.

*Significantius*) Cf. I, 7, 32.

*Satisfactum*) Quod pro hoc legitur in quibusdam edd., a Capperonnerio male revocatum, *patefactum*, manifestum est nostrae scripturae interpretamentum; in Cod. quidem nullo comparet. Exempla tamen eius, qua hic accipiendum *satisfacere*, significationis adhuc desidero. Simile videtur Graecorum sequiorum πληροφορεῖν; nisi quod hic probationi isti vel affirmationi inest aliqua deprecatio pristini erroris. *Satisfacere* enim fere est deprecari apud nostrum ut XI, 1, 64; XI, 3, 63.

*Collectivum*) Cf. §. 46.

*Prima — diximus*) Cf. III, 5, 4.

*Non erit status*) Subiectum sententiae, quod fortasse desideres, est ipse ille *quartus*, quem nunc *removeri posse intelligit*. Si enim, quod convenit, *rationalis* nullus est status, ne *legalis* quidem erit.

*Removi*) Attende differentiam

qui me sequuti sunt, meminisse possunt) testatus, et in ipsis etiam illis sermonibus, me nolente vulgatis, hoc tamen complexus, vix in ulla controversia translationis statum posse reperiri, ut non et alius in eadem recte dici
69 videretur: ideoque a quibusdam eum exclusum. Neque ignoro multa transferri, quum in omnibus fere causis, in quibus cecidisse quis formula dicitur, hae sint quaestiones, *An huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc,*
70 *an hoc tempore liceat agere?* et si qua sunt talia. Sed

*Testatus*) Goth. omittens hoc vocabulum aut oscitantis librarii habet errorem, aut male seduli, qui supervacuum crediderit alterum participium, quum sufficeret *complexus*, quod sequitur. Neque tamen *complexus* poterat referri ad sermonem quotidianum in schola habitum, qui intelligitur in *testatus*. Videntur omnes praeterea codd., et ipse etiam Voss. 2 tueri receptam.

*Vix in ulla*) Turic. *dixi in illa*. Alm. *d. i. ulla*. Soli, ni fallor; cf. modo §. 66, *in qu. spec.*

*Eadem recte*) Guelf. *eadem re recte*, pessimo repetendi literas errore. Goth. (tac. Gesn.) *eodem*, male et ipse.

praet. perfecti *removi* et imperfecti *vocabam* (ut supra *servabam*, *erant*, *partiebar*, ne forte quis referat ad id quod modo dicebat §. 66, quasi tum demum *vocaverit*). Hoc spectat ad pristinum partiendi morem, nunc improbatum; illud, quae quummaxime Qu. fecerit, significat; neque quidquam interest *removi* dicat an *removeo* (sicut modo est praesens *intelligo*), nisi quod disciplinam iam constitutam ostendit perfectum.

*Testatus*) Videl. id quod infertur, *vix — posse reperiri*, ne forte quis in antecedentibus quaerat, quod *testatus* fuerit Qu.; cf. not. Crit.

*Sermonibus — tamen*) Cf. Prooem. tot. operis §. 7. In particula *tamen* inest eorum sermonum vituperatio: *in illis sermonibus licet valde imperfectis*. Etiam *complexus* habet erroris in istis libris admissi significationem, cui tamen adiunxerit iam tum aliqua verae rationis semina.

*Cecidisse — formula*) De hac locutione tirones consulant Lexica in *formula*. Praeterea Torrentius eam illustrat ad Suet. Claud. 14 (non 24 ut Buran.); etiam Brissonius *de verbb. signif.* in *cadere*, qui locum affert e Declamm. Quint. 350, p. Bip. 344, quem manifesto corruptum egregie et ipso Gronovio melius corrigit. Sic enim constituit: *ut petitor excidisse formula et aliter, quam potuerit, agere dicatur*. Maxime huc facit Institutt. IV, tit. 6, §. 33: *Si quis agens intentione sua plus complexus fuerat quam ad eum pertinebat, causa cadebat, id est rem amittebat, nec facile in integrum restituebantur a praetore, nisi minor erat annis XXV*.

*Hae — quaestiones*) Vide eas ipsas Cic. de Inv. I, 8, it. §. 52.

personae, tempora, actiones, ceteraque propter aliquam causam transferuntur: ita non est in translatione quaestio, sed in eo, propter quod transferuntur. *Non debes apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud consules: maior enim praetoria cognitione summa est;* quaeritur, *An maior summa sit?* facti controversia est. *Non licet tibi agere mecum: cognitor enim fieri non potuisti;* iudicatio est, *An potuerit? Non debuisti interdicere, sed petere: An recte interdictum sit?* am- 71

*In translatione*) Alm. *in translatio*, unde Francius efficit *in translato*, non male: sed in Turic. *translatio*, absque *in*; cf. §. 68.

*Iud. est*) Posterius omittunt Guelf. Turic. Alm.

*Fideicommissum — maior*) Vid. Institutt. lib. II, tit. 23, §. 1: « Quibus — non poterant hereditatem vel legata relinquere, si relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant. Et ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo iuris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea divus Augustus primus — iussit Consules auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur et populare erat: paulatim conversum est in assiduam iurisdictionem — ut paulatim etiam praetor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellabant ». Pro *summae* quantitate, actionem debuisse intendi vel apud Consules vel Praetorem, apparet ex nostro ipso loco; cf. Bach. in Hist. Iur. p. 391, 92.

*Cognitor*) Qui causam alterius ita ab eo didicit, ut eam probaret et suam faceret in iudicio, vid. Lexica. Negat ergo is, quem loquentem facit Qu., causam potuisse cognosci ab hoc, qui alterius litem contra se susceperit.

*Iudicatio*) Cf. III, 11 ; 1, 4, 7.

*Interdicere — petere*) *Interdicere* litigator dicitur quum interdicto utitur contra eum, qui vim sibi in re sua faciat; cf. II, 10, 5. Locus ad nostrum appositissimus est Institutt. IV, 15, 4: *Retinendae possessionis causa comparata sunt interdicta, uti possidetis* (Digest. XLIII, 17, 1, et hoc quidem *de soli possessione scriptum est*), *et utrubi* (ib. XXXI, 1. « Hoc — de possessione rerum mobilium locum habet): quum ab utraque parte de proprietate alicuius rei controversia sit, et ante quaeratur, uter ex litigatoribus *possidere* et uter *petere* debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit, utrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui, quia et civilis et naturalis ratio facit, ut alius possideat et alius a possidente petat. Et, quia longe commodius est et potius, possidere quam petere; ideo plerumque et fere semper ingens existit contentio de ipsa possessione ».

bigitur. Quae omnia succedunt legitimis quaestionibus.
72 An non praescriptiones (etiam in quibus maxime videtur manifesta translatio) easdem omnes species habent, quas eae leges, quibus agitur, ut aut de nomine, aut scripto et sententia, vel ratiocinatione, quaeratur? Deinde status ex quaestione oritur; translatio non habet quaestionem, de qua contendit orator, sed propter
73 quam contendit. Hoc apertius: *Occidisti hominem;*

*E quaest. oritur*) Ita Turic. Guelf. Goth. (tac. Gesn.) cum Alm. tribus Voss. et Bern. Ceteri, cum excusis quidem omnibus: *e quaest. oriatur*. Iidem excusi omnes interrogationis signum ponunt demum post *oriatur*, et a voce *Translatio* novum sensum ordiuntur. Equidem, quam dedi distinctionem, inveni ipsam in Guelf. et Goth. In vulgata coniunct. *oriatur* pendet ab *ut*; sed quod subiicitur *Transl. — contendit* abruptum plane est et salebrosum, quod in ista constitutione mihi etiam de glossa suspectum erat. Melior saltem ratio edd. mearum, a Gryphio inde ad Gibs. usque, mox pro *non habet* dantium *non habeat* (et hoc revocavit Capper.) itidem coniunctivo modo, qui et ipse pendeat ab *ut*. Sed hanc codd. paene omnes repudiant. Sic cogimur et in *oritur* tueri indicativum, et utrumque a quaestione illa figurata seiungere; quam loci constitutionem sponte praeluleris, ut minus languidam.

*Apertius*) Turic. *apertius est*, solus, quantum video; neque placet. — *Occid. Honor. — puto. Honor.*) Errorem omittendi *Honor. — puto*,

*Legitimis quaestionibus*) Sunt eaedem quae *legales* (§. 46). Paulo latius idem vocabulum de rebus forensibus usurpavit Cicero Orator. 34, *legitimarum — controversiarum*. Pro Archia c. 2, *in quaestione legitima*. Institutt. lib. III, tit. 1, §. 14: *Utroque enim iure tam naturali quam legitimo* citante Brissonio de verbb. signif. *succedere* autem pro *subiici* eo significatu, quem vidimus ad III, 3, 6.

*Praescriptiones*) Cf. VII, c. 3. Sunt *exceptiones* ICtorum, ut docent Lexica. Graece χαραγραφαί. Sic autem de hoc verbo Budaeus Comm. Gr. L. p. 67: *ICti in Pandectis promiscue excipiendi verbo et praescribendi usi sunt: licet praescriptionis vocabulum apud recentiores legum interpretes — ad praescriptionis exceptionisque temporis significationem coartatum sit et praefinitum.*

*Translatio — propter quam contendit*) Repetit, quae modo dicebat §. 70. Sed non est ieiuna haec iteratio, quoniam subiicitur argumentationi ab exemplis firmatae, in cuius fine quasi triumphat; cf. not. crit. Neque erat quod contra Codd. Regius corrigeret *propter* in *per*. *Translatio* h. l. est *causa translativa*, in qua utimur translatione. Talis autem causa non translationis habet quaestionem et statum, sed eius rei, propter quam transferimus.

*Hoc apertius*) Prius accipe sexto casu, ut in locutione *Hoc amplius*, de qua vide I, 5, 50.

*Non occidi:* quaestio, *An occiderit?* status, coniectura. Non est tale, *Habeo ius actionis; Non habes:* ut sit quaestio, *An habeat?* et inde status. Accipiat enim actionem necne, ad eventum pertinet, non ad causam: et ad id, quod pronuntiat iudex, non id, propter quod pronuntiat. Hoc illi simile est, *Puniendus es; Non sum:* 74
videbit iudex, *an puniendus sit?* sed non hic erit quaestio, nec hic status. Vbi ergo? *Puniendus es, hominem occidisti: Non occidi: An occiderit? Honorandus sum; non es;* num statum habet? non, ut puto. *Honorandus sum, quia tyrannum occidi; Non occidisti:* quaestio, et status. Similiter, *Non recte agis; Recte ago*, non 75
habet statum; ubi est ergo? *Non recte agis, ignominiosus;* quaeritur, *An ignominiosus sit?* aut, *An agere*

lensonianae tribuit Gesn., a qua abest, quum sit contra in Goth. (in eius tamen margine suppletur). Omittit autem mearum quidem edd. nulla haec verba, praeter Leidensem eiusque repetitionem Gibs. Codex item nullus videtur hoc vitio infectus praeter, quem dixi, Goth. et Voss. 2, cuius nulla mentio apud Burm. dum ceterorum supplementa recensentur. In istis *non*, *ut puto*, levis est fluctuatio, Ioann. et Voss. 1 dantibus, *aut puto*, quod placeat, si scribatur *haud p.* Bodl. *non p.* Voss. 3, *at p.* Pluriumorum codd. est recepta, in qua acquiescendum. Bad. Cerv. cum Vascos. quarto *non id puto;* male.

*Status. Similiter*) Solus Gesnerus (quem sequuti sunt Bip.) inserit *An occiderit*, quae verba, sententiae (ut putat) necessaria, ait legi in sola edit. Ruscon. 1502. In Goth. *fuisse* (non plane assequor praeteritum) lacunam inter utramque clausulam. At lacuna illa, quam modo demonstrabam, est alio loco. Rusconis ed. 1502 equidem nullam video, ne a Gesnero quidem ipso, designatam. Suspicor itaque sphalma esse pro 1512. Hanc autem nil tale ostendere, meis oculis credo. Fortasse Gesn. legendo aberraverat ad superiora ubi bis haec verba, in omnibus libris. Codd. nullos praeferre hoc additamentum sponte intelligitur. — *Non recte agis rect.*) Edd. ante Ald. omittunt *recte agis*, quod coniectura inseruit Reg. sed codd. videntur dare omnes. Rusc. *n. r. agis n. h. st*

*Quaestio et status*) Nihil deest; facile enim intelligitur, in iis, quae modo posuerit, esse *quaest.* et *stat.* qui est coniecturalis. Ita mox §. 75, *quaestiones et status.* Eodem redeat, si dixerit: *En quaest. et stat.* vel *Hae sunt quaest.* etc. vel, *Et inde quaest.* etc. ut modo §. 73.

*Ignominiosus*) Esse eum proprie quem Censor notarit, docent Lexica; cf. Declamatt. Qu. 250, 263 et 265, ubi ignominiosorum sunt controversiae; it. VII, 1, 8; VII, 5, 3.

*ignominioso liceat?* et quaestiones et status. Ergo translativum genus causae est, ut comparativum, et
76 mutuae accusationis. At enim simile est illi, *Habeo ius; Non habes: Occidisti; Recte occidi.* Non nego: sed nec res haec statum facit; non enim sunt hae propositiones (alioqui causa non explicabitur), sed cum suis rationibus. *Scelus commisit Horatius, sororem enim occidit: Non commisit; debuit enim occidere eam, quae hostis morte moerebat;* quaestio, *An haec iusta causa?* ita

*Et quaestiones*) Ita Guelf. et Turic. cum ceteris, qui memorantur, plurimis codd. nec dubito quin aliquot negligentius inspecti vel omissi sint a conferentibus, velut Bodl. Edd. meae ante Bad. omnes item. Post hunc, *et quaestio est* (nam sic se legere ait Bad. satis pro imperio) omnes, excepta Ald. sec. In Turic *et* ante *qu.* omittitur; non male, sed nullo, quod sciam, socio.

*Est ut comparativum*) Guelf. et Turic. omittunt *est* cum Voss. 3 et ed. Tarv. *et comp.* omisso *ut* dant Goth. et Voss. 2, *et ut comp.* Iens. (tac. Gesn.) quod in suis inveniebat Regius, qui corrigendum esse putat *non est ut comp.*, quod reposuerunt Rusc. Bad. (qui *non* abesse narrat a Vallensi) Cerv. sed Locat. Venet. Ald. Gryph. dant receptam, quam deinceps omnes exhibent; nisi quod Capper. revocavit constitutionem Regianam. Male; nam recte Pinus, post eumque Gesnerus, rationem reddidit vulgatae, quae videtur esse in sat multis, qui tacentur, codd. Neque re ipsa abhorret ab ea Turicensis aliique.

*Illi Habeo*) Hoc videntur codd. dare omnes, cum edd. ante Stoërium meae, *illi Ius habeo.* Neque enim Iens. (ut refert Gesn.) *illius Habeo*, etsi hic videtur fons erroris, qui est in edd. istis omnibus.

*Suis rationibus*) Turic. *s. orationibus* cum Alm. solo.

*Morte moer.*) Alm. *mortem moer.*, cum Voss. 2. Cum Alm. h. l. non

*Quaestiones — status*) Pluraliter utrumque, quoniam duae quaestiones tanguntur, duo status; coniecturae alter, alter qualitatis.

*Genus Causae*) Non status, cf. §. 67; it. III, 10; III, 4, de *genere comparativo* et *mutua accusatione*; item VII, 2, 9 seqq. it. §. 22, it. VII, 4, 12.

*Simile est illi*) Structura paulo impeditior. Sed recte explicuerunt Gedoyn. et Capper. *Habeo ius* etc. (translatio) *simile est illi Occidisti* etc. (qualitati). Facilius longe sit, si *simile est illi* ponatur post *Non habes.*

*Propositiones*) προθέσεις quales appellat Aristoteles Rhet. III, 13, 2 et passim; cf. §. 13.

*Non explicabitur — rationibus*) Ita mox §. 82: *iuris discep. — potest explicari*; et 88 *semper coni. explicatur.* Haec, quae modo sunt posita: *Non habes ius*, *Recte occidi*, non fiunt iustae propositiones, nisi quum iis suae rationes adiunguntur. Exemplis hoc ostenditur et qualitatis et translationis.

*Morte moerebat*) Vid. not. crit.

qualitas. Ac similiter in translatione, *Non habes ius* 77
*abdicandi, quia ignominioso non est actio: Habeo ius, quia abdicatio actio non est;* quaeritur, *Quid sit actio?* finiemus: *Non licet abdicare*, syllogismus. Item cetera per omnes et rationales et legales status. Nec 78
ignoro fuisse quosdam, qui translationem in rationali quoque genere ponerent hoc modo, *Hominem occidi iussus ab imperatore. Dona templi cogenti tyranno dedi. Deserui, tempestatibus, fluminibus, valetudine impeditus*, id est, non per me stetit, sed per illa. A quibus etiam liberius dissentio. Non enim actio 79
transfertur, sed causa facti: quod accidit paene in omni defensione. Deinde is, qui tali utitur patrocinio, non recedit a forma qualitatis; dicit enim, se culpa vacare: ut magis qualitatis duplex ratio facienda sit, altera, qua et factum defenditur; altera, qua tantum reus. Cre- 80
dendum est igitur iis, quorum auctoritatem sequutus est Cicero, tria esse, quae in omni disputatione quaerantur, *an sit, quid sit, quale sit?* quod ipsa nobis etiam natura praescribit. Nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur: quod, quid sit, et quale sit, certe

conspirat Turic. Certe nihil varietatis ex eo affertur. Goth. om. *morte*, fortasse ex mero errore. Vtriusque structurae tam manifesta sunt exempla, ut vix videatur decerni posse, quid h. l. sit legendum. Facillimum quidem erat, ut excideret *m* in *mortem* ante *moer.* quae ipsa ratio est loci Ciceroniani Phil. IX, 5, *mortem magis* ubi antecedit *dolere.*

*Per illa*) Guelf. et Turic. *p. illud* cum Alm. Voss. 1, 3, edd. Tarv. Ald.

*Ambigitur*) Goth. (tac. Gesn.) *ambigatur* cum Voss. 2, Steph. et

*Non licet — syllogismus*) Sententia haec *Non licet* etc. est alia eiusdem causae tractatio in diverso statu, et quidem in *syllogismo*, quoniam docetur abdicatio, etsi in legibus diserte non vetita, tamen itidem, sicut ceterae actiones, illicita; cf. §. 66.

*Non enim actio transfertur*) Hoc enim est vocabulis ludere. Nam *transfertur* quidem, sed peccati causa a reo (μετάστασις §. 53): non acrio.

*Qualitatis duplex*) Cf. VII, 4; IV, 7, κατ' ἀντίληψιν *absoluta*, προσληπτικὴ *assumptiva.*

*Sequutus — Cicero*) Cf. §. 44.

non potest aestimari, nisi prius esse constiterit: ideoque
81 ea prima quaestio. Sed non statim, quod esse manifestum est, etiam, quid sit, apparet. Hoc quoque constituto, novissima qualitas superest: nec his exploratis aliud est ultra. His infinitae quaestiones, his finitae continentur; horum aliqua in demonstrativa, deliberativa,
82 iudiciali materia utique tractantur. Haec rursus iudiciales causas et rationali parte et legali continent. Neque enim ulla iuris disceptatio, nisi finitione, qualitate,
83 coniectura potest explicari. Sed instituentibus rudes, non erit inutilis latius primo fusa ratio, et, si non statim rectissima linea tensa, facilior tamen et apertior via. Discant igitur ante omnia, quadripertitam in omnibus causis esse rationem, quam primam intueri debeat,

Gryph. (1544), non male. — *Vtique tractantur*) Turic. *u, tractatur* cum Alm. et Bern. male.

*Iudiciales*) Ita coniecerat Regius pro *iurldiciales*, quod inveniebat. Sed recta scriptura iam erat in Tarv. et in codd., ut videtur, omnibus praeter Goth. — *Continent*) Haec scriptura, si Sulzbergeri silentium fidem meretur, est in Guelf. et Turic. In Goth. quidem esse prodidit iam Gesn. in Voss. 1, Burm. Edd. habent solae Obr. Capper. Gesn. Bip. Ceterae *continet*, quod ferri nequit. Modo pro *et rationali* eodem ambo errore Alm. et Turic. *et rationalis*.

*Neque enim*) Ita Guelf. Ceteri *Nec en.* cf. III, 3, 5.

*Quadripertitam*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *quadripartitam* cum edd. praeter Bad. et Cerv. ante Gryphium meis omnibus. Certant Grammatici de ratione voces hasce scribendi; equidem E veram puto, quoniam in *expers* et tot aliis compositis in E abit A; vid. Dausquium in orthogr. qui sibi non prorsus constat. Hic quidem ceteri codd. videntur E dare; conf. V, 14, 5, ubi plerique libri dant A.

*Latius*) Ita, ut *translatio*, tanquam quartus status, etsi vere non sit, adiungatur.

*Rectissima — tensa*) Fabros et architectos linea usos constat; in viarum sternendarum opere usurpatam eam nondum inveni, sed facile et ibi intelligitur eius usus. Appositissimum ad Qu. verba locum Gesnerus in Thesauro affert Ciceronis ad Qu. Fr. III, 1; 1: *Columnas neque rectas neque e regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur: aliquando perpendiculo et linea discet uti.* In structura ambigas, nominativum an ablativum facias vocem *linea*. Vt enim expeditissima verborum ratio si *linea — via* sunt nominativi, ita sensus

qui actu*r*us est. Nam, ut a defensore potissimum incipiam, longe fortissima tuendi se ratio est, *si, quod obïcitur, negari potest:* proxima, *si non id, quod obïcitur, factum esse dicitur:* tertia honestissima, *qua recte factum defenditur.* Quibus si deficiamur, ultima quidem, sed iam sola superest salus, aliquo iuris adiutorio elabendi ex crimine, quod neque negari, neque defendi potest; ut non videatur *iure actio intendi.* Hinc 84
illae quaestiones, sive actionis, sive translationis. Sunt enim quaedam non laudabilia natura, sed iure concessa; ut in XII tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit: quam legem mos publicus repudiavit: et aliquid aequum, sed prohibitum iure; ut libertas testa-

*Hinc*) Guelf. et Turic. *Hic* cum Bern. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) aliisque edd. mero errore.

*Actionis — translationis*) Eodem errore tres antiquissimi codd. *actiones — translationes* Alm. Bodl. Turic.

*Laudab. natura*) Turic. inserit *non* cum Alm. solo (cf. §. 70) non quidem nullo sensu.

friget quum haec sibi invicem opponuntur. Melius *rectissima* referatur ad *via*, ut sit ea *non rectissima quidem, facilior tamen.* Tum *linea tensa* ablativos accipias, quasi adverbialiter usurpatos; et hoc placeat sane, si quis hanc locutionem pervulgatam possit ostendere. Nam *tensa* nominativum coniungere cum *via*, ut *rectissima* sit ablativus pertinens ad *linea*, insolentius fuerit.

*Corpus — dividi*) Tab. III apud Bachium in Hist. Iurispr. Rom. p. 34. Si maxime vera est Bynkershoekii (in Observationibus iuris Romani lib. I, c. 1), aliorumque sententia omnem dilaniandi corporis saevitiam ab hac lege removentium et de venditione debitoris, pretiique divisione, interpretantium, agnoscere tamen cogimur, ab ipsis veteribus, ut nostro, Gellio (XX, 1), Tertulliano, acceptum fuisse hoc de vera corporis dissectione. Neque hoc negat Bynkershoekius, qui validissimis argumentis hunc veterum et ipsius Quintiliani errorem revincit, ingeniose interpretans *caput* sortem mutuo acceptam, *poenas* usuram, *secare* autem auctionis lege vendere. Quo ineptior est Capperonnerii sedulitas tantum virum locis ab ipso doctissime tractatis redarguere conantis, merito reprehensa Burmanno p. 78, Epist. ad Capper. Dukerus ad Liv. VI, 11, 8, e M. Manlii Capitolini, plebem in foeneratores exacerbantis, silentio, tam atrocem non fuisse poenam, verissime colligit.

*Lib. testamentorum*) Badius narrat Laur. Vallam Codici ascripsisse locum Institutt. II, 22, de lege Falcidia; *Quum enim olim lege* XII *tabb. libera*

85 mentorum. Accusatori nihilo plura intuenda sunt, quam ut probet *factum esse*, *hoc esse factum*, *non recte factum*, *iure se intendere*. Ita circa species easdem lis omnis versabitur, translatis tantum aliquando partibus: ut in causis, in quibus de praemio agitur, recte factum
86 petitor probat. Haec quatuor velut proposita formaeque actionis, quae tum generales status vocabam, in duo (ut ostendi) genera discedunt, *rationale*, et *legale*. Rationale simplicius est, quia ipsius tantum naturae contemplatione constat. Itaque in eo satis est ostendisse
87 *coniecturam*, *finitionem*, *qualitatem*. Legalium plures sint species necesse est, propterea quod multae sunt leges, et varias habent formas. Alia est cuius verbis nitimur, alia cuius voluntate: alias nobis, quum ipsi nullam habemus, adiungimus: alias inter se compara-
88 mus: alias in diversum interpretamur. Sic nascuntur haec velut simulacra ex illis tribus, interim simplicia, interim et mixta, propriam tamen faciem ostendentia, ut *scripti et voluntatis*, quae sine dubio aut *qualitate* aut *coniectura* continentur; et *syllogismus*, qui est maxime *qualitatis*; et *leges contrariae*, quae iisdem,

*Sunt quam ut prob.*) Quod abest ab Alm. et Turic. et Voss. 2, ut et Bern. et Guelf. *quam*, id est tamen in Voss. 3, (etsi hic om. *ut*) et Goth. — *Caus. in quib.*) Turic. omittit *in* cum Alm. Voss. 3, et edd. vett. multis ut Iens. (tac. Gesn.) Placet.

*Discedunt*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *descendunt* cum Voss. 2, et Vallens. et edd. ante Gryphium meis omnibus. Manifesto eoque facili errore. Et veram defendunt multi bonique codd. — *Nitimur*) Guelf. *utimur* cum Voss. 2, Goth. Iens. (tac. Gesn.) et edd. meis ante Basil. omnibus praeter Ald. — *Quum — null. habemus*) Turic. *q. — n. habeamus*, solus, quantum video; nec male.

*Leges — constant*) Guelf. et Turic. *legis — constat*, per errorem, sed

*erat legandi potestas — visum est hanc legandi licentiam coartare* etc. Haec inquinata pro suis venditat Pseudo-Turnebus; cf. not. ad §. 70, item IX, 2, 74.

*Tum — vocabam*) §. 66.

*Vt ostendi*) §. 67, it. III, 5, 4.

*Quae sine dubio — continentur*) Cf. de *sine dubio* I, 6, 12.

quibus *scriptum et voluntas*, constant; et ἀμφιβολία, quae semper *coniectura* explicatur. *Finitio* quoque utri- 89
que generi, quodque rerum, quodque scripti contemplatione constat, communis est. Haec omnia, etiamsi in illos tres status veniunt, tamen, quia (ut dixi) habent aliquid velut proprium, videntur demonstranda discentibus: et permittendum, ea dicere vel *status legales*, vel *quaestiones*, vel *capita* quaedam *minora:* dum sciant, nihil ne in his quidem praeter tria, quae praediximus, quaeri. At *Quantum?* et *Quam multum?* 90
et *Ad aliquid*, et (ut nonnulli putaverunt) *comparativus*, non eandem rationem habent; sunt enim haec non ad varietatem iuris, sed ad solam rationem referenda: ideoque semper in parte aut conjecturae aut qualitatis ponenda sunt, ut, *Qua mente?* et *Quo tempore?* et *Quo loco?* Sed de singulis dicemus quaestionibus, quum tra- 91
ctare praecepta *Divisionis* coeperimus. Hoc inter omnes

sibi constantem illum, cum Alm. (etsi *constat* solum ex eo memoratur) Goth. et edd. ante Gryph. meis omnibus. Hic *constat* quidem dat, sed supra *leges*, per sphalma fortasse, quod et Gibs. habet, cum Leidensi nostram. Veterem scripturam male revocavit Obr.

*Demonstranda*) Turic. *demonstrativa*, insigni errore; solus.

*Praediximus*) Goth. (tac. Gesn.) *diximus*, solus, quantum video; vid. not. exeg. — *Comparativus*) Guelf. et Turic. *comparativos*. Sed in Goth. et edd. ante Bad. sec. praeter Ald. omnibus meis legitur mox *habere* pro *habent*, unde existit probabilis structura. Credibile autem est in omnibus, qui dant accusativum *comp.* infinitivum quoque in *hab.* a librario destinatum fuisse. Praeposteram scripturam — *vos* — *bent* praeferunt Ald. Bad. sec. Cerv. Bas. et, nisi quid conferentes peccavimus, Guelf. Turic. Voss. 1, 2, 3. Nostram dant a Gryphio inde omnes et codd. qui silentur, velut Britannici.

*In — status veniunt*) Modo §. 52, *incidunt* dicebat idem, mox §. 103, *cadent*.

*Ut dixi*) Intelligit ea, ni fallor, quae modo disputabat §. 87.

*Praediximus*) Cf. §. 80. Alia, quam Velleiana illa, significatione accipiendum non videtur. Vide de ea Ruhnkenium in praefatione, Velleio suo praemissa. Participium sic usurpavit VIII, 3, 83; X, 1, 74.

*Quum — Divisionis coeperimus*) Lib. VII.

convenit, in causis simplicibus singulos status esse causarum; quaestionum autem, quae, velut subiacentes, ad illud, quo iudicium continetur, referuntur, saepe in
92 unam cadere plures posse (etiam credo aliquando dubitari, quo statu sit utendum? quum adversus unam intentionem plura opponuntur: et sicut in colore dicitur narrationis, eum esse optimum, quem actor optime tueatur; ita hic quoque posse dici, eum statum esse faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere vi-
93 rium possit orator: ideoque pro Milone, aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, quum exercitationis gratia componeret orationem; quum ille *iure tanquam insidiatorem occisum*, et tamen non Milonis consilio, *di-*
94 *xerit;* hic etiam *gloriatus sit occiso malo cive*): in coniunctis vero posse duos et tres inveniri; vel diversos, ut si quis aliud se non fecisse, aliud recte fecisse defendat; vel generis eiusdem, ut si quis duo crimina
95 vel omnia neget. Quod accidit etiam, si de una re

*Subiacentes*) Guelf. *subiacent et.* Turic. *subiacentes et.*

*Hic etiam*) Guelf. et Turic. *ille etiam* cum Alm. et Voss. 3. Duplex *ille* vidimus II, 8, 11. — *Duos et tres*) Ita Turic. Guelf. Goth. (tac. Gesn.) Alm. Voss. 3, cum ed. Ald. Steph. Gryph. Obr. Ceteri *d. vel t.* Praetuli nostram ob consensum codd. et quia mox est *vel.* Manifestus autem Turicensis et Alm. consensus in errore *posset vos* pro *posse duos*, (cf. §. 84.)

*Illud — continetur*) Cf. III, 11, 2: *summam illam* (quaestionem) *in qua causa vertitur.*

*Colore — narrationis*) Cf. IV, 2, 88.

*Eum statum — possit orator*) Cf. §. 9, 10.

*Bruto*) Cf. X, 1, 23; X, 5, 20. Qui hanc Bruti orationem tangeret neminem praeter nostrum inveni. Orationem pro Deiotaro Bruti habes ap. Cic. Brut. c. 5, ad Att. XIV, 1, et scrip. Dial. de Orr. c. 21, 11; sed alio tempore habitam quam Ciceronis. Idem scriptor eius eloquentiam a Ciceroniana diversam ostendit cf. c. 19, 18, 25, et philosophiae aptiorem quam causis agendis, ut et noster X, 1, 123. Cicero quoque a sua secta alienum narrat ad Att. XIV, 20; XV, 1. Sed non genere dicendi solo, verum etiam iudicio dissimilem Ciceronis dicas hoc exemplo. Scite autem monet Gesnerus ipsum Ciceronem aliquid simile Brutianae rationis tractare c. 27 — 30, neque tamen ipsa actione id ausurum videri.

*In coniunctis—posse*) Pendent haec a verbo *convenit* §. 91, paulo longiore interiecta parenthesi, quae et ipsa suos habet infinitivos pendentes a *credo.*

quaeratur aliqua, sed eam plures petant; vel eodem iure, ut proximitatis; vel diverso, ut quum hic testamento, ille proximitate nitetur. Quoties autem aliud alii petitori opponitur, dissimiles esse status necesse est, ut in illa controversia: *Testamenta legibus facta* 96 *rata sint. Intestatorum parentum liberi heredes sint. Abdicatus ne quid de bonis patris capiat. Nothus, ante*

*Nitetur*) Ita Turic. et Alm.; *utitur* dat Guelf. Editi, quantum video,

*Abdicatus — capiat*) Huius legis meminit scriptor declamationum Quintilianearum Decl. 374 totidem verbis p. (ed. Bip.) 377, item Calpurnius (p. eiusdem voluminis 421) in hunc modum: *Abdicatus de bonis paternis nihil habeat*; et Hermogenes in Partitt. statuum c. 12, p. 71: ἀποκήρυκτος μὴ μετεχέτω τῶν πατρῴων. Talis lex utrum vere fuerit apud Romanos (nam de Graecis certa res est) an in scholis ficta solum ad exercitationem declamandi, disputatur a ICtis. Ipse quidem Qu. VII, 4, 11: *Quae in scholis*, ait, *abdicatorum, haec in foro exheredatorum a parentibus et bona repetentium ratio est*; et adest lex Codicis lib. VIII, 47, 6: *Adbicatio quae graeco more ad alienandos liberos usurpatur et ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur*. Rem ipsam, ut immorigeri, vel displicentes patribus, liberi abdicarentur, legibus Romanis fuisse prohibitam, nemo facile defenderit, quoniam tot exempla leguntur in scriptoribus. Cic. de Fin. I, 7, Val. Max. V, 7, 2 (Roman.); it. l. VIII, 3, 4; Sueton. Aug. cap. 65; et de eadem re Plin. H. N. VII, 45. Hoc docet Heineccius quoque ad Brissonium in h. v. Optima mihi videtur Aerodii ad Declam. Quint. 260 ratio putantis, Diocletianum in lege Cod. modo allata significare, suis temporibus abdicationem graeco more usurpari; quum Romani filios suos praescripta forma antiquitus non abdicarint, nec iis causas probare apud magistratum necesse fuerit, sed privatim maiorem etiam potestatem habuerint vitae et necis. Is sensus eo quoque effici videtur, quod lex ista *usurpatur* ait, quasi in re etiamnum fieri solita, subiecto *dicebatur* quod nonnisi ad usum appellandi graecum spectat. Nempe nunc *sit* ista abdicatio inter nos quoque, sed *dicebatur* ἀποκήρυξις stante Atheniensium republica. Idem Aerodius (ipse abdicatum habens filium, vid. Iocher's Gel. Lex.) demonstrat locum Platonis, formam abdicationis exhibentem; vid. de Legg. p. 928, Steph. (Vol. IX, p. 154, Bip.), ubi sanctissimus philosophus monet, ταῦτα — ὄντως ἐν παγκάκων ἤθεσιν ἀνθρώπων γίγνεσθαι φιλεῖν. ἐπεὶ ἡμίστεών γε ὄντων τῶν κακῶν, οἷον μὴ κακοῦ μέν πατρὸς υἱέος δὲ ἢ τοὐναντίον, οὐ γίγνονται ξυμφοραὶ τηλικαύτης ἔχθρας ἕκγονοι. Causas abdicationis legitimas ut omnem huius poenae naturam perspexeris e Luciani ἀποκηρυττομένῳ, Vol. V, p. 1 seqq. Bip. Sed tractat et Petitus in Legg. Att. Tit. 4.

*Nothus — tantum civis*) Haec quo-

*legitimum natus, legitimus filius sit: post legitimum natus, tantum civis. In adoptionem dare liceat. In adoptionem dato redire in familiam liceat, si pater natura-*
97 *lis sine liberis decesserit.* Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, sustulit nothum: instituto herede abdicato decessit. Omnes tres de bonis contendunt. (Νόθον, qui non sit legitimus, Graeci vocant: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus, ideoque utimur peregrino; sed ad propositum). Heredi
98 scripto opponitur lex, *Abdicatus ne quid de bonis patris capiat:* fit status scripti et voluntatis, *An ullo modo capere possit? an ex voluntate patris? an heres scriptus?* Notho duplex fit quaestio, quod *post* legitimos natus sit, et quod *non* sit *ante* legitimum natus. Prior
99 syllogismum habet, *An pro non natis sint habendi, qui a familia sunt alienati?* Altera scripti et voluntatis. Non enim esse hunc natum ante legitimum, convenit: sed voluntate legis se tuebitur, quam dicet talem fuisse, ut legitimus esset nothus tum natus, quum alius legiti-
100 mus in domo non esset. Scriptum quoque legis exclu-

omnes *nitatur*. Coniunctivus ferri nequit. *Nititur* quod latet in Guelf. ne ipsum quidem alienum.

*Omnes tres*) Turic. Guelf. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *Tres omnes* cum edd. ante Gryph. meis omnibus. Regius abiicere malit alterutrum et sic Bad. sec. et Cervic. *Omnes* absque *tres*; cf. III, 7, 28. — Νόθον) Turic. Guelf. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *nothum* cum edd. ante Gryph. excepto Ald. Placet.

que lex an etiam extra scholas rata fuerit, non dicam. Longe alia habes apud Papinianum, vid. Schultingii Iurisprud. Ante-Iust. p. Ayreri 849.

*Latinum — non habemus*) *Spurium* enim ex patre ignobili natum dicebant, quasi *Sine Patre*; cf. Plut. Quaest. Rom. Vol. II, p. 288, D, ut nomen illud non sufficeret *notho* designando, qui habet patrem quidem certum, sed matre concubina est progenitus. *Catonis* (Censorii) *amplius centum quinquaginta orationes*: Cicero invenit et legit. Brut. c. 17; vid. et II, 15, 8.

*An ullo modo*) Fortasse excidit N, ut a Quintiliano fuerit *An nullo*, etc. cf. III, 11, 13, 16.

det, dicens, *Non utique, si postea legitimus natus non sit, notho nocere:* uterque hoc argumento, *Finge solum natum nothum, cuius conditionis erit? tantum civis? atqui non erit post legitimum natus: filius? atqui non erit ante legitimos natus; quare si verbis legis stari non potest, voluntati standum est.* Nec quemquam turbet, quod ex una lege duo status fiant; duplex est: ita vim duarum habet. Redire in familiam volenti dicitur ab altero primum, *Vt tibi redire liceat: heres sum;* idem status, qui in petitione abdicati; quaeritur enim, *An possit esse heres abdicatus?* Adiicitur communiter a duobus, *Redire tibi in familiam non licet, non enim pater sine liberis decessit.* Sed in hoc propria quisque eorum quaestione nitetur; alter enim dicet, abdicatum quoque inter liberos esse, et argumentum ducet ex ipsa, qua repellitur, lege: supervacuum enim fuisse prohiberi patris bonis abdicatum, si esset numero alienorum: nunc quia, filii iure, futurus fuerit intestati heres, oppositam esse legem, quae tamen non id efficiat, ne filius sit, sed ne heres. Status finitivus, *Quid sit filius?* Rursus nothus eisdem colligit argumentis,

*Heres abdicatus*) Turic. omittit *abdicatus*, cum Obr. fortasse ex Argentorat.

*Ne heres*) Ita Goth. et Iens. (tac. Gesn.) cum Voss. 2, et edd. vett. ante Gryph. excepto Aldo, qui cum recentt. (ut et Gesn.) addit *sit*, parum eleganter. Codd. reliqui silentur, ut videantur et ipsi dare *sit*. Sed error erat proclivis, sequentibus S et T in *status*. — *Cad. igitur*) Guelf. Turic. Goth. et Ieus. (tac. Gesn.) *Cad. ergo* cum Voss. 2, Alm. et meis edd. ante Gryph. omnibus ad quas aliae accedunt Burmanni. Non erat operae pretium *igitur* immittere pro *ergo*.

*An possit — abdicatus*) Non est quod pro *abdicato* hic cum Gesnero optes *adoptatum*. *Abdicatus* enim est *alter* iste, a quo dicitur *heres sum*, cui si licere per leges esse heredi negatur, frustra se redire volenti opposuit hoc argumento, quod esset heres. Nec refert ad sensum, compareat an absit (vid. not. crit.), *abdicatus*. Sed videtur excidisse per errorem ob sequentes literas, similes in *Adiicitur*.

*Adiicitur*) Retro spectat hoc verbum ad *primum*.

non sine liberis patrem decessisse, quibus in petitione usus est, ut probaret esse se filium. Nisi forte et hic finitionem movet, *An liberi sint etiam non legitimi?* Cadent igitur in unam controversiam, vel specialiter duo legitimi status, *scripti et voluntatis*, et *syllogismus*, et praeterea *finitio:* vel tres illi, qui natura soli sunt, *coniectura* in *scripto et voluntate*, *qualitas* in *syllogismo*, et, quae per se est aperta, *finitio*. *Causa* quoque, et *iudicatio* et *continens* est in omni genere
104 causarum. Nihil enim dicitur, cui non insit ratio, et quo iudicium referatur, et quod rem maxime contineat. Sed quia magis haec variantur in litibus, et fere tradita sunt ab iis, qui de iudicialibus causis aliqua composuerunt, in illam partem differantur. Nunc, quia in tria genera causas divisi, ordinem sequar.

VII. Ac potissimum incipiam ab ea, quae constat *laude* ac *vituperatione*. Quod genus videtur Aristoteles, atque eum sequutus Theophrastus, a parte negotiali, hoc est πραγματικῇ, removisse, totamque ad solos au-

*Laud. ac vitup.*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *l. et v.* cum edd. ante Basil. omnibus meis, quibus acc. Gryphius revocans *et*. Placet, post prius illud *Ac*.

Πραγματικῇ) Sic Turic. quamquam omisso circumflexu et Iota, ut et Goth. cum Obr. Rollini et Capp. edd. Ceteri libri omnes magno consensu πραγματικῆς, quod defendunt, quasi ad graecam praepositionem ἀπὸ structum. Ridicule, ut iam Heusingerus docuit in Helleuolexia Vecluneri p. 392, ad quam ablegat Gesn. male vulgatam retinens ipse. Burm. in Erratis pro eo, quod est in eius textu πραγματικῆς, legi iubet πραγματικῇ, sic, sine Iota. Nempe imposuit librariis vetus scriptura adiectae, non subscriptae, literae Iota (vid. I, 7, 17), quam male ceperunt Σ.

*Legitimi status*) H. e. *legales*; cf. §. 71.

*Quae — aperta*) Addit hoc, quoniam, *coniecturam* et *qualitatem*, in quibus laterent, modo demonstraverat.

*Causa — continens*) Cf. de hisce vocabulis hui. lib. c. 11, 4—10. Et est is locus *illa* quam mox dicit *pars*.

*Quia — divisi*) Vid. hui. lib. c. 3, extr. et 4 integrum.

*Ab ea, quae*) Intellige e proximis *Causa*.

*Aristoteles*) Cf. III, 4, 1.

ditores relegasse: et id eius nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos romanus etiam 2
negotiis hoc munus inseruit. Nam et funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex senatusconsulto magistratibus saepe mandantur: et laudare testem, vel contra, pertinet ad momentum iudiciorum: et ipsis etiam reis dare laudatores licet: et editi in competitores, in *L. Pisonem*, in *Clodium* et *Curionem* libri, vituperationem continent, et tamen in Senatu loco sunt habiti sententiae. Neque infitias eo, 3

*In Clod. et Cur.*) Goth. *et Clod.* etc. sine Voss. 2. Ed. autem Iens (tac. Gesn.) cum omnibus meis ante Gryph. pro *in* dant *et*. Hinc efficias, diversas fuisse orationes in Clodium alteram, alteram in Curionem; ut reddidit Gedoynus. Sed obstant codd. reliqui, et loca in not. exeg. allata, in ipsoque nostro quod ante *L. Pis.* est *in*, non *et*.

*Romanus mos*) Verum et Graeci ἐπιταφίους suos ex plebiscito pronuntiabant, quod narrat Thucyd. II, 30: ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῇ, ἀνὴρ ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως — λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα; cf. Cic. de Legg. II, 26: *nec de mortui laude — ab alio, nisi qui publice constitutus esset, dici licebat.* Quamquam Dionysius Hal. Antiq. Rom. V, p. 291, Romanorum hoc laudandi defunctos esse inventum, non Graecorum, defendit; vid., qui hunc locum ministravit, Taylorum in Lectt. Lysiacis, c. 3, p. (Oratt. Reisk. vol. VI) 237 seqq. Scite ad nostrum locum Burmannus monet, adparere causam, quare S. Consulto opus fuerit; neque enim licuisse unicuique cum populo agere.

*Dare laudatores*) Cic. Verrin. l. V, c. 22: *In iudiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consu- linis non explere.* Asconius Pe nus in Commentatione ad Cic. Or. pro Scauro extr. talis in ista causa factae laudationis rationem satis copiose enarrat. Solebant autem et publice civitates et privatim viri graves laudare reos, ad suspicionem ipsius criminis removendam.

*In competitores*) Ii fuerunt C. Antonius, M. Oratoris filius (qui deinde collega fuit Ciceronis in Consulatu), et L. Sergius Catilina, qui «quum insigni ambitus licentia coiissent, ut Ciceronem consulatu deiicerent, adiutoribus usi firmissimis M. Crasso et C. Caesare, Cicero in senatu surrexit atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos». Asconii Pediani verbis utor in argumento orationis deperditae. Appellatur eadem *in toga candida*.

*In Clod. et Cur.*) Hoc ipso titulo orationem memorant noster V, 10, 92 (quod fragmentum, ut recte monet Burm., male refertur ad Nonium, sed non designata voce, sub qua inveniatur; Quintiliani mentione facta

quasdam esse ex hoc genere materias, ad solam compositas ostentationem, ut laudes deorum, virorumque, quos priora tempora tulerunt. Quo solvitur quaestio supra tractata: manifestumque est errare eos, qui nunquam oratorem dicturum, nisi de re dubia, putaverunt. An laudes Capitolini Iovis, perpetua sacri certaminis materia, vel dubiae sunt, vel non oratorio genere tractantur? Vt desiderat autem laus, quae negotiis adhibetur, probationem: sic etiam illa, quae ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis: ut qui Romulum Martis filium, educatumque a lupa dicat, in argumentum caelestis ortus utatur his, quod abiectus in profluentem, non potuerit

nulla; qui error est apud Ernestum quoque) Iulius Rufinianus de Figuris p. Ruhnk. 196, Nonius c. 4, voce *longe*; c. 5, voce *specula*; c. 6, voce *Elegantes*. Cetera quae a VV. DD. fragmenta colligentibus afferuntur loca, ea nonnisi Clodii nomen ostendunt, in quem dicta sit oratio. Est tamen credibile huius ipsius orationis particulam legi apud Cic. ad Att. I, 16 (apud Manut. 14), ea quae posita sunt in fragmentis, *Erras Clodi*, etc. quoniam initio Epistolae, *quos impetus*, ait, *in Curionem — feci*, ita ut coniuncta esset haec Curionis et Clodii obiurgatio; vid. not. crit. Vter autem iste sit Curio, in quem est hac oratione invectus Cicero, pater an filius, ad quem Ciceronis sunt epistolae libro ad Divers. secundo, non prorsus confecta res est. Paulo quidem Manutio ad Cic. ad Att. III, 15, patrem potius intelligi placet quam filium, cuius auctoritatem in senatu pluris debuerit aestimare Cicero, quemque aliquo semper apposito elogio nominet. Mongalto quoque, ad eandem Epist. pater videtur intelligendus, contra quem scripta fuerit ea, quam prolatam dolet Cicero, oratio (vid. ad Att. III, 12, et 15). Seiungit autem eandem ab hac nostra in Clodium et Curionem filium, ut quidem dicit; quo argumento, nescio. Sed equidem Curionis filii, hominis turbulentissimi (de quo vide Velleium, Lucanum, Plutarchum et Lexica), res gestas coniunctas cum Clodianis nusquam legi. Vix tamen adducaris, ut Curionem patrem, amicum Ciceronis singularem (vid. Cic. Philipp. II, 18, ad Div. II, 5), qui a Clod. vapularit etiam, deprecatus pro Cic. (Dio Cass. l. XXXVIII, p. 162), annumeratum credas; *toti illi manui* Clodianae (vid. ad Att. I, 16 init.). Noster quoque XI, 3, 129, ubi hunc tangit, *patrem* diserte nominat. In Pisonem oratio ne ipsa quidem integra ad nos transmissa est.

*Supra tractata*.) III, 5, 3.

*Sacri certaminis*.) Cf. II, 8, 7.

*Abiectus in profluentem*.) Burm. ad nostrum locum, et Dukerus ad Florum I, 1, 2, animadverterunt eadem verba ibi esse Flori, ut et Iulii Capi-

exstingui; quod omnia sic egerit, ut, genitum praeside bellorum deo, incredibile non esset; quod ipsum quoque caelo receptum temporis eius homines non dubitaverint. Quaedam vero etiam in defensionis speciem 6 cadent: ut si, in laude Herculis, permutatum cum regina Lydiae habitum et imperata (ut traditur) pensa orator excuset. Sed proprium laudis est, res *amplificare* et *ornare*. Quae materia praecipue quidem in deos et homines cadit: est tamen et aliorum animalium, et carentium anima. Verum in deis generaliter primum 7

*Quod omnia sic egerit*) Goth. *qui o. s. e.* quod probat Gesnerus, idemque dare narrat Iens. Sed huius compendium male est interpretatus (cf. III, 6, 64) et perit concinnitas anaphorae *quod* ter ponentis, si *qui* scribis h. l. An in ipso Goth. oculus fefellerit Gesn., non dixerim.

*Ut — non esset*) Coniectantem *sit* pro *esset* Regium Badius recte reprehendit ex lege convenientiae temporum. Nec ullus cod. addicit.

*Propr. est res ampl.*) Guelf. om. *res*. Placet, nec raro per errorem adhaeret *res* e vicinis ut hic ex *est*; vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. II, 18, 2. Sed ceteri libri videntur habere omnes. — *Animal. et car. an.*) Turic. *animal. etiam car. an.* cum Alm. et edd. meis (de Iens. tac. Gesn.) ante Gryph. omnibus, exceptis Badio, qui e Vallensi codice recepit *et* pro *etiam*, et Cervicorno. Veterem scripturam inter recentiores revocavit Obr. qui recte distinxit: *est tamen — animalium, etiam car. an.* Eam ipse quoque tenuissem rationem, nisi viderentur plurimi codd. fa-

tolini in Clodio Albino c. 9, sed in alia re.

*Caelo receptum—non dubitaverint*) Lege Liv. I, 16.

*Defensionis speciem*) Cf. modo (§. 4), *spec. prob.* ne forte logico significatu accipias.

*Cum Regina Lydiae*) Vid. Ovid. Heroid. IX, 55 — 118.

*Quae materia*) Videtur hic latius dicta *materia*, significatu plane scholastico, pro declamationis genere; nam supra §. 3, minus nove usurpatur. Quis autem proprie *amplificationem* et *ornatum* appellet *materiam*? Partitionem (Graece διαίρεσιν) laudis habes apud rhetorem Menandrum de Encomiis, quem, inter rhetoras Graecos ab Aldo vulgatum, seorsim cum animadversionibus edidit Heeren V. C. Gottingae 1785, 8.

*Et aliorum — anima.*) Animalibus et dii annumerantur (vid. II, 16, 12) et homines. Victorius ad Aristot. Rhet. I, 9, 2, eo respexisse Quintilianum putat. Sunt autem haec Aristotelis: συμβαίνει — ἐπαινεῖν — οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεόν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχόν; vid. Menandrum p. Heer. 26, 27; cf. tamen et not. crit.

*Generaliter — proprie*) Opponuntur sibi invicem haec adverbia.

maiestatem ipsius eorum naturae venerabimur : deinde proprie vim cuiusque, et inventa, quae utile aliquid
8 hominibus attulerunt. Vis ostenditur, ut in Iove, regendorum omnium ; in Marte, belli ; in Neptuno, maris : inventa, ut artium, in Minerva ; Mercurio, literarum ; medicinae, Apolline ; Cerere, frugum ; Libero, vini. Tum, si qua ab iis acta vetustas tradidit, commemoranda. Addunt etiam diis honorem parentes, ut si quis sit filius Iovis : addit antiquitas, ut iis, qui sunt ex Chao ; progenies quoque, ut Apollo ac Diana Latonae.
9 Laudandum in quibusdam, quod geniti immortales ; in quibusdam, quod immortalitatem virtute sunt consequuti : quod pietas principis nostri, praesentium quo-

cere cum Vallensi. Saltem Gesneri diremptionem deserui, incidentis post *aliorum*. Hoc si voluisset Quintilianus, dixisset ille, ni fallor, *et animal. et car. an.*

*Proprie* ) Ita Guelf. Turic. ( nisi quod *propriae* ) Alm. et Aldi utraque. Ceteri, ut Gesn., *propriam*. Sed Burm. in Add. et ad Declam. XII, 3; item Gesn. in Add. suadent nostram scripturam, quae facile intelligitur vera.

*Aliq. hom. attulerunt* ) Reposui indicativum in *att.* e Guelf. Goth. Voss. 1, et edd. ante Stoërium meis omnibus. Hic cum recentt. *attulerint*. Nec dubito quin ii, qui silentur, codd. negligentius h. l. sint collati. Videtur hodiernum morem redolere coniunctivus ex obliqua ratione repetitus, in re nimis certa. — *Regend. omnium* ) Goth. *regend. hominum* cum Ioann. Voss. 1, 2, et edd. ante Stoërium meis, praeter Ald., omnibus, solito errore; nam satis firmatam puto receptam auctoribus Guelf. Turic. Alm. Bodl. Bal. Voss. 3, Bern. Verum tamen puto quod edd. ante Stoërium meae dant omnes, *regundorum* pro *regend.* quamquam e codd. nihil affertur.

*Tum si qua* ) Turic. et Alm. *Item si q.* Vtrum praestet, post I praesertim, in *vini*, vix dicas. Est tamen ordo quidam temporis in hac enumeratione, qui commendet *Tum*.

*Ab iis* ) Hoc e Turic. Alm. Guelf. et ed. Obr. malui prae ceterorum *ab his*.

*Sunt conseq.* ) Guelf. Goth. ( tac. Gesn. ) ( sed ex correctione quum a prima manu esset indicativus ), Voss. 2, cum Ald. Bas. Obr. *sint con-*

*Mercurio, literarum* ) Cf. III, 1, 8.

*Pietas princ. nostri* ) Domitiani : *Illius aeternae modo qui sacraria genti Condidit, inque alio posuit sua sidera caelo* : Statius Sylv. V, 1, 241, 2; Flaviales sacerdotes constituit idem. Suet. Dom. c. 4; item Flaviae tem-

que temporum decus fecit. Magis est varia laus hominum. Nam primum dividitur *in tempora*, quodque ante 10
eos fuit, quoque ipsi vixerunt: in iis autem, qui fato sunt functi, etiam quod est insequutum. Ante hominem *patria* ac *parentes*, *maiores*que erunt, quorum duplex tractatus est; aut enim respondisse nobilitati, pulcrum erit; aut humilius genus illustrasse factis. Illa 11
quoque interim ex eo, quod ante ipsum fuit, tempore trahentur, quae responsis vel auguriis futuram claritatem promiserint: ut eum, qui ex Thetide natus esset, maiorem patre suo futurum cecinisse dicuntur oracula. Ipsius vero laus hominis, ex animo et corpore et extra 12
positis peti debet. Et corporis quidem fortuitorumque cum levior, tum non uno modo tractanda est. Nam et pulchritudinem interim roburque prosequimur honore verborum, ut Homerus in Agamemnone atque Achille. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas, ut quum idem Tydea parvum, sed bellatorem, dicit fuisse. Fortuna vero, cum dignitatem affert, ut in 13

*seq.* quod h. l. sane aptius quam modo (§. 7), *attulerint*, quoniam in duplici genere deorum potest esse fluctuatio. — *Quoque ipsi vix* ) Ienson. et edd. meae ante Gryphium omnes *quodque i. v.* Codice addicente nullo; alioqui non displiceat. — *Ante hom.* ) Ienson. scriptura *Aliquando h.*, quam in suis libris inventam correxit Regius, ne in Tarvisina quidem est (cf. II, 5, 16) sed *Ante h.* diserte legitur, ut et in codd. quod de Vallensi testatur Badius, qui errorem repetit ab *aō* quod lectum fuerit *aliq̄*.

*Resp. nobilitati* ) Turic. et Alm. *r. nobilitate.*

plum gentis excitavit c. 5. Fortasse huc pertinet Val. Flacc. I, v. 15. Eusebius in Chronico: *Decreto*, ait, *Senatus Titus inter deos refertur*; cf. Plin. Paneg. c. 11. Sed et Iuliam, Titi filiam, a patruo eodemque amasio consecratam, monente Dodwello (§. 24 Aun. Qu.), ostendit nummus aereus apud Patinum ad Sueton. Domit. c. 18.

*Duplex tractatus* ) Haec Victorius ad Aristot. Rhet. I, 9, 31, inde putat mutuo sumpta; sed est obscurior similitudo: οἷον εἰ ἄξια τῶν προγόνων καὶ τῶν προϋπηργμένων — ἢ εἰ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ τὸ κάλλιον.

*Agamemn.* — *Achill.* — *Tydea* ) Il. II, 477—79, 673—75; V, 801.

regibus principibusque (namque est haec materia ostendendae virtutis uberior), tum quo minores opes fuerunt, eo maiorem benefactis gloriam parit. Sed omnia, quae extra nos bona sunt quaeque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit
14 quis ea, sed quod iis honeste sit usus. Nam divitiae et potentia et gratia, quum plurimum virium dent in utramque partem, certissimum faciunt morum experimentum; aut enim meliores propter haec, aut peio-
15 res sumus. Animi semper vera laus: sed non una per hoc opus via ducitur. Namque alias aetatis gradus, gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit, ut

*Ostendendae*) Guelf. *ostendisse* solus; miro errore.

*Fuer. eo maiorem*) Tur. Alm. et Voss. 1, omittunt *eo*, male.

*Benefactis*) Iens. (tac. Gesn.) *beneficiis* cum edd. ante Gryph. omnibus praeter Bad. et Cerv. Badius e Vallensi correxit, neque ullus Cod. videtur dare errorem.

*Quod iis honeste*) Malui *iis* e Goth. Iens. (tac. Gesn.) et edd. ante Basil. omnibus, prae *his*.

*Divitiae — potentia — gratia*) Guelf. meros accusativos dat, solus; nisi quod in Turic. literis *ae* in *div.* superscriptae sunt hae, *as*. An *faciunt* acceperunt dictum de oratoribus, qui hasce res *facerent experimentum morum*? Male sane.

*Virium dent — certiss.*) Revocavi diremptionem Ante-Burmannianam. Nam *in utr. part.* melius profecto refertur ad *virium dent* quam ad *morum exper.* quoniam *exper.* dubium est utique, vires poterant nonnisi bonae intelligi; positus quoque additamenti aptior est in fine coli; quam in initio, ubi alienum ei accedat momentum. Burmanniana distinctio est in edd. ante Locatellum. Nostra deinceps in omnibus Ante-Burmannianis praeter utramque Aldi.

*Speciosius fuit*) Haesit in h. l. Francius, suadens legere *fuerit* pro *fuit*, quo cogebatur etiam id quod sequitur *laudaretur* mutare in *laudetur*; nec id ipsum facere veritus est. Satis apparet hanc nimiam esse mutationem et agnoscendum in hac, quae est omnium librorum, scriptura morem loquendi, poëtis frequentissimum (ut Tibull. III, 6, 14 seqq. ubi vid. Heyaius), quo praeteritum perfectum ponitur ἀορίστως pro eo quod soleat fieri, quod identidem factum sit. Solutae orationis rariora quidem sunt exempla, sed non fuerit dissimile Tac. Agric. c. 9: *haud semper erraut fama, aliquando et elegit*, ubi perfectum Codd. auctoritate tuetur Ernestus. Curt. Hist. Alex. III, 8, 10: *ritu — ferarum quae — se occuluerunt*; cf. not. crit. ad I, 6, 21, *salutavit*.

in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinae, post hoc operum, id est factorum dictorumque, contextus: alias in species virtutum dividere laudem, *fortitudinis*, *iustitiae*, *continentiae*, ceterarumque ac singulis assignare, quae secundum quamque earum gesta erunt. Vtra sit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus: dum sciamus gratiora esse audientibus, quae solus quis, aut primus, aut certe cum paucis fecisse dicetur: si quid praeterea supra spem aut exspectationem, praecipue quod aliena potius causa, quam sua. Tempus, quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solum, quod viventes aliquando laudamus, sed quod rara haec occasio est, ut referri possint divini honores, et decreta, ut publicae statuae constitutae. Inter quae numeraverim 16 17 18

*Vt referri*) Burm. in Alm. inseri narrat *tupe*, quod quid velit se exputare negat. Equidem in Turic. invenio *tpe*. Iam quum tanta inter hosce codd. intercedat similitudo quantam vidimus ad III, 3, 8 aliisque multis locis, nullus dubito quin Almeloveniana scriptura sit eadem quae Turicensis. Compendium autem istud nihil aliud significat nisi *tempore*, ea potestate quae apud multos scriptores legitur, explicatur autem a Donato ad Andr. IV, 4 (non 5. ut est in Fabri Thes.), 19. Hoc vocabulum, etsi, omissum, nequaquam desideres in h. l., positum tamen non est, quod displiceat, si interpretaris *opportune*, *apte*, *convenienter*, vel etiam *mature*, *iam tum*; cf. etiam Manut. ad Cic. Epist. ad Div. IX, 16, *temperius id fiat*.

*Gesta erunt*) Haeret Gesnerus in futuro, quod est in omnibus libris, nec immerito ut mihi quidem videtur, quum aegre referatur ad *speciosius fuit*. Aut igitur *licebit* alicubi in hoc altero periodi colo inserendum censet, aut *fuerunt* legendum pro *erunt*. Quae quum violentior sit medicina, eademque clausulam hexametri inducat, pro *erunt* fortasse scribendum *erant*.

*Cum mater. deliberabimus*) Cf. IV, 2, 101: *cum ipsa deliberandum est*; it. V, 13, 59; VII, 10, 10; IX, 4, 117.

*Aliena quam — sua*) Haec ex Aristotele I, 9, 16 hausta putat Victorius ad Aristotelis Rhetorica p. 157, ut et modo posita: *solus — prim. — cum pauc.* ex I, 9, 38, p. Victor. 173.

*Vt referri*) Vid. not. crit.

*Decreta*) In honorem eius, quem laudamus defunctum. Sic senatus dicitur *decernere* triumphum, supplicationem, in genere honores.

ingeniorum monumenta, quae seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, iustiora posterorum, quam suae aetatis, iudicia sunt consequuti. Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inventoribus, nec non instituta quoque auctoribus, ut a Numa traditum deos colere, a Publicola

*Colere a Publ.*) Sic Guelf. Goth. et edd. ante Gryph. omnes. Recentiores edd. inserunt *et* quod facillime repetebatur post *e* in *colere*. — *Traditum est*) Guelf. cum Alm. *traditur e.* ut *est* referatur ad sequens. Turic. *traditus e.*, a secunda manu *tradit e.* — *Atque Iro*) Guelf. *At vero* cum codd., ut videtur, omnibus, etsi Voss. silentur a Burm. qui sane debebat eos facientes cum sua scriptura commemorare diserte. Edd. item omnes ante Obrechtum. Hic primus dedit nostrum; si e codice suo, praestanti illo; sin ex ingenio, multam laudem meretur verissima coniectura, quam recepit post eum Burm. quum Rollinus priorem scripturam revocasset. Cum Burm. faciunt Capper. (non assequutus praestantiam eius, ut videtur, quum rursus crepet ed. Stephanianam suam, dantem *at vero*; cf. I, 6, 13, ludibrium debens Burmanno in Epist. p. 21) Gesn. Bip. Magnam habet commendationem scriptura nostra e concinnitate, quae, ut mox sunt Nireus et Plisthenes, ita et hic duo poscit exempla. Adiuvant eam praeterea duo antiquissimi codd. Alm. et Turic. dantes haec, *atqui fiere*, in quibus verae lectionis vestigia latere recte monet Burm., quum Francius proletariam inde extudisset emendationem, *atqui fere*. Obiter monebo pro *ut* ante *Thers.* Guelf. et Turic. praeferre *sicut*, quod placet. Quod autem *in* pro *ut* Gesn. narrat esse in Goth. et Iesn., in posteriore fallitur; in priore si est, quod in neutram partem certo dicam, nullus astipulatur liber.

*Menander*) Cf. X, 1, 72; it. Gell. XVII, 4, qui Philemonem ei praelatum narrant, unde nata σύγκρισις anonymi poëtae de qua vid. Fabric. B. G. Harl. Vol. II. p. 481. Suidas in voce λυγκεὺς etiam hunc ei refert antepositum. Ipsi Aristophani contra (quod monet Gesn.) praefert Menandrum Plutarchus in Epitome συγκρίσεως Vol. II, 853, 54, quem refellere conatur Frischlinus in Küsteri ed. Aristoph. p. 19 seqq.

*Nec non*) « His particulis qui méliore aetate pro *et* in soluta oratione usi sint, non reperio, praeter Varronem de R. R. I, 13, 35, et Trogum IV, 1, 6, 3 ». Ruhnkenius ad Vel. Iei. II, 95, 2.

*A Publicola*) Vid. Liv. II, 7, 7; Flor. I, 9, 4. Plutarch. in Public. v. I, p. 102 D: βουλόμενος δὲ μὴ μόνον ἑαυτὸν ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν ἀντὶ φοβερᾶς χειροήθη καὶ προσφιλῆ ποιεῖν τοῖς πολλοῖς, τούς τε πελέκεις ἀπέλυσε τῶν ῥάβδων, αὐτάς τε τὰς ῥάβδους, εἰς ἐκκλησίαν παριών, ὑφῆκε τῷ δήμῳ καὶ κατέκλινε, μεταποιῶν (An μέγα ποιῶν?) τὸ πρόσχημα τῆς δημοκρατίας. καὶ τοῦτο μέχρι νῦν διαφυλάττουσιν οἱ ἄρχοντες. Cicero apud Dionem Cass. p. (Reimar.) 441, 76: οὐ μὰ τὰς ῥά-

fasces populo summittere. Qui omnis etiam in vitupe- 19
ratione ordo constabit, tantum in diversum. Nam et turpitudo generis opprobrio multis fuit; et quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, et invisos magis fecit; et in quibusdam, ut in Paride traditum est, praedicta pernicies; et corporis ac fortunae quibusdam mala contemptum, ut Thersitae atque Iro; quibusdam bona vitiis corrupta odium attulerunt; ut Nirea imbellem, Plisthenem impudicum, a poëtis accepimus. Et animi totidem 20

βδους ait τὰς Οὐαλερίου in recensendis reliquis Romanae libertatis decoribus.

*In vituperatione — in diversum*) Confert Victorius ad Arist. Rhet. locum eius I, 9, 38.

*In Paride*) Vid. Hygini fab. 91.

*Thersitae*) Il. II, 212 seqq.

*Iro*) Odyss. XVIII, 1—106.

*Nirea*) Iliad. II, 673—75.

*Plisthenem*) In hanc scripturam libri consentiunt omnes, cum levi tamen fluctuatione, velut Turic. *phistenem*, Goth. et Iesn. (tac. Gesn.) *plistinem*, cum multis edd. vett., excepta Tarv., quae habet iustam orthographiam. Et novimus quidem Plisthenem, qui nunc Atrei filius, pater Agamemnonis et Menelai, dicitur, nunc Thyestae filius, patris epulis appositos ab Atreo. Nihil tamen usquam de eo memoratur, quod ad impudicitiam spectet; nam quod Valla, post eumque Regius, narrat, per adulterium fuisse Agamemnonis et Menelai patrem, id sine auctore videntur prodere. In hac rerum Plisthenis ignorantia, probata fuit quibusdam VV. DD. coniectura, cuius auctorem suspicor Philandrum (nisi forte fuit Brodaeus ad Anthol. II, 5), reponendi *Clisthenem* pro *Plisthenem*. Clisthenes enim ab Aristophane plurimis locis (quae possunt inveniri in Indice Bruncliano), vellicatur tanquam homo effeminatus, et, ut Suidas refert ex Aristophanis Scholiastae, ἐπὶ κιναιδείᾳ διαβεβλημένος, quo accedit, quod iisdem auctoribus Cratinus quoque similia in eum coniecit dicteria, ut in proverbium tandem abiret Κλεισθένους ἀκρατέστερος. Ita fit, ut aptissime videatur is dici a poëtis proditus impudicus, qui fuerit veteris Comoediae salibus perfrictus; nisi quod in Homericis istis personis, Thersite, Iro, Nireo, alienior possit putari Aristophanis aequalis. Diligenter enim, quod ad Comici Aves v. 828, monet Beckius V. C. ab Alcmaeonide, Megaclis filio, Pisistratidarum tyrannidis oppressore, segregandus est ille Aristophanis Clisthenes; quippe quem ipse poëta dicat esse Σιβυρτίου filium Acharn. v. 118. Quali autem persona, sive historica, sive mythologica, hic Quintiliani locus indigeat, id satis intelligere mihi videor. Thersitem et Irum habebamus modo contemptorum hominum exempla, ob deformitatem illum, hunc ob egestatem; in Nireo videmus pulchritudinem ignavia dehonestatam; quid restat, nisi ut opulentiae nobis exhibeatur exemplum vitio aliquo in odium adductae? Talis si fuit vel Pli-

vitia, quot virtutes sunt: nec minus, quam in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adiecta quibusdam ignominia est, ut Maelio, cuius domus solo aequata; Marcoque Manlio, cuius praenomen e
21 familia in posterum exemptum est. Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus urbium infame, contraxisse aliquam perniciosam ceteris gentem, qualis est primus Iudaicae superstitionis auctor: et Gracchorum leges in-

*Maelio*) Sic pro *Melio* scripsi contra libros quidem omnes auctoribus sthenes vel Clisthenes, salva res est. Constabunt enim rationes, ut corporis ac fortunae mala prioribus contemptum attulerint, posterioribus eiusdemmodi bona, vitiis corrupta, odium. Clisthenes, Pisistratidarum expulsor, quin fuerit ditissimus, nemo dubitabit, qui Alcmaeonidarum et Clisthenis Sicyonii, avi materni, divitias in eum coacervatas meminerit ex Herodoto (VI, 126). An igitur Clisthenem illum Comicorum Quintilianus confudit cum Alcmaeonide? Sed tale ἀνιστορησίας crimen, mutando textu, coniicere in scriptorem nostrum, nefas fuerit. Aristophaneus quidem Clisthenes videtur esse de vili plebe; vid. Scholiast. ad Vesp. 1187. De Plisthenis divitiis nihil comperi. Fragmenta tragoediae Euripideae, quae Plisthenis nomen praefert, quamquam pauca, aliquoties divitiarum habent mentionem et malorum cum iisdem coniunctorum. Sed hinc parum proficias. Ne id quidem in laceris istius naufragii tabulis apparet, utrum Plisthenes Euripideus sit Atrei filius; nam et alter memoratur a mythographis Acasti filius, Peliae nepos. Sequitur ergo ut dicendum sit: Non liquet. Neque erat ab Andrete (Chrestom. Quint. p. 20) in textu ponendum *Clisth.* Quot inter antiquos pervulgatissima fuere facta, quorum vix alicubi compareat vestigium in iis, quos terimus, scriptoribus!

*Maelio — domus*) Vid. Liv. IV, 16, 1.

*Marcoque Manlio*) Liv. VI, 20, 14, Burm. et Gesnerus ablegant ad Spanhemium de Vsu et Praest. Num. Dissert. X, p. 33 sq. ed. Londinens. plura eiusmodi praenomina e familiis proscripta memorantem neque nostri loci immemorem.

*Iudaicae superst. auctor*) Non dubito quin Mosen, non Christum (quod sibi persuadent aliquot VV. DD.), intellexerit Qu. Etenim, ut monet Gesn., facile nosse poterat, primordia gentis huius ultra Christi aetatem pertingere, si maxime Christianam religionem eius temporis scriptores solent Iudaicam apellare superstitionem, ut sit Digest. leg. I, tit. 2, leg. III, §. 4, monente Badio. Tacitus, in originibus Iudaicae gentis enarrandis Hist. V, 2, 3, 4, appellat eam, *conquisitum* (ab Aegyptiis sane), *collectumque vulgus*, et Mosen diligenter memorat. Res Iudaicae, quod et ipsum urget Gesn., Quintiliani aetate per occasionem excidii Hierosolymitani in multorum notitiam adductae erant.

*Gracchorum leges*) Cf. not. ad II, 16, 5.

visae: et si quod est exemplum deforme posteris traditum, quale libidinis vir Perses in muliere Samia instituere ausus dicitur primus. Sed in viventibus quoque 22
iudicia hominum, velut argumenta sunt morum; et honos aut ignominia, veram esse laudem vel vituperationem, probat. Interesse tamen Aristoteles putat, ubi 23
quidque laudetur, aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui sint audientium mores, quae publice recepta persuasio: ut illa maxime, quae probant, esse in eo, qui laudabitur, credant; aut in eo, contra quem dicemus, ea, quae oderunt. Ita non dubium erit iudicium, quod orationem praecesserit. Ipsorum etiam permi- 24
scenda laus semper (nam id benevolos facit), quoties

Dausquio in h. v. et Sigonio ad Liv. IV, 13, 1. Astipulantur Codd. Guelf. dans V, 13, 24 expresse *Maelium* Goth. ibid. *M. Aelium* et Bern. *M. Aemilium*. Similis est ratio ut *Laenatis*, cf. III, 1, 21; cf. Heusing. ad Cic. de Off. III, 30, 2. — *E familia*) Sic edd. et Codd., puto, omnes, praeter Voss. 3, dantem *a fam.*, quod irrepsit in Gesn. itidem editionem, repetitum a Bip.

*Libidinis vir Perses*). Guelf. *lib. ut P.* item Iens. (tac. Gesn.) cum edd. ante Badium, praeter Tarv. (vid. not. Crit. ad §. 10) et Ald. Pro *Perses* Tarv. dat *preses*, quod in quibusdam Codd. vett. se invenisse testatur Caelius Rhodig. XVIII, 18, p. 996. Intelligit autem profecto excusos, et merum sphalma puto. Turic. Alm. Bodl. dant *libidinosus vir P.*, cum edd. Andr. Tarv. Ald. — *Oderunt*) Ita Guelf. et Voss. 1, 2 cum edd. ante Gryph. qui tamen per sphalma dat *oberint*. Ceteri *oderint*, minus concinne ad *probant*, nisi quod pro eo quoque Voss. 3, praefert *probent*. Goth. recedit a Voss. 2.

*Ipsorum etiam*) Sic Codd. mei tres et edd. ante Bad. (qui de coniectura inseruit *iudicum*) omnes, quo accedit Ald. altera et Obr. cum Gesn. A Voss. tribus *iudicum* abesse narratur, neque dubito quin a reliquis etiam Codd. etsi tacent qui contulerunt.

*Benevolos*) Tur. Guelf. Goth. et Iens. (tac. Gesn.) *benivolos*, cum edd. ante Cervic. excepto Ald. Ceteri *E* vocalem habent, quam scribendi ra-

*Vir Perses*) Nihil aliunde proditur de hac historia.

*Aristoteles*) Rhet. I, 9, 30 p. Buhl. 104; it. III, 14, 11, p. Buhl. 376.

*Ipsorum*) Refer ad id quod praecesserat *audientium*. Est similis ratio eius quam vidimus I, 9, 5, nisi quod haec nostra etiam apertior. Aristoteles l. modo citato p. 376, οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατήν.

autem fieri poterit, cum materiae utilitate iungenda. Minus Lacedaemone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo. Rapto vivere quibusdam honestum, aliis cura legum. Frugalitas apud Sybaritas forsitan odio foret, veteribus Romanis summum luxuria crimen. Eadem in singulis
25 differentia. Maxime favet iudex, qui sibi dicentem assentiri putat. Idem praecipit illud quoque (quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit), quia sit quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quae eadem etiam contra valent. Quod quidem orator, id est vir bonus, nunquam faciet, nisi forte communi utilitate ducatur. Laudantur autem urbes similiter atque
26 homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia circa res gestas, eadem quae in

tionem ex auctoritate veterum librorum improbat Dausquius in h. v. Per I nostri Codd. et III, 8, 7; X, 1, 48. — *Assentiri*) Guelf. *assentari* cum Alm. Ioann. Voss. 1, 3, et edd. ante Stoërium meis omnibus. Turic. *siletur*, quem ab Alm. recedere h. l. mirer. Scripturam per *A* defendunt VV. DD. ad Velleï. II, 48, 1, quo ablegat Burm. Nam et ibi et c. 128 sic, sine adulationis significatione, quo accedit Frontini locus III, 3, 4 a Ruhnkenio allatus.

*Vtilitate ducatur*) Turic. *ducetur* (sed impositum est huic voci *ducat*) cum Goth. Voss. tribus et ed. Tarv. Contra Iens. (vid. modo ad §. 21) *duceretur*, male, cum omnibus ante Bad. sec., excepto Aldo, qui cum recentt. nostram dat.

*Vt iis*) Goth. (tac. Gesn.) *uti iis*. In Turicensi *vitiis*, cui superscribitur *viris*. Non displicet sane scriptura *ut viris* pro *ut hominibus*. Guelf. *ut his*.

*Eadem quae*) Hoc quod e Gothano recepit Gesn., pro ceterorum *eadem*-

*Assentiri*) Cf. not. Crit.

*Idem praecipit*) Rhet. I, 9, 28, 29, p. 103, in quo loco pro εὔψυχον cum Mureto ψυχρὸν e cod. Victor. est reponendum, quod recte probat Vaterus V. C. ad h. l. Gesnerus ad Quintil. pro ἐπίβουλον suadet παράβολον, ingeniose sed ad ipsum Arist. locum parum accommodate. De re ipsa cf. II, 12, 4. Gesnerus *derivationem* e rusticorum usu docte illustrat, et ὑποχορισμοῦ huius, qui vocatur a Graecis, exempla demonstrat. Cf. Ruhnkenium ad Timaeum Sophisten p. 266.

*E terra — orti*) αὐτόχθονες, ut

singulis: illa propria, quae ex loci positione ac munitione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori. Est 27
laus, et operum, in quibus *honor*, *utilitas*, *pulchritudo*, *auctor* spectari solet. *Honor*, ut in templis: *utilitas*, ut in muris; *pulchritudo* vel *auctor*, utrobique. Est et locorum, qualis Siciliae apud Ciceronem, in quibus similiter *speciem* et *utilitatem* intuemur: *speciem*, maritimis, planis amoenis; *utilitatem*, salubribus, fertilibus. Erit etiam dictorum honestorum, factorumque laus generalis. Erit et rerum omnis modi. Nam et 28

*que*, est etiam in Guelf. et Turic. Animadverti meretur Voss. 2, recedens h. l. a Gothano suo. Dat enim haec: *Eodem ac in* pro *eadem quae*, per errorem qui vel in *ac*, sequente vocali, apparet. Male cepi notam Gesner., qui nihil eo loco monet de Gothano, sed pro *eademque* ipse coniicit *eadem quae*. Habet enim illud, cum tot aliis libris, etiam Gothanus, ut ipse notavi. Sed firmant ii, quos dixi, Codd. verissimam Gesneri emendationem. — *Cives*) Guelf. *civitas*, quod corrigendo etiam in Turic. appositum verae scripturae, ut in meo Iensonianae exemplo eadem correctio calamo est facta. Male, et ex falsa loci diremptione ortum.

*Liberi*) Guelf. *liberis* cum Turic. Alm. et Ieus. Tarv. quod correxit Regius. — *Auctor spectari*) Guelf. et Tur. *a. exspectari* cum Alm. Voss. 1, 3, et Ald.

*Qualis Sicil.*) Turic. *quasi Sicil.*

*Dict. honestorum fact.*) Ita Guelf. Turic. Alm. Goth. Bodl. Bern. nec dubito quin alii astipulentur Codd., etiam qui silentur; est certe haec scriptura in edd. meis ante Gryph. omnibus, qui primus omisit *honestorum* quod deinceps in nulla invenio ed. Nec tamen video quare respuamus, bonis auctoribus firmatum. Hoc quoque verius puto quod dant *et* pro *etiam* ante haec verba Turic. Goth. (tac. Gesn.) Voss. 2, Bern. Alm.

Athenienses; vid. Suid. et Stephani Thes. in hac voce; cf. et Arist. Rhet. I, 5, 5, Εὐγένεια — ἔθνει μὲν καὶ πόλει τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίους εἶναι. Menander rhetor (p. 82, Heeren.) Ἀθηναῖοι αἰτ μεθ' ἡλίου γενέσθαι φασίν. Idem quum secunda sectione laudes regionum tractet, multos huius materiae locos tangit, quos et Qu.

*Apud Ciceronem*) Verrin. II, 1 seqq.; sed et IV, 48, de Ennensi Cerere, quae loca coniungit ipse mentionem faciens eorum Orat. c. 62.

*Speciem marit.* — *utilitatem salubr.*) Etsi nullus liber addicit, malim tamen inseri ante adiectiva haec utroque loco *in*, quod facillime excidebat nunc inter duo M, nunc post unum.

*Laus generalis*) *Generalem* sic accipio, ut non certorum hominum egregia dicta factaque laudentur, verum in genere, quidquid ubique dictum sit et factum eiusmodi, celebretur.

somni et mortis scriptae laudes, et quorundam a medicis ciborum. Itaque, ut non consensi hoc laudativum genus circa solam versari honesti quaestionem, sic qualitate maxime contineri puto: quamquam omnes tres status cadere in hoc opus possint, hisque usum C. Caesarem in vituperando Catone notaverit Cicero. Totum autem habet aliquid simile suasoriis: quia plerumque eadem illic suaderi, hic laudari solent.

VIII. Deliberativas quoque miror a quibusdam sola utilitate finitas. Ac, si quid in his unum sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiae genus dignitate maxime contineri putat. Nec dubito, quin hi, qui sunt in illa priore sententia, secundum opinionem pulcherrimam, ne utile quidem,

Guelf. quo concinnior sit oratio. Sed praeterquam quod levius hoc est, nec ab edd. vett. adiuvatur, veritus sum, ne nimia videretur fieri ista concinnitas.

*Illic — hic* ) Turic. et Alm. *illic — illic*; cf. III, 6, 93.

*Quin hi qui* ) Turic. et Alm. *quin usi qui*, in quo, quum *in* ante *illa* adesse in Turic. diserte memoretur, nihil aliud latere puto nisi, *q. ii q.* quod ipsum habet Goth. Ieus. ( tac. Gesn. ) cum edd. ante Bas. meis omnibus, fortasse melius recepto.

*Somni et mortis* ) Qui huius generis laudes scripserint, nunc succurrunt nulli. Nam quod Hegesiae ἀποκαρτεροῦντα afferunt, mortis commendationem habentem ( vid. Cic. Tuscul. Disp. I, 34 ), in eo non est oratoria ars, verum philosophica sententia, serio proposita illa.

*Quorundam — ciborum* ) Afferunt exempla laudum brassicae scriptarum a Chrysippo medico, Dienche, Pythagora, Catone, teste Plinio H. N. XX, 9 init. Similia sunt quae tangit Plato in Symposio p. 177, B. St. vol. III (Bip. X, 173), ex eoque Menander rhetor p. Heer. 29, et Isocrates in laude Helenae, qui memi-nit τῶν τοὺς βοῦβυλίωνας καὶ τοὺς ἅλας καὶ τὰ τοιαῦτα βουληθέντων ἐπαινεῖν, citante Wolfio in Proll. ad Leptineam Demosthenis p. 35.

*Non consensi* ) Cf. III, 4, 16.

*Notaverit Cicero* ) Topic. c. 25; cf. de Caesaris Anticatone I, 5, 68. De *quamquam* vide II, 17, 12.

*Simile Suasoriis* ) Apte Gesnerus citat Aristot. Rhet. I, 9, 35, p. Bubl. 107: Ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος καὶ αἱ συμβουλαι. ἃ γάρ ἐν τῷ συμβουλεύειν ὑπόδολο ἄν, ταῦτα μετατεθέντα τῇ λέξει ἐγκώμια γίγνεται.

*Ciceronis sent.* ) De Orat. II, 82: *In suadendo nihil est optabilius quam dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt.*

nisi quod honestum esset, existimarint. Et est haec 2
ratio verissima, si consilium contingat semper bonorum atque sapientum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda sententia est, populumque praecipue, qui ex pluribus constat indoctis, discernenda sunt haec, et secundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi, qui etiam, quae credunt *honesta*, non 3
tamen satis eadem *utilia* quoque existiment, et, quae turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probent, ut *foedus Numantinum*, *iugum*que *Caudinum*. Ne qualitatis quidem statu, in quo et honestorum et 4
utilium quaestio est, complecti eas satis est. Nam frequenter in his etiam conjecturae locus est: nonnunquam tractatur aliqua finitio: aliquando etiam legales possunt incidere tractatus, in privata maxime consilia, si quando ambigitur, *An liceat*. De coniectura paulo post pluribus. Interim est definitio apud Demosthenem, *Det* 5

*Exist. et quae* ) Ita Turic. Alm. cum Obr. Ceteri omittunt *et*, quo oratio contrahit aliquid poëtici vel oratorii saltem coloris, qui ab hac docendi simplicitate est alienus. Facillime excidebat post *existimēt*. — *Eas satis est*). Guelf. *fas. s. est.* cum Voss. 1, 3, Bern. Mire.

*Est definitio* ) Ita Turic. et Alm. cum edd. Iens. ( quem *ne* omittere non narrat Gesn. ) Loc. Venet. Rusc. Ceterae ante Leid. edd. *est finitio*,

*Consilium — sapientum* ) Non opus est voce, quam Gesnerus, et ante hunc Badius, maluit, *concilium*, quam tamen nullus hic liber ostendit; vid. not. ad II, 17, 28. Isto loco de genere deliberativo proprie non agitur, verum de quocumque consessu audientium; hic ii, qui convenerunt, ad consiliandum sunt congregati, quo redit Gronoviana quoque ratio. Facile rem dirimit ipsum etymon, quum *concilium* a conciendo, vel concalando dicatur, *consilium* a consulendo. Sic Cic. de Or. II, 82 init., *sapiens — consilium*. Item de iudicibus cum praetore vel quaesitore; vid. Ern. Clav. Cic. h. v.

*Numantinum — Caudinum* ) De foedere Numantino videndus est Freinshemius in supplementis Livianis l. LV, c. 13—26. De Caudino iugo Liv. lib. IX, c. 1—11.

*Paulo post* ) §. 16, 17.

*Interim* ) Significatio iusta adverbii, non Quintilianea illa; vid. I, 1, 8.

*Det — an reddat* ) Η Αλόννησος ἦν μὲν τῶν Αθηναίων ἀρχαῖον κτῆμα, κατὰ δὲ τοὺς Φιλίππου καιροὺς ὑπὸ ληστῶν κατείχετο· οὓς ἐκβαλὼν ὁ Φι-

*Halonesum Philippus, an reddat?* apud Ciceronem in Philippicis, *Quid sit tumultus*? Quid? non illa similis iudicialium quaestio, *De statua Servii Sulpicii*, an iis demum
6 ponenda sit, qui in legatione ferro sunt interempti? Ergo pars deliberativa (quae eadem suasoria dicitur), de tempore futuro consultans, quaerit etiam de praeterito.

ut et Goth. cum Voss. 2, et Vallensi ref. Bad. Haec prima *estne finitio* quod deinceps retinuerunt omnes. Nec aliud quid dare Guelf. notavi, et silet Gibsonius. Sed ego magnopere diffido isti interrogativo *ne*, quod in hac structura cogeremur accipere pro *Nonne*. Malui tamen *defin.* quam *fin.* tum quod sic appareret origo scripturae *estne*, tum ob auctoritatem Codd. hoc dantium. Quod aliquot edd. (mearum Gryph. Stoër. Chouet.) ante *Det Hal.* ponunt *ut*, id in Voss. 1, 3 videtur reperiri. Est autem vitiosum.

*Halonesum*) Sic scripsi uno N e Goth. Iens. (tac. Gesn.) et edd. ante Gryph. omnibus praeter Bad. et Cervic. astipulante Dausquio in h. v., et plerisque Graecorum scriptorum edd. etsi aliquot diversam scripturam tenent. Turic. quidem Cod. habet duo N, sed ita discerpit ignotum librario nomen, ut appareat, *ne* syllabam acceptam fuisse pro coniunctione. Recentiores edd. duplicant liquidam. Guelf. *Halonenensem*, in quo ego magis unum N, quam duo latere puto.

*Consultans, quaerit*) Turic. et Alm. *consultat, qu.* cum edd. ante Ald. sec. omnibus, praeter Ald. priorem. Paulo ante in *suas. dicitur*, omittunt *dicitur* Bad. et Cervic. ex mera Badii coniectura — *Non utique*)

λιππος ἀπαιτοῦσι μὲν τοῖς Ἀθηναίοις τὴν νῆσον, οὐκ ἀποδίδωσιν· ἑαυτοῦ γὰρ εἶναί φησιν. αἰτοῦσι δὲ ὑπισχνεῖται δώσειν — ἀλλ' ὁ λόγος συμβουλεύει περὶ τῆς Ἁλονήσου τοῖς Ἀθηναίοις μὴ λαμβάνειν αὐτὴν ἀλλ' ἀπολαμβάνειν. Libanius in argumento Orat. Dem. de Haloneso. Hanc orationem Qu., ut loco nostro apparet, Demosthenis ipsius esse credidit, ut et Dionys. Hal. p. 171 Tomi II, quum Libanius Syrus eam oratore indignam putet et Hegesippo assignet; nisi forte scriptores isti de alia loquuntur eiusdem argumenti, quoniam verba eius nulla afferunt. Hanc *dandi* an *reddendi* definitionem exprobant Demostheni Aeschines contr. Ctesiph. p. 65, Steph. ἀπηγόρευε μὴ λαμβάνειν εἰ δίδωσιν ἀλλὰ μὴ ἀποδίδωσι, περὶ συλλαβῶν διαφερόμενος (ad quem locum vide Taylorum) et Antiphanes aliique Comici apud Athenaeum p. 223 E seq. Aristoteles etiam in minuenda beneficii gratia recenset ὅτε ἀπέδωκαν, ἀλλ' οὐκ ἔδωκαν. Rhet. II, 7, 5.

*Quid sit tumultus*) Cic. Philipp. VIII, 1, 2.

*Statua Servii Sulp.*) Lege argumentum Philippicae Ciceronis nonae. *Quaestiones* autem *iudiciales* h. l. easdem esse existimo, quae alias solent dici *legales* (cf. c. 6, §. 46), quasque modo appellabat *legales tractatus* §. 4. In eo enim est Qu., ut doceat omnes status cadere in deliberativum genus, quod quum in qua-

Officiis constat duobus, *suadendi* ac *dissuadendi*. Prooe
mio, quale est in judicialibus, non utique eget, quia
conciliatus est ei quisque, quem consulit. Initium tamen
quodcumque debet habere aliquam prooemii speciem;
neque enim abrupte, nec unde libuit; incipiendum: quia
est aliquid in omni materia naturaliter primum. In se- 7
natu, et utique in concionibus eadem ratio, quae apud
iudices, acquirendae sibi plerumque eorum, apud
quos dicendum sit, benevolentiae. Nec mirum, quum
etiam in Panegyricis petatur audientium favor, ubi
emolumentum non in utilitate aliqua, sed in sola laude,
consistit. Aristoteles quidem, nec sine causa, putat et 8

Ita Goth. et Voss. 2, cum Gryphii ed. 1544. Ceteri, quod sciam omnes *non ubique*. Gesnero placuit Gothana scriptura, sed in textum non recepit. Mihi numerus librorum h. l. minoris videbatur faciendus, in vocula errori obnoxia, propter loca similia, in quibus *utique* defenditur ab omnibus libris; ut hoc ipso capite §. 60, *torrens et utique aequaliter concitata* ubi frustra Burmannus et Walkerus ad Cic. de nat. D. III, 40 coniecerunt *ubique*; item V, 10, 80, 81, ubi aliquoties *utique*, plane pro *necessario*, quae et hic est potestas: nec est quod quis obvertat XII, 6, 2, *quod est ubique perniciosissimum*, ubi est manifesto pro his, *in omni genere*. — *Neque en. abrupte*) Ita Guelf. et Turic. Ceteri *nec e. a.* cf. III, 6, 82.

*Et utique in conc.*) Goth. (tac. Gesn.) *utique et in cònc.* cum Locat. Ven. Rusc. Bad. Cerv. Obr., et structura sane est mollior; sed, quia potuit Qu. prooemium in concionibus etiam magis necessarium existimare quam in senatu, nolui deserere collocationem ceterorum librorum omnium. *Itaque* quod pro *et* in Goth. legi narrat Gesn. a correctore iam sublatum fuit.

*Non in utilit.*) Guelf. et Turic. *non utilit.* cum Goth. et Alm. et edd. ante Gryph. meis omnibus, quibus accedunt multae memoratae Burmanno. Eos, qui silentur, Britannicos, Voss. tres, Bern., habere praepositionem, optes magis quam credas. Sed facile excidebat.

litate et finitione ostenderit, in coniectura mox declaraturum se promiserit, restat ut *legalium* quoque *quaestionum* exemplademonstret in causis deliberativis. Est autem hoc de Sulpicii statua syllogismi species.

*Et utique in conc.*) Vid. not. crit.

*Emolumentum*) H. e. id quod efficitur, proventus, effectus. Eam vocabuli potestatem, post P. Victorium Var. lect. XXII, 10, praeclare illustral sarga exemplorum copia Ruhnkenius ad Vellei. II, 78, 1.

*Aristoteles — maiorve videatur*)

a nostra, et ab eius, qui dissentiet, persona, duci frequenter in consiliis exordium, quasi mutuantibus hoc nobis a iudiciali genere; nonnunquam etiam, ut minor res maiorve videatur: in demonstrativis vero prooemia
9 esse maxime libera existimat. Nam et longe a materia duci, ut in Helenes laude Isocrates fecerit: et ex aliqua rei vicinia, ut idem in Panegyrico conqueritur *plus honoris corporum, quam animorum, virtutibus dari*: et Gorgias in Olympico laudans eos, qui primi tales instituerunt conventus. Quos sequutus videlicet Crispus Sallustius, in bello Iugurthino et Catilinario, nihil ad hi-
10 storiam pertinentibus principiis orsus est. Sed nunc ad

*Instituerunt*) Guelf. *instituerint*, nec male.

*Crisp. Sall.*) Sic omnes Codd. Nam quod Goth. *Caius S.* dare narrat Gesn., error est. Iens. et Tarv. cum Ald. soli pravum ponunt praenomen.

*Catilinario*) Guelf. et Turic. *Catilinae* cum Alm. Goth. Voss. 2, et edd. ante Badium mēis omnibus praeter Ald. Badius e coniectura videtur dare suam lectionem, quoniam Vallensis Cod. auctoritate non utitur in nota. Sed accedit ad probam scripturam Voss. 3, praeferens, *Catilinare*.

Haec omnia videor reperire in hisce Arist. verbis III, 14, 11, p. 376: τὰ-τοῦ δημηγορικοῦ (προοίμια) ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγου ἐστί. καὶ οὐδὲν δεῖται τὸ πρᾶγμα προοιμίου ἀλλ' ἢ ὅτ' αὐτὸν ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας, ἢ ἐὰν μὴ, ἠλίκον βούλει, ὑπολαμβάνωσιν, ἀλλ' ἢ μεῖζον ἢ ἔλαττον· διὸ ἢ διαβάλλειν ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη (hoc autem supra §. 7, p. 373, retulerat ad genus iudiciale: περὶ αὐτοῦ — καὶ τοῦ ἀντιδίκου, ὅσα περὶ διαβολὴν, λῦσαι καὶ ποιῆσαι), καὶ ἢ ἀυξῆσαι ἢ μειῶσαι.

*Maxime libera*) Id in ipso capitis 14 initio ostendit Aristoteles, usque ad §. 5, ubi ista Isocratis et Gorgiae exempla recensentur; quae in Isocrate reperimus adhuc ipsi.

*Quos sequutus — orsus est*) Possint videri haec cum reprehensione dicta, si *videlicet* accipis potestate, quae est frequentissima, ironica; et sic intellexisse dicas Vossium in Inst. Orat. I, p. 352, ubi tamen non plane expressam habes eam sententiam, quam designat index operis, falli Quintilianum qui scribat Sallustium usum exordiis nihil ad historiam pertinentibus; alioque loco reprehensa a Qu. Sallustii exordia. Tellerus ad Sallust. p. 239, probata h. l. Quintiliano ista principia narrat, et legitur sane *videlicet* frequenter etiam sine irrisione ut §. 63; item III, 10, 4; quamquam Aristoteles in Isocrate saltem habet profecto reprehensionem. Pro *orsus* malis paene *usus*, sed libri nihil variant.

suasoriam, in qua, etiam cum prooemio utemur, breviore tamen, et velut quodam capite tantum et initio, debebimus esse contenti. Narrationem vero nunquam exiget privata deliberatio, eius dumtaxat rei, de qua dicenda sententia est: quia nemo ignorat id, 11
de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus saepe 12
est etiam illa, quae ordinem rei docet, necessaria. Affectus, ut quae maxime, postulat. Nam et concitanda et lenienda frequenter est ira, et ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Non-

*Vtemur* ) Guelf. et Turic. *utimur* cum Alm. Contra Voss. 2, Goth. mox *debemus* pro *debebimus*.

*Nunquam exig.* ) Turic. cum Alm. *Numquid e*; cf. I, 1, 5.

*Necess. affect. — quae — postulat* ) Sic Alm., cum quo Turicensis facere plane est putandus, in silentio Cl. Sulzbergeri. Ab Obrectho inde enim verissimam hanc scripturam praeferunt editi, praeter Rollinum. Itaque et ab Argent. Codice lectionem nostram defendi existimo. Minimum recedunt Guelf. Voss. 1, 3, Bern., nihil ex omni hac scriptura mutantes nisi quod *postulanda* dant pro *postulat*. Edd. meae ante Ald. omnes: *necesse ad* ( non Iens. *At*, ut narrat Gesn. ) *affect. — postulabit*, quibuscum consentiunt Goth. et Voss. 2, omittentes tamen *ad*. Ab Aldo ad Basilusque, *necess. et* ( vel *Et* ) *aff. — quaeque — postulabit*. Basil. redit ad vett. edd. rationem, ubi tamen per sphalma altera ( anni 1543 ) dat *effectus* pro *aff*. Gryph. repetit Aldinam constitutionem, quam et Rollinus dat, mutato tamen *quaeque* in *quae*. A Stoëriana inde regnat ea, quae ante Obr. recepta erat, *necesse aff. — quae — implenda*, quo in genere Gibsoni desidero diligentiam, ne edd. quidem suarum varietates memorantis omnes, de Codd. suis plane tacentis, qui tamen cum recepta facere nequaquam sunt putandi. Quid sit quod paulo ante ad *narrari* Basileensis utraque *variare* ponit in margine, quo solent amandare scripturam Aldinam, non assequor. Neque enim quidquam tale in utraque Aldina, neque usquam praeterea in meis libris.

*Ei. dumtaxat rei* ) *Dumtaxat* h. l. est pro *saltem*, ut II, 10, 2; XI, 3, 156, *duntaxat in iudiciis*; item I, 4, 20, quem locum male sollicitavi in not. crit. cf.; Tursell. p. 224. Sic Plin. H. N. XXXIII, 3; Plin. Epist. III, 9, 26.

*Postulat* ) Si forte quaeris, quis postulet? repete subiectum e praecedentibus et ex tota disputatione, videlicet: suasoria, deliberativum genus. De *narratione*, quae proxime antecedit, ne cogita; cf. not. ad I, 5, 1.

nunquam etiam movenda miseratio, sive, ut auxilium obsessis feratur, suadere oportebit, sive sociae civitatis eversionem deflebimus. Valet autem in consiliis auctoritas plurimum. Nam et prudentissimus esse haberique et optimus debet, qui sententiae suae de utilibus atque honestis credere omnes velit. In iudiciis enim vulgo fas habetur indulgere aliquid studio suo: consilia, nemo est qui neget, secundum mores dari. Graecorum quidem plurimi omne hoc officium concionale esse iudicaverunt, et in sola reipublicae administratione posuerunt. Quin et Cicero in hac maxime parte versatur. Ideoque suasuris *de pace*, *bello*, *copiis*, *operibus*, *ve-*

*Miseratio*, *sive*) Ita Turic. Guelf. Alm. Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum edd. ante Gryph. omnibus. Is primus inserit *est*, cum elegantiae detrimento, quoniam antecedit *freq. est*. Recentt. (ut Gesn.) *m. est*, *s.* — *Optim. debet.*) Ita Guelf. Goth. Voss. 2, Turic. Alm. cum edd. ante Gryph. omnibus, qui cum recent. inserit *is*, excepto Obr. Fit insuavis compositio, nulla necessitate. Quod *et* ante *opt.* abesse a Goth. et Iens. narrat Gesn., in Iens. fallitur.

*Operibus*) Goth. et Voss. 2, *opibus* cum edd. ante Stoërium meis omnibus, excepta Ald. utraque. Obstitit Codd. auctoritas, quo minus hoc reciperem, quod alioqui blanditur conferenti locum Ciceronianum. Neque enim dubito quin eum ipsum, quo respiciat Qu., demonstraverim in not. ex. Ibi autem *opum*, non *operum* mentio. Quamquam fateor inspicienti utrumque et Ciceronis et Quintiliani locum multa apparitura, quae minus consentiant. Neque enim Cicero eas ipsas res recenset quas Qu., neque oratorem iam de iisdem suasurum praeceptis instruit, quod e Quintiliani verbis colligas, sed eum, qui utilitatem defendat, harum omnium commoda enumeraturum dicit. Quum tamen Ciceronis isto loco legantur *pax*, *vectigalia*, quum dicatur *caput esse*, *nosse rempublicam* (noster vocat *vires civitatis*) *et mores civitatis*, has ipsas sententias Ciceronis obversatas esse credo Quintiliano, qui tamen securius eas afferret e memoria, et paululum inverteret. *Opibus* et *operibus* quam fa-

*Studio*) Gratiae, ut amicum, etiam minus innocentem, defendas.

*Sec. Mores*) Prava a pravis; bona vicissim a bonis.

*Graec. — Concionale*) Cf. not. ad III, 4, 1. Apte Rollinus citat Aristot. Rhet. I, c. 8.

*Cicero*) De Orat. II, 81 extr., et duobus seqq. capp. Neque tamen ipsa Ciceronis verba hic ubique ponit Qu., sed memoriter refert; vid. not. crit. Eiusdem libri c. 16, quod certatim ad partes vocant h. l. interpretes, deliberativi generis nonnisi generalem, minusque diligentem habet mentionem.

*ctigalibus*, haec duo praecipue nota esse voluit, *vires civitatis* et *mores*: ut ex natura cum ipsarum rerum, tum audientium, ratio suadendi duceretur. Nobis maior in re videtur varietas; nam et *consultantium* et *consiliorum* plurima sunt genera. Quare in suadendo et dissuadendo tria primum spectanda erunt, *Quid sit*, *de quo* deliberetur; *Qui sint*, *qui deliberent*; *Qui sit*, *qui suadeat*. Rem, de qua deliberatur, aut certum est posse 16
fieri, aut incertum; si incertum, haec erit quaestio sola, aut potentissima. Saepe enim accidet, ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri, esse faciendum: deinde fieri non posse. Quum autem de hoc quaeritur, coniectura est, *An Isthmos intercidi*, *an siccari palus Pomptina*, *an portus fieri Ostiae possit*? *An Alexander terras ultra Oceanum sit inventurus*. Sed in iis quoque, quae 17

cile, vel allita (nam et addi vitiose apparet mox §. 26, ubi pro *pium* Alm. et Turic. *per vim*), vel evanescente lineola in inferiore parte literae P, ultro citroque mutentur, nota res est.

*Tria primum*) Guelf. et Turic. *t. primo* cum Alm. Voss. 3.

*Pomptina*) Reliqui scripturam nominis a VV. DD. probatam, ut Drakenb. ad Liv. II, 34, 4, quamquam Guelf. et Goth. dant *Pontina* cum edd. meis ante Obr. omnibus; Alm. vero *Pomtina*, Turic. ex corr. *Pomptina* quum positum esset compendium obscurius. *Interpositum est P*, Drakenb. ait, *ne litera M volubiliore lingua proferretur ut N*. Ea ipsa ratio est, quare scribatur *Pontina* e Quintiliani decreto I, 7, 30. P non magis defendat locum in hac voce, quam in *emptum* etc., de quibus sentio cum Dausquio in ista voce. Taedet enim scripturae impedientis volubilem pronuntiationem. Vide eundem Dausq. in *Pontina*. — *Ostiae*) Sic scripsi nomen, auctore uno Turic., sed bonis argumentis nixus quae vide apud Dausq. in h. v. Ceteri *Hostiae*. Debebant saltem constare sibi; Cf. II, 21, 18.

*Potentissima*) Cf. III, 6, 8, 11.

*Isthmos — Pomptina*) De utroque vide Suet. Caes. c. 44. Calig. 21, Neron. 19. De Isthmo perfodiendo est libellus Luciano tributus Vol. IX, p. 295 seqq.

*Portus Ostiae*) Vid. II. 21, 18.

*Alex. — ultra Ocean.*) Eius fere argumenti est (quod monuit iam Regius) prima Senecae Rhet. suasoria: *Deliberat Alexander an Oceanum naviget*. V. c. *Divisit* (Fabianus) *sic*, *ut primum negaret ullas in Oceano*, *aut trans Oceanum*, *esse terras habitabiles*, *deinde* etc. p. 8.

constabit posse fieri, conjectura aliquando erit: ut si quaeratur, *An utique futurum sit, ut Charthaginem superent Romani: ut redeat Hannibal, si Scipio exercitum in Africam transtulerit: ut servent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint?* Quaedam et fieri posse, et futura esse, credibile est; sed aut *alio tem-*
18 *pore*, aut *alio loco*, aut *alio modo*. Vbi coniecturae non erit locus, alia sunt intuenda. Et primum, aut propter ipsam rem, de qua sententiae rogantur, consultabitur: aut propter alias intervenientes extrinsecus causas. Propter ipsam deliberant Patres conscripti,
19 *An stipendium militi constituant?* Haec materia simplex erit. Accedunt causae aut faciendi, ut deliberant

*Si quaeratur*) Turic. et Voss. 1 (Alm. tacetur) *s. quaeretur*. Melius, puto. Idem sane volebat Guelf. per errorem dans *quaereretur*. — *Aut propter*) Turic. *et propter*. Alm. *aut* omittere narratur. Male utrumque.

*Vt deliberant*) Turic. *ut deliberent* cum Iens (tac. Gesn.) et Basil. alt. (in priore evanuit vocalis). Ceteri mei omnes indicativum — *Vt deliberat*) Turic. et Guelf. omittunt *ut* cum Alm. Goth. Voss. 1, et edd. ante Bad. omnibus, qui primus dedit adverbium, obtemperantibus omnibus, praeter Ald. sec. — *Illic*) Guelf. et Turic. *illi* cum Alm. Bodl. Ioann. Voss. 1, Bern. manifesta erroris causa; cf. III, 6, 16, ubi in eadem voce minus facile redargui potest vitium, sed aeque certum est. — *Deliberaret*) Ita Turic. Alm. Bodl. cum ed. Andr. et Obr. Ceteri omnes *deliberet*. Tres optimos Codd. ad quos quartus videtur accedere Argentorat., et unam antiquissimam editionem, auctores nactus reposui imperfectum. Agitur enim de re certa, non autem de eo quod forte ac-

*Si Scipio*) Hoc disceptatum fuit in senatu inter Fabium negantem, et Scipionem aientem, tantisque promissis staturum; vid. Liv. XXVIII, 40—44.

*Samnites*) Ad furcas Caudinas, cf. §. 3.

*An stipendium*) Vid. Liv. IV, 59, extr.: « Additum deinde omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset ». Argumenta in utramque partem, vid. seq. cap. De Fabiis V, 30. De Caesaris deliberatione ipse B. Gall. I, 39, 40.

*Accedunt causae*) Res iam non spectatur per se, sed adiunctis quibusdam, quae momentum faciant; ut in hoc exemplo ad ipsam rei aequitatem accedit periculum imminens a Gallis, si non tradantur Fabii; cf. mox §. 20, 21.

P. C., *An Fabios dedant Gallis bellum minitantibus?* aut non faciendi, ut deliberat C. Caesar, *An perseveret in Germaniam ire*, quum milites passim testamenta facerent? Hae suasoriae duplices sunt. Nam et illic 20
causa deliberandi est, quod bellum Galli minitentur: esse tamen quaestio potest, *Dedendine fuerint, etiam citra hanc denuntiationem, qui contra fas, quum legati missi essent, proelium inierint, regemque, ad quem mandata acceperant, trucidarint?* Et hic nihil Caesar 21
sine dubio deliberaret, nisi propter hanc militum perturbationem; est tamen locus quaerendi, *An, citra hunc quoque casum, penetrandum in Germaniam fuerit?* Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari, etiam detractis sequentibus, posset. Partes 22
suadendi quidam putaverunt *honestum, utile, necessarium.* Ego non invenio huic tertiae locum. Quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quod si 23
hanc vocant *necessitatem*, in quam homines graviorum metu coguntur, *utilitatis* erit quaestio: ut *si obsessi, et impares, et aqua ciboque defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent*, et dicatur, *Necesse est*, nempe sequitur, ut hoc subiiciatur: *Alioqui pereundum est*; ita propter id ipsum non est necesse, quia perire potius

cidat; de Caesare, duce, non de declamatore in schola Caesarem agente: *Non deliberaret, nisi — at re vera deliberat, quia* —; cf. not. Cr. ad I, 8, 5.

*Necesse sit*) Guelf. *n. est*, solus.

*In quam hom.*) Edd. ante Basil. omnes *in qua h.* probante Gesnero. Cod. videtur nullus addicere.

*Quia perire*) Turic. *quia aperire*. Alm. tacetur.

*Sine dubio — est tamen*) Cf. not. ad III, 6, 88.

*Ego non — locum*) Haec dicit de Aristotelis sententia, ut monet Turn.; vid. Rhet. Arist. I, 4, 2: Οσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν ἢ ἔσται, ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή; cf. §. nostri 25.

licet. Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate
24 Opitergina circumventi. Igitur in his quoque causis aut de *sola utilitate* ambigetur, aut quaestio inter *utile* atque *honestum* consistet. At enim, si quis liberos procreare volet, necesse habeat uxorem ducere. Quis dubitat? sed ei, qui pater vult fieri, liqueat necesse
25 est, uxorem esse ducendam. Itaque mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est: non magis quam ubi constat, quid fieri omnino non posse. Omnis enim deliberatio de dubiis est. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri *possibile* nominant:

*Rate Opitergina* ) Obr. *r. Opitergini.* Optes pluribus suffragiis confirmatum ( cf. §. 30 ), neque tamen necesse. In meo Ieus. exemplo corrigendo effectum hoc, sed et ante *irrite* ex *in rate.* Is error est in Turic. quoque, sic *in* ( superimposito *r* ) *rite.* — *Nec. habeat* ) Turic. et Guelf. *n. habet* cum Voss. 1, 3. In Iens. mea subterpunxit aliquis *a* in h. v. Malim fere indicativum, potest tamen potentialis intelligi.

*Saguntini—in rate Opiterg.* ) Priores vid. apud Liv. XXI, 14. Quos generose pereuntes compellat Silius Ital. II, 696: « At vos sidereae, quas nulla aequaverit aetas, Ite, decus terrarum, animae, venerabile vulgus, Elysium et castas sedes decorate piorum ». Opiterginos ap. Flor. IV, 2, 33: « Una ( ratis ) quae Opiterginos ferebat, in vadis haesit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille iuvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, et, quum exitum virtus non haberet, tamen, ne in deditionem veniret, hortante Tribuno Vulteio, mutuis ictibus in se concucurrit » ; item ap. Lucan. IV, 462—582, frigidum hic quoque rhetorem, qui nimia promisit v. 574, 75; — *nullam maiore loquuta est Ore ratem, totum discurrens fama per orbem.* Eandem historiam pulchre exposuit Freinsh. Suppl. lib. Liv. CX, c. 52—55.

*Igitur in his* ) Cf. ad I, 5, 39; adde Cic. de Legg. I, 6.

*Necesse habeat* ) Cf. not. Crit.

*Sed ei — ducendam* ) His refellitur quod obvertebatur; nimirum illi, qui pater vult fieri, non potest dubium videri, quin uxor sit ducenda; ergo nec deliberabit de ista re. De adoptione autem, cuius mentionem iniicit Capperonnerius, cuiusque ope videtur illa necessitas potuisse exiri, hic non cogitavit Qu. quoniam dixit, *pater vult fieri* pro eo ipso quod modo erat, *liberos procreare volet.* At possunt extra connubium quoque procreari liberi; nempe legitimos intellexit, neque cavillationum, quae possent fieri, rationem habuit.

*Possibile* ) Sic *et impossibile* V; 10, 18; cf. III, 6, 23, ubi similia de *essentia.*

quae, ut dura videatur appellatio, tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere suasoriam 26
manifestius est, quam ut docendum sit. Tamen apud plerosque earum numerus augetur, a quibus ponuntur ut partes, quae species sunt partium. Nam *fas*, *iustum*, *pium*, *aequum*, *mansuetum* quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἥμερον) et si qua adhuc adiicere quis eiusdem generis velit, subiici possunt *honestati*. An sit autem 27
*facile*, *magnum*, *iucundum*, *sine periculo*? ad quaestionem pertinet *utilitatis*. Qui loci oriuntur ex contradictione: *Est quidem utile*, *sed difficile*, *parvum*, *iniucundum*, *periculosum*. Tamen quibusdam videtur 28
esse nonnunquam de iucunditate sola consultatio, ut si de aedificando theatro, instituendis ludis, deliberetur. Sed neminem adeo solutum luxu puto, ut nihil in causa suadendi sequatur praeter voluptatem. Praecedat enim 29
semper aliquid necesse est, ut in ludis, honor Deorum; in theatro non inutilis laborum remissio, deformis et incommoda turbae, si id non sit, conflictatio; et ni-

*Quam ut docendum sit*) Cf. III, 6, 44 ne forte quis credat nostro loco, ubi omnes *doc.* dant, non *dic.*, illic quoque defendi scripturam Goth. *docenda*. Hic res *docetur*, illic nomina *dicuntur*. — *Ut partes*) Turic. et Alm. inserunt *hae*, quo vel sensu, vel errore, non exputo.

*Sed neminem*) Non Goth. (ut narrat Gens.) sed Ien. *s. nemini* ut et Tarv. (cf. ad III, 7, 26) quod correxit Regius. Modo et utraque harum *instruendis* pro *instituendis*, eodem emendante. Sed utrobique Regianam rationem esse in Vallensi narrat Bad. et videtur esse in omnibus Codd.

*Si id non sit*) Goth. *s. ibi n. s.* cum Goth. et Voss. 2, item edd.

*Species — partium*) Non videtur latius patere *partis* vocabulum quam *speciei*, saltem e Ciceronis usu, vid. Topic. c. 7, princ. de Inv. I, 22, extr. De Orat. I, 42. Variavit tantum, nullo alio sensu quam si dixisset *partes partium*.

*Fas — mansuetum*) Cf. II, 4, 38.

*Contradictione*) Adversariorum scil.

*Turbae — conflictatio*) In spectandis ludis. Si theatrum sit nullum, foris et cuneis disseptum et suam cuique sedem praebens, magna oriatur, necesse est, conflictatio locum spectandi sibi invicem eripiendium. Argumenta pro vetere more su-

hilo minus eadem illa religio, quum theatrum veluti
30 quoddam illius sacri templum vocabimus. Saepe vero et utilitatem despiciendam esse dicimus, ut honesta faciamus (ut quum illis Opiterginis damus consilium, ne se hostibus dedant, quamquam perituri sint, nisi fecerint) : et utilia honestis praeferimus (ut quum suade-
31 mus, ut bello Punico servi armentur). Sed tamen, neque hic plane concedendum est, esse id inhonestum (liberos enim natura omnes, et eisdem constare ele-

Iens. Tarv. Regius coniecit *id*, sed et *fit* pro *sit* malle se ait. Locat. Ven. Rusc. dant *s. id n. fiat*, quo auctore postremum, non apparet. Badius in textu habet *s. ibi n. fit*, et defendit in nota, quia Regiana ratio habeat sonum ineptum et sensum minus cohaerentem. Idem tamen in altera ed. (1519) nostram scripturam praefert, quae deinceps est in omnibus edd. quo accedit Ald. prior. Codd. ipsi, qui silentur, eam habere sunt putandi, et sensus aptior, si theatrum est sententiae subiectum, non turba, quae non sit *ibi*, h. e. in theatro, in qua ratione etiam *conflictatio* aliena est; cf. not ex.

*Neque hic*) Guelf. *ne hoc*, prius etiam Iens. (tac. Gesn.) et edd. (ante Badium dantem *nec hic*) omnes, praeter Ald. qui dat nostram eandemque omnium reliquarum. Etiam Goth. (tac. Gesn.) *nec hic*; cf. ad not. exeg. I, 5, 38.

*Hic plane*) Turic. *id Platone*, imposuit autem literae E corrector ingeniosus I. (Alm. h. l. non citatur, quum mox, pro *id inhonestum*,

bitariis gradibus edendi ludos, immo et stando spectandi, habes apud Tacitum Annal XIV, 20.

*Eadem illa rel.*) Cuius ratio habebatur in ludis illis edendis. Videtur enim hoc de ludis et de theatro ita cogitatione iungendum, ut iis ipsis, quos instituendos suademus, ludis aedificandum sit theatrum necne, deliberetur. Sic *nihilo minus* in theatro, quam in ludis, Deorum honorem verti intelligemus, et *illud sacrum* accipiemus eius Dei, cuius forte sunt ludi, veluti matris Deorum, cuius festo plurimae actae sunt Comoediae Terentii; quamquam et de aliis, quam scenicis, ludis potest cogitari.

*Bello Punico servi*) Post pugnam Cannensem. « Deerat iuventus; in sacramentum militiae liberata servitia » Florus II, 6, 23. « Aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit: octo millia iuvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publice armaverunt » Liv. XXII, 57, 11.

*Eisdem — elementis*) Geminus fere Iuvenalis locus XIV, 17:—*animas servorum et corpora nostra Materia constare putat paribusque elementis*; quem sua hausisse e Seneca epistola 47, docent VV. DD. Quod autem *liberos natura omnes* dicit Qu. dissentit ab Aristotele propendente in eam sententiam, qua perhibentur

mentis, et fortasse antiquis etiam nobilibus ortos, dici potest): et illic, ubi manifestum periculum est, opponenda alia, ut crudelius etiam perituros affirmemus; si se dediderint, sive hostis non servaverit fidem, sive Caesar vicerit, quod esse vero similius. Haec autem, 32

solito Turic. et Almeloveeniani consensu, uterque det *id honestum*). Tales librariorum errores, si tempore succurrant, egregie interdum adiuvent Criticum.

*Antiquis — nobilibus*) Obr. videtur solus in h. l. aliquid novare, *aliquis — ortus* dans pro *antiquis — ortos*. In Almeloveeniani enim compendio *anq's* nihil nisi receptam agnosco, etsi Turic. *an quis* dare narratur. Neque erat quod in sententia haereret Burm., quasi in recepta *omnes* servis nobilibus orti significarentur. *Omnes liberos* ad homines spectat, non ad servos; et quod adiicitur *fortasse*, satis ostendit nihil certi in universum affirmari. Burm. malit *aliquos etiam nobilibus ortos*, imitans quidem sed non presse sequens Obrechti scripturam. Hanc ipsam ingenio magis, quam Codici Arg., deberi suspicor, quoniam ne structura quidem procedit: *liberos — omnes — et — aliquis — ortus dici potest.*

*Opp. alia, ut*) Goth. et Ieus. (tac. Gesn.) *o. alia sunt pericula ut*, cum edd. ante Ald. sec. omnibus (praeter Ald. priorem). Codex quidem nullus affertur alius, neque est vel necessarium additamentum vel elegans. In reliquis edd. meis omnibus nostra est. — *Dediderint*) Goth. et Ieus. (tac. Gesn.) *dederint* cum Voss. 1 (an 2?), quod correxit Regius. Sed videntur astipulari Codd. omnes, et ipsa Tarv. veram scripturam praefert (cf. §. 28) cum reliquis omnibus.

*Sive hostis — servaverit — sive*) Turic. *s. vero hostis* (sed a secunda manu *sive hostes*) *— servaverint — sive*, cum Alm. nisi quod hic *— servaverit*. Guelf. *si vero hostes — servaverint — si —*. Voss. 3, *sive vero hostis — servaverint — sive*. Pluralis an singularis positus fuerit a Qu., vix dicas. Sing. est in edd. quantum video omnibus. De sing. pro plur. cf. VIII, 6, 20. — *Q. esse vero similius*) Sic Guelf. et Voss. 1. Omittunt *esse* Turic. et Obr. Reliqui *q. est veros*. Malui infinitivum ponere, quam subaudire, quod in suspensa oratione minus perspicuum, nec video, quomodo ab errore proficisci potuerit elegantissima scriptura, exprimens *esse*; quomodo omitti potuerit, facilius intelligitur. *Est* autem falso legi quivis admonitus sentiat. Firmant tamen hi ipsi libri nostram rationem; cf. not. ex. ad I, 5, 40.

quidam natura servi. Politic. I, 5, 6. Cf. et L. Seneca de Benef. III, 28.

*Antiquis — nobilibus*) *Nescias an te generum beati Phyllidis flavae decorent parentes*, Hor. Od. II, 4, 13, 14. Burmannus Acten commemorat, quam iusto paene matrimonio sibi coniunxerit Nero: *summissis consularibus viris qui regio genere ortam peperarent.* Suetou. in Nerone c. 28.

quae tantum inter se pugnant, plerumque nominibus deflecti solent. Nam et utilitas ipsa expugnatur ab iis, qui dicunt, non solum potiora esse honesta, quam utilia, sed ne utilia quidem esse, quae non sint honesta: et contra, quod nos honestum, illi vanum, ambitiosum,
33 stolidum, verbis, quam re, probabilius vocant. Nec tantum inutilibus comparantur utilia, sed inter se quoque ipsa: ut si ex duobus eligamus, in altero, quid sit magis, in altero, quid sit minus. Crescit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam suasoriae incidunt: ut quum Pompeius deliberavit, *Parthos, an Africam, an Aegyptum peteret.* Ita non tantum, utrum melius, sed quid sit opti-

*Expugnatur*) Turic. *pugnatur* sed impositis primae sillabae hisce literis *op.* Hanc ipsam scripturam praeferunt Bern. et Obr. Reliqui nostram, quae sane praestat. *Expugnatur* enim interpretare, *vincitur*, *superatur*, prae quo parum est *oppugnatur*.

*Ab iis*) Guelf. et Goth. (tac. Gesn.) *ab his*, quod possit placere, quoniam opponitur *contra — illi*. Sed neque hoc necessarium et pronomen *is* solet poni, quum in sequentibus demum designantur, de quibus agitur; quae huius loci est ratio.

*Q. n. sint hon.*) Guelf. *q. n. sunt h.* cum Goth. et edd. ante Stoër. meis omnibus. Neque tamen bonis Codd. auctoribus carere nostram puto. — *Vt si ex duob.*) Alm. *ut si duob.* cum Turic. nisi quod hic impositum τῷ *duob.* habet *e*. Et sic, *e* non *ex*, Goth. Icus. (tac. Gesn.) cum edd. meis ante Stoër. omnibus, praeter Ald. et Bas. utraque. *Vt ex duob.* omisso *si*, meorum soli Stoër. Chouet. Leid.

*Vtrum melius.*) Sic Turic. et Guelf. cum Alm. Voss. 1, 3, edd. Basill.

*Tantum inter se pugnant*) *Tantum* accipe *tantopere*, *in tantum*, ne forte intelligas *tantummodo*, quod hinc alienum est. Agitur de conditione, ubi manifesto opposita sint honesta et utilia; quum adhuc conciliare utrumque conati simus. Subiit autem *tantum* mutare in *tamen*; cf. II, 11, 6, hac sententia: Haec autem quae sunt eiusmodi, ut nulla arte possint conciliari, sed, quidquid dixeris, *tamen* inter se pugnent.

*Nominibus deflecti*) Iam non *dura*, *periculosa* appellantur, quae vulgo; sed *gloriosa*, *generosa*, et sic in singulis; cf. III, 7, 25.

*Ab iis — contra — illi*) Bene monet Gallaeus designari Stoicos et Epicureos.

*Ambitiosum*) Vid. not. ad I, 2, 22.

*In altero — in altero*) Vtilibus — inutilibus.

*Pompeius*) Post pugnam Pharsalicam; v. Plutarch. in Pomp. p. 659. E, F; 660 A; item Lucan. VIII, 256 —455, quae ipsa suasoria est, oratorem magis quam poëtam prodens.

mum, quaeritur. Itemque contra. Nec unquam incidet in 34
hoc genere materiae dubitatio rei, quae undique secundum nos sit. Nam ubi contradictioni locus non est, quae potest esse causa dubitandi? Ita fere omnis suasoria nihil est aliud, quam comparatio: videndumque, *quid consequuturi simus*, et *per quid?* ut aestimari possit, *plus in eo, quod petimus, sit commodi*; *an vero in eo, per quod petimus incommodi*? Est utilitatis et in tempore 35
quaestio, *Expedit*, *sed non nunc*; et in loco, *Non hic*; et in persona, *Non nobis*, *non contra hos*; et in genere agendi, *Non sic*; et in modo, *Non in tantum*. Sed personam saepius decoris gratia intuemur, quae et in no-

Obr. Ceteri inserunt *sit*. Nostra ratio elegantior, quum mox subiiciatur *sit — Itemque contra*) Guelf. *idemque c.* cum Voss. 1, Iens. (tac. Gesn.) et edd. ante Bad. omnibus acc. Ald. sec. Correxit Regius *item*, quod praeferunt Bad. uterque et Cerv. ut et Gryph. Sed Turic. *idem* cum Goth. (non enim hic *item* ut narrat Gesn.).

*Secundum nos*) Turic. *secuntur*, cui impositum est *contra*. Apparet in priori scriptura ignari librarii error, in altera corrigentis praepostera sedulitas. An erat in antiquissimo libro *secundum vel contra?* Ipsa locutio *sec. nos* habet quidem insolentiam quandam, sed manifestae tamen est sententiae, Simile quid est Tacit. Hist. III, 7, 1 in loco tamen suspecto. Alm. nulla mentio. — *Per quid — per quod*) Guelf. *propter q. — propter q.* cum multis Codd. et edd. priore quidem loco; posteriore solus, quantum video. Turic. (ut et Vallens. ut diserte monet Bad.) priore veram habet scripturam, posteriore omittit cum omnibus his, *petimus — petimus*, solito errore. Frequentissima confusio τῶν *per* et *propter*.; vid. Drakenb. ad Epitomen Livii lib. LXXXIV.

*Non nobis, non contra hos*) Post *nobis* Alm. inserit haec, *Et in adversariis*, quorum neque in reliquis neque in Turic. vestigium invenio. Neque tamen temere reiecerim hoc additamentum, quum *persona* h. l. ad suadentem tantum et deliberantes videatur referri. — *In cons. possint*) Sic scripsi e Turic. Alm. Guelf. Voss. 1, et edd. a Locat. inde omnibus usque ad Gryph. Ceteri, ut et Gesn., *in c. possunt*. Novi equidem *quamvis* saepe cum indicativo strui, de qua re consulendus est Perizonius ad Sanctium aliique (vid. Virg. Eccl. III, 84 in ed. I. H. Vossii). Sed, in nostro scriptore, idoneis auctoribus usitatiorem formam credere malui. S non C in priore vocabulo Codd. defendunt omnes, etsi edd. vett. non paucae hoc praeferunt; cf. not. ex. ad §. 2.

*Secundum nos*) Cf. not. crit. *Non nobis, non contra hos*) Cf. not. cr.

si diversa fecerit, metus. Nam praeter id, quod his 40
levissimi cuiusque animus facillime terretur, nescio an
etiam naturaliter apud plurimos plus valeat malorum
timor, quam spes bonorum: sicut facilior eisdem tur-
pium, quam honestorum, intellectus est. Aliquando 41
bonis quoque suadentur parum decora: dantur parum
bonis consilia, in quibus ipsorum, qui consulunt, spec-
tatur utilitas. Nec me fallit, quae statim cogitatio
subire possit legentem: Hoc ergo praecipis? et hoc fas
putas? Poterat me liberare Cicero, qui ita scribit ad 42
Brutum, propositis plurimis, quae honeste suaderi Cae-
sari possent: *Simne bonus vir, si haec suadeam? Mini-*

*Div. fecerit, met.*) Reposui singularem pro Gesneri et recc. (exc. Capper.), *fecerint*, auctoribus Alm. (Turic. siletur) et edd. inde a Rusc. (qui differt h. l. a Locat. vid. Prœm. §. 4), usque ad Stoër. omnibus meis. Refertur ad *deliberantis* (non *deliberantium*) *animum*. Intelligere enim *turpes* istos, qui erant in initio integri sensus huius, contortum arbritor.

*Nam praeter*) Turic. *Nam quod p.* sed imponitur *que τῷ quod*. Alm. *N. quod p.* cum Voss. 3. *N, quidem p.* Voss. 1. Ego Turic. secundam scripturam veram existimo.

*Liberare Cic.*) Omisi *M* ante *Cic.* cum Turic. Guelf. Alm. Goth. (tac. Gesn.) Edd. ante Ald. omnes *C* ponunt pro *M.* (de Iens. tac. Gesn.) quod mero errori post *e* in *liberare* ante *C* imputandum; cf. not. Crit. ad I, 10, 4.

*Suaderi — possent*) Turic. Alm. Voss. 3, *s. — possint.* Guelf. *possunt.* Edd. quidem omnes meae imperfectum, quas, vel contra praeclaros Codd., sequi debere mihi videbar. Quod enim typis ipsis significavi: verba haec *propos. — possent* nondum sunt Ciceronis, verum ipsius Quintiliani; quam rationem soli adhuc tenuerunt Rusc. Badius in priore ed., Rollinus,

*Plus valeat — intellectus est*) Commodum Pseudo-Turnebus ablegat ad Cic. Partit. Orr. c. 26, unde haec hauserit Qu., « Videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia » etc.

*Ipsorum — utilitas*) Qui quum ipsi sint mali, ne consilia quidem, talibus utilia futura, poterunt valde bona esse; alioqui, neglecta consulentium utilitate, publice tantum utilia suadebis, quod est contra suasoris fidem. Haec quidem sententia, quae cum rigida Stoicorum virtute non prorsus conspirat, ex Ciceronis exemplo, quod mox legetur, apparet.

*Hoc — praecipis*) Valde simili oratio est Ciceronis et ipsius se quasi obiurgantis Pro Coel. c. 17: *Haec igitur est tua disciplina? Sic tu institues adolescentes* etc.; cf. IX, 2, 15.

*Suaderi — possent*) Vid. not. crit.

*me. Suasoris enim finis est utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt: quis negat? Sed non est semper rectis in suadendo locus.* Sed quia est altior quaestio, nec tantum ad suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo (qui summus futurus est) libro.
43 Nec ego quidquam fieri turpiter velim. Verum interim haec vel ad scholarum exercitationes pertinere credantur; nam et iniquorum ratio noscenda est, ut melius
44 aequa tueamur. Interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit non suadere tanquam inhonesta, ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, propter hoc ipsum, quod turpis et crudelis sit, impellunt: sed dandus illis deformibus color, idque etiam apud malos. Neque enim est quisquam tam malus, ut videri

Capperonnerius, etsi ceteroqui prava distinctione turbans locum. Eadem est in fragmentis quoque Ciceronianis. Et ea sola vera est. *Haec* enim, quod mox est in verbis Ciceronis, si refertur ad ea *quae honeste suaderi possunt*, existit sententia praepostera Ciceronis negantis se bonum virum fore, si honesta, in genere, suaserit Caesari. Vides *haec* istud referendum esse ad certa quaedam consilia, in prioribus posita a Cicerone, sed quae non attulerit Qu. Is in universum significans ea, de suo narrat, proposuisse Ciceronem in superioribus talia multa, *quae — possent*. Ita apparet soli imperfecto esse locum, quippe quod pendeat a perfecto in *propositis*. Contra si Ciceronis essent ista *propos. — poss.* scribi deberet *possint*. Neque enim tunc historice praeteritoque tempore accipienda essent *proposita*; verum hoc modo: *Quum parata mihi sint et proposita multa, quae — suadere possim*; h. e. *Quum habeam multa, quae suadeam*. Gesnerus egregie correxit superiorum edd. distinctionem; haec tamen, de quibus agimus, verba Ciceroni iam assignans, quocum facit et Gedoynus. Mea ratio tota est apud Rollinum editum ab Harlete, item Rusc. et Badium, ut monui; nisi quod illic nulla est typorum diversitas. Caesarem autem h. l. esse Octavianum, vix attinet dicere. De eius nimia apud Ciceronem gratia, etiam personatus ille Brutus conqueritur, quem habemus in epistolis hodie exstantibus; vid. not. ex. ad II, 20, 10.

*Neque enim*) Sic Guelf. Ceteri *Nec e.*; cf. III, 8, 6.

*Vt videri velit*) Ita Turic. Alm. Cuelf. Voss. 1, Goth. Voss. 2, et

*Duodec. — libro*) Capite primo integro.

*Sextum Pompeium*) Poterant sane multa pro tali consilio afferri, ut patet ex iis quae collegit e scriptoribus Freinshemius in Supplem. libri Liv. CXXIII, c. 1.

*Color*) Cf. IV, 2, 88.

velit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem 45
sceleratissimam non malitia, sed indignatione, videatur audere. Sic Atreus apud Varium:

— *Jam fero* (inquit) *infandissima*,
*Jam facere cogor.*

Quanto magis eis, quibus curae fama fuit, conservan-

edd. meae ante Gryph. omnes. Hic primus inseruit *malus*, post *ut*; quod deinceps est in omnibus, languidiore sententia. — *Sallust. loquitur, ut*) Omittunt *loquitur* Turic. et Alm., soli quantum video. Continuabantne igitur orationem, non interpungentes post *audere*, ut etiam hoc referretur ad id quod sequitur *inquit*? Mollior tamen videtur recepta. — *Varium*) Goth. (tac. Gesn.) *Varum* cum Voss. 2, et edd. multis ante Leid. Sed *Varrum* Guelf. Iens. (tac. Gesn.) cum Turv. Venet. Primus meorum Aldus *Varium* dat, qui et in scriptura *Varrum* latet. Turic. et reliqui quin verum nomen habeant, non dubito. Infra X, 1, 98, ubi multi Codd. pro *Varii Thyest.* dant nominativum viri, Goth. item *Varus*, Guelf. *Varrus*.

*Jam fero — cogor*) Disposui fragmentum e sententia Rutgersii in Lectionibus Venusinis c. 3, flagitante metro. Gesneri coniectura, *ferre* optantis pro *fero*, a libris non adiuvatur (Guelf. pro eo *vero*, in quo latet recepta ipsa), et robustius videtur si *facere* tantum, non item *ferre*, se cogi dicat. Continuos enim duos spondeos in iambis Latinis non morabor.

*Curae fama*) Sic Guelf. Iens. (tac. Gesn. nisi forte in meo exemplo calamo est correctum e *cura famae*) Obr. item Turic. a prima manu, nam a secunda est *curae famae* (ut et in Alm.) a tertia denique repositum *fama*. Ald. Bad. sec. Cerv. Bas. dant *aliqua cura famae*, quod in aliquot exemplis inventum probat Regius, sed Bad. in pr. reiicit *aliqua*, quod neque necessarium sit et omittatur in Vallensi. Ceteri, ut et Gesn., *cura famae*. Non multum interest; sed nostrum minus videbatur potuisse oriri e corruptela.

*Apud Sallustium*) B. Cat. c. 16, apud Teller., apud Cortium 20.

*Apud Varium*) L. Varius, Virgilii et Horatii familiaris, epici et tragici carminis auctor, cuius opera magno literarum detrimento intercederunt, cf. X, 1, 98; item I. H. Vossium ad Virg. Ecl. IX, 35. Eius tragoedia, Thyestes, celebrata scriptoribus, nuper in Batavia reperta iactabatur, sed supposita tanto nomini, ut statim agnoverunt Critici. Huius ipsius fabulae versus sunt, quorum h. l. habemus fragmenta.

*Quibus — fama*) Si, in hominum profligatissimorum (quales fuere Catilina, Atreus) persona, studium turpitudinis abhorret a verisimilitudine, quanto magis in honestioribus debent fingi convenientia!

46 dus est hic vel ambitus? Quare et, quum Ciceroni dabimus consilium, ut *Antonium roget*, vel etiam ut *Philippicas* (ita vitam pollicente eo) *exurat*, non cupiditatem lucis allegabimus (haec enim si valet in animo eius,

*Hic vel amb.*) Fortasse iniquior in Francium videar, sed non credo eius esse coniecturam quae memoratur a Burm. *velut* pro *vel*. Hoc ipsum enim quod reposuisse fertur ille, invenio in *Turic.* qui cum Alm. nimis solet conspirare, quam ut casu factum putem, quod Francius, Almeloveeniani Codicis dominus, coniecerit, quod legitur in Turic. (gemello Alm.) Fortasse a solo Burm. turbatum est aliquid, neque arrogavit sibi hanc emendationem Francius. Veram autem existimo scripturam *velut*. *Vel* quam sit contortum, unusquisque sentiat. Poterat sane Qu. id, quod malus homo non vult videri malus, appellare *ambitum* (ubi recte Gesn. confert XII, 10, 3, *intelligendi ambitum*, h. e. affectationem peritiae rerum ad artes pertinentium); sed, quoniam ridiculum videbatur, ambitiosum appellari eum, qui recusat audire nequam, molliit vocabulum solito, in talibus, additamento, *velut*. Confusionem τῶν *vel* et *velut* facillimam demonstrat Drakenb. ad Liv. XXVI, 37, 5. De usu hoc τοῦ *velut*, cf. nostr. II, 7, 5. Itidem *vel* pro *velut* Guelf. II, 6, 5. Vicissim I, 6, 2. Turic. *velut* pro *vel*, idemque cum Alm. II, 12, 4. — *C. Caesari*) Sic (non *Caio Caes.* ut Gesn.) Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn. cum edd. ante Stoërium meis omnibus, quas sequi malui, quam nomen integrum ponere, ubi prima esset C. non G.; vid. I, 7, 28. Male autem reliquas edd. sequutus posui I, 6, 36. — *Affert exsp.*) Turic. *aut fert exsp.* An ita mutandum quod ex Alm. refertur *Aut* pro *At* in iis, quae protinus leguntur? Saltem diversam horum Codd. aberrationem vix credo. Sed in altera Turic. collatione est *aufert*, et tamen mox *Aut* pro *At* cum Alm.

*Hic vel ambitus*) Vel si merus fuerit ambitus h. e. captatio honoris, cf. §. 32. Est tamen durior collocatio coniunctionis *vel*, quam pro *saltem* usurpari quo auctore, affirmet Regius, non equidem dixerim, etsi video in eadem opinione esse Turscllinum, sed revictum ab Ernesto p. 1048; cf. not. crit.

*Quum Ciceroni — exurat*) « Solent — scholastici declamatores ponere, Deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio, orationes suas comburat ». Seneca pater p. Bip. 37, cuius 6, et 7, suasoriae sunt de Cicerone et de hac ipsa re. Seneca tamen *Huius*, ait, *suasoriae alteram partem neminem scio declamasse*, p. 41.

*Allegabimus*) Cave interpreteris: memorabimus, afferemus. *Allegare* graece est προσπέμπειν scil φίλους: Mittere ad aliquem amicos, qui aliquid ei persuadeant, precibus et consiliis ab eo expugnent. Multis hanc significationem exemplis demonstrat I. Fr. Gronovius ad Liv. XXXVI, 11, 1, adde L. Senecam de Benef. V, 23, p. 299: *Diis quoque Homericus ille sacerdos allegat officia.* Ita h. l. persona imponitur cupiditati vitae, et insperatum utrorem consciscit oratio, quae nihil habet elegantiae,

tacentibus quoque nobis valet), sed, ut se reipublicae servet, hortabimur. Hac illi opus est occasione, ne 47
eum talium precum pudeat. Et C. Caesari suadentes regnum, affirmabimus, stare iam rempublicam, nisi uno regente, non posse. Nam qui de re nefaria deliberat, id solum quaerit, quo modo quam minimum peccare videatur. Multum refert etiam, quae sit persona 48
suadentis: quia, anteacta vita, si illustris fuit, aut clarius genus aut aetas aut fortuna affert exspectationem, providendum est, ne, quae dicuntur, ab eo, qui dicit, dissentiant. At his contraria summissiorem quendam modum postulant. Nam quae in aliis *libertas* est, in aliis licentia vocatur: et quibusdam sufficit *auctoritas*;

*Sufficit auct.*) Turic. et Alm. *sufficiat auct.* Eleganter, neque obstat quod mox est *tuetur*, indicativus. Nemo enim sola auctoritate uti volet;

si pervulgatam apud recentiores *allegandi* potestatem tenemus. Procedit autem haec ratio in omnibus nostri operis locis, velut IV, 1, 13, 16; etsi obscurius, fateor, VII, 4, 21.

*Occasione*) Capperonnerius, post eumque Gesnerus, e Graecorum rhetorum vocabulo ἀφορμὴ hoc mutuo sumptum putant; et apposite I.C. Th. Ernestus in h. v. citat Vlpianum ad Demosth. Androtianam: Θαυμαστέος φαίνεται ὁ ῥήτωρ. δεινὸς γὰρ καὶ ἐν ἀπόροις εὑρεῖν ἀφορμάς. Vides ἀφορμὴν eadem plane potestate usurpatam, qua nostro loco *occasionem*; est ratio sese expediendi, honesta species. Sic fere et VI, 1, 5; XII, 10, 13.

*C. Caesari — regnum*) Similis consultatio apud Dionem Cassium est Octaviani cum Agrippa et Maecenate, ubi hic iisdem fere argumentis utitur, auctis in tantum reipublicae opibus iam civitati locum esse negans. Videntur autem vel prudentissimi Romanorum regni vocabulo tantopere fuisse exterriti, ut etiam Quintilianus *rem nefariam* non obscure appellaret hanc regni affectationem, qui dominatum Domitiani et ferret et in magna generis humani felicitate poneret. Talis est illa Velleii et Lucani, Tiberium Neronemque adulantium, libertas, quae Catones et Brutos meros loquitur.

*Quia—dissentiant*) Dirimendo demonstravi *quia* referendum esse ad *prov. est*, *si* autem ad *fuit* et *affert*. Non *affert exp. vita anteacta*, *si ill. fuit*; sed *si vita anteacta illustris fuit*, et *si* (id enim repetendum est animo) *clarius genus* etc. *exspectationem affert*, *prov. est*. Sic nihil abruptum neque confragosum erit in oratione, quod Gesnerum movit, ut *providendumque* vel *providendum igitur* reponi debere coniiceret.

*Summissiorem — modum*) Eleganter petita ab arte musica imago; cf. I, 12, 14.

*Sufficit auct.*) Vid. not. crit.

49 quosdam *ratio* ipsa aegre tuetur. Ideoque longe mihi difficillime videntur prosopopoeïae, in quibus ad reliquum suasoriae laborem accedit etiam personae difficultas. Namque idem illud aliter *Caesar*, aliter *Cicero*, aliter *Cato* suadere debebit. Vtilissima vero haec exercitatio, vel quod duplicis est operis, vel quod poëtis quoque aut historiarum futuris scriptoribus plurimum confert. Ve-
50 rum et oratoribus necessaria. Nam sunt multae a Graecis Latinisque compositae orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quae dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit, aut eandem personam induit Cicero, quum scriberet Cn.

ut magis quid fieri possit, quam quid fiat, ostendatur. At se tueri conantur multi revera.

*Namque idem illud* ) Guelf. et Turic. *Nam quidem illud* cum Bern. Levi aberratione Alm. *Nam quaedam ill.* Voss. 1, *Nam quid est ill.* In hisce omnibus latet recepta. Edd. ante Gryph. meae transponunt *N. ill. id.* male. Peius etiam Bad. Cerv. *N. unum et id.* Cod. Bal. *Vnum quidem ill.*

*Poëtis quoque aut* ) Turic. omittit *aut*, unde coniiciam, potius quam *aut*, excidisse *et*, quod malim fere. Edd. (de Iens. tac. Gesn.) ante Bad., quo accedit Ald. sec., mox post *histor.* repetunt *quoque*, male. Quid autem sibi velit Francius ante *poëtis* de coniectura inserens *non*, vix assequor, nisi forte, quum mox etiam *est* addat post *necess.*, *quoque* vel mutavit in *solum*, vel ita accepit; quorum nihil probandum.

*Induit* ) Guelf. et Turic. *inducit* cum Alm. Goth. et edd. Iens. et Tarv. Regius correxit; et est nostra in omnibus meis a Locat. inde, etiam in Vallensi Codice, referente Badio. Neque erat quod vel tantillum haereret Burm. ob locum Cic. Pro Coel. c. 15, *personam induxi*. Apposite Gesn. citat VI, 2, 36. Sed rem conficit, quod praeterit. perf. necessarium est.

*Prosopopoeïa* ) Vid. II, 1, 2. Diversa autem haec prosopopoeïa, quae integra est declamatio ex suasoriarum genere, ab altera, quae figuris annumeratur, et partem facit orationis; vid. mox §. 54; item VI, 1, 25; IX, 2, 29, 37; XI, 1, 39. Eius generis sunt quas tangit, I, 8, 3.

*Vel — vel* ) Cf. II, 20, 2.

*Quibus alii uterentur* ) Cf. II, 15, 30. Indiciales orationes a Latinis scriptas in usum aliorum memorari non memini. Neque enim videtur inhonestum fuisse patronis uti; quod secus erat apud Graecos.

*Cn. Pompeio — T. Ampio* ) Qua occasione Pompeio orationem pronuntiandam scripserit Cicero, nusquam relatum invenio, neque id ipsum narratur, Pompeium usum esse Cice-

**Pompejo, et quum T. Ampio, ceterisve; ac non unius-**

*T. Ampio*) Sic Voss. 3, et Bern. nisi quod ille *Tampio* dat continuata scriptura, et hic etiam corruptius *tam pio*. Proxime accedit Voss. 1, *C. Tampio*. Tur. Bodl. Andr. Obr. *Domitio*. Edd. ante Basil. meae omnes *C. Domitio* (nam Venetam *C* omittere falso narrat Gibs.) Basil. *C. Domitio et Appio*. Guelf. Goth. Vall. (referente Badio) *C. Appio*, quibus accedere narratur Alm., quod mecum mirabuntur, qui adhuc summum attenderunt Alm. et Turic. consensum. Voss. 2 non memoratur et facit haud dubie cum Goth. Huius autem scripturam a Gryphio inde meae praeferunt omnes. Burmannus *Domitium* temere eiiciendum esse negat, quia Cicero ei scripserit laudationem Porciae uxoris vel matris. Cic. ad Att. XIII, 37, 48. Videtur Burmannus rationem Basilecnsis ed. probare qua duo nomina coniunguntur, quam ipse quoque, ut tutissimam, sequerer si ullus ostenderetur Codex, in quo esset. Neque tamen locis istis ad Atticum manifesto apparet, scripsisse Ciceronem hanc orationem a Domitio pronuntiandam, quoniam, cum Domitio, Brutus quoque memoratur, cui mitti debeat laudatio. Valde similis sane est ratio ad Qu. fr. III, 8: *Serrani Domestici filii funus perluctuosum fuit — Laudavit pater scripto meo;* quem locum citat Burm. *Appium* alienum esse a nostro loco vel praenomen *C.*, quod additur, ostendit. Sic enim Manutius ad Cic. ad Div. I, 3: *T. Appius* (apud nostrum quidem h. l. *C. App.*; sed eodem redit) *mendo manifesto: quia duo praenomina simul esse non possunt.* Ipsum tamen etiam *Domitii* nomen, quum praesertim in codd. *C.* antepositum non inveniatur, occupare minus noti illius *T. Ampii* locum potuisse, existimo. *M* inest, et P cum T non raro confunditur in MSS.; cf. Drakenb. ad Liv. XXVII, 15, 11. Nam quin *Ampius* h. l. sine errore scriptus sit a librariis, nemo, opinor, dubitabit, qui expenderit nullam fuisse occasionem tam praeposterae scripturae qualis est in Bern. v. c., quum *Appius* contra multis locis male obtrusus fuerit pro *Ampio*, velut Cic. ad Div. I, 3; VI, 12; X, 29; XIII, 70, ubi cf. Victorium, Manutium, Gebhardum; it. Caes. de B. C. III, 105 ed. Oud. Eodem, quo in Bern., errore discerptum nomen habes Cic. ad Div. II, 16 in aliquot codd. Ita ii ipsi codd., qui nostro loco praeferunt *C. Appio*, firmant scripturam quam recepi.

*Ceterisve*) Turic. *Caesari sue* (in altera collatione *Caesari suo*) a prionis scripto in aliquo negotio. Quum autem Cicero (Brut. c. 68) eius eloquentiam non magnam fuisse significet, potuit sane, ubi aliquid gravius esset eloquendum, confugere ad amicum suum, qui idem esset hominum disertissimus. De T. Ampio Balbo non magis habeo, quod ex historia doceam instructum oratione a M. Tullio. Fuit is summo studio erga Pompeium, ita ut *tuba belli civilis* audiret a Caesarianis (Cic. ad Div. VI, 12). Hunc tamen per familiares C. Caesaris cum ipso in gratiam reduxit, ut ab exsilio redire ei liceret (l. c.). Potuit igitur hoc beneficium vel impetrare, vel acceptum collaudare Ampius oratione, scripta a summo dicendi artifice; quales suo nomine habuit Cicero pro Marcello et pro Ligario. Nec obstat,

cuiusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi, dicere viderentur. Neque enim minus vitiosa est oratio, si
51 ab homine, quam si a re, cui accommodari debuit, dissidet: ideoque Lysias optime videtur in iis, quae scribebat indoctis, servasse veritatis fidem. Enimvero praecipue declamatoribus considerandum est, quid cuique personae conveniat? qui paucissimas controversias ita dicunt, ut advocati; plerumque filii, patres, divites,

ma manu, a secunda *Caesariue*. Alm. *Caesari suo*. Bodl. *Caesariue* cum Andr. Obr., at non Veneta, ut narrat Gibs. Caesarem hinc esse alienum, praeter ea quae rectissime monet Burm. de ipsius eloquentia, quae tali auxilio non indiguerit, ipsa quoque codicum scriptura persuadet mihi. Prima enim illa in Turic. manus satis ostendit erroris originem. *S*, quod ibi legitur, remanserat ex vera scriptura *caeterisue*, quam male redderet librarius ignarus, unde in Alm. etiam deterius factum est *Caesari suo*, quod ipsum altera collatio tribuit Turicensi. Quod corrector in Turic. reposuit, id in ceteros quoque codd. ab eruditorum ingenio invectum fuit. Suetonium (Caes. 55) male citat Burm., doctrinis Caesarem ipsum alteri scripsisse orationem. Ibi enim *ex persona Caesaris sermo*. Edd. meae omnes, praeter Obr., dant receptam.

quod ipse Ampius *studium suum consumpsit in virorum fortium factis memoriae prodendis* (l. c.); quoniam in tanto suo tempore suae eloquentiae parum fortasse confidebat. Quamquam nec diffiteor longe alia occasione Ampium potuisse uti Ciceroniana facundia. Hunc certe esse, qui a Quintiliano memoretur h. l. satis videor probasse in not. crit. De ipso praeter plura loca in Epistolis ad Div. possunt consuli Epp. Cic. ad Att. VIII, 11, in ep. Ciceronis ad Cn. Pomp. Vellei. II, 40, Suet. Caes. c. 77 (quo et ipso loco apparet eum libros conscripsisse) Caesar de bello Civili III, 105. Varro de vita Populi R. in fragm. ap. Non. p. 249, ed. Bip. Varr. Exempla orationum aliis scriptarum affert Burm. Cic. de Orat. II, 84, quod est Laelii, et Cic. ad Q. fratrem III, 8, quod est ipsius Ciceronis. Hae tamen sunt e genere demonstrativo. Iudicialis autem manifestum exemplum adhuc desidero, neque potuit hoc adeo frequens esse inter Romanos, qui patronis solebant uti in iudiciis; cf. II, 15, 30. In nostro quidem loco de industria videntur coniungi earundem in republica partium viri, primarius alter, alter obscurior, quorum utriusque imaginem diligenter expresserit Cicero.

*Lysias — indoctis*) Similia fere de eo Dionysius Halic. p. 82 extr.: ὁμοίως δὲ τοῖς ἰδιώταις διαλέγεσθαι δοκῶν, πλεῖστον ὅσον ἰδιώτου διαφέρει: item p. sq. extr.: ἀποδιδῶμί τε οὖν

senes, asperi, lenes, avari, denique superstitiosi, timidi, derisores, fiunt: ut vix comoediarum actoribus plures habitus in pronuntiando concipiendi sint, quam his in dicendo. Quae omnia videri possunt *prosopopoeïae;* 52 quas ego suasoriis subieci, quia nullo alio ab his, quam persona, distant. Quamquam haec aliquando etiam in controversias ducitur, quae ex historiis compositae, certis agentium nominibus continentur. Neque ignoro, 53 plerumque exercitationis gratia poni et poëticas et hi-

*Quas ego suas.*) Guelf. et Turic. *quam e. s.* cum Alm. Goth. et edd. Iens. et Tarv. Mallem hoc, si mox esset *distat*, pro *distant*. Tum genitivus sit *prosopopoeïae*, non nom. plur., quod longe elegantius. In recepta enim debebat esse: *Quae omnes v. p. pros.* — *Certis agentium nom.*) Turic. *certius argentium n.* Prius est et in Goth. Iens. (tac. Gesn.) et edd. (praeter Loc. Ven. Ruse. Bad. sec. Cerv. Bas. Burm. Capp. Gesn. et si qua recentior) meis omnibus, quum e Vallensi revocaverit Bad. improbans Regium, qui nostrum ex ingenio, ut videtur, reposuerat. Comparativum superiora respicere ait Badius. Sed hoc est nihili, et recte locutionem in aere alieno usitatam *certis nominibus*, quam illustret Bentl. ad Hor. Epist. II, 1, 105, comparat Burm. Est autem *certis* in Guelf.

*Neque ignoro*) Ita Turic. Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.), cum edd. (praeter Bad. sec. Cerv.) ante Burm. meis omnibus. Hic cum aliquot prioribus inseruit *enim* de Regii coniectura, nequaquam necessaria, ut et Badius iudicat, qui coniunctionem a Vallensi quoque abesse narrat. Capper. et Gesn. retinuerunt *enim*.

*Et poëticas et historicas*) Guelf. *et poëti eas historias.* Prius mero errore. Alterum est in omnibus meis edd. ante Badium, qui receptam,

αὐτῷ καὶ τὴν εὐπρεπεστάτην ἀρετήν, καλνομένην δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν ἠθοποιΐαν; cf. not. ad I, 9, 3. Ex ipso Lysia elegantissimum ethopoeiae exemplum, in quo inferioris conditionis homo effictus videatur, affert Rutilius Lupus p. Ruhnk. 66 seqq.

*Quas ego suas.*) Vid. not. crit.

*Et poëticas — in concione*) Quod potissimum vocabulum intelligi debeat ad ista adiectiva *poët. hist.*, potest dubitari. Video Gedoynum eo retulisse *controversias* ex proximis. Sed Priamus apud Achill., Sulla dep. dict., non sunt controversiae, quae iudiciali genere continentur. Neque dubito quin *personae* sint subaudiendae, non autem *prosopopoeïae* (quod ipsum quoque proponit Capper.) Sed in hac ratione offendor eo quod sequitur *Priami verba*. Satis enim erat solum genitivum *Priami* poni, qui referretur ad *personam*, sicut et mox *Sullae-deponentis* ubi *verba* subaudire frigidum videtur. A nullo quidem libro abesse *verba* istud video, sed magnopere redolet correctorem, unde regimen genitivi sumeret inscium. Qui tamen praetulerit alteram illam Capper. rationem, intelligendi *pro-*

storicas; ut *Priami verba* apud Achillem, aut *Sullae dictaturam deponentis* in concione. Sed haec in partem cedent trium generum, in quae causas divisimus. Nam et rogare, indicare, rationem reddere, et alia, de quibus supra dictum est, varie, atque ut res vult, in materia *iudiciali*, *deliberativa*, *demonstrativa*, solemus.
54 Frequentissime vero in his utimur ficta personarum,

quam coniiciendo assequutus erat Regius, in Vallensi esse narrat. Videntur astipulari Turic. aliique non pauci. Nostram habet Goth. — *In partem cedent*) Sic Turic. Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.) cum edd. meis ante Gryphium omnibus, nisi quod Turv. dat *cadent in p.* quae videtur esse corruptela scripturae Turic. et edd. ante Bad., ipsius (sed levius) corruptae, *caedent*. (Sed Badius in nota *cadent* et ipse). Gryph. *i. partes cedunt*, quem deinceps sequuti sunt omnes praeter Obr. qui revocavit singularem, futurum non item. Cum hoc facere narrantur et Bal. Andr. Voss. 2. Veterum edd. et meorum codd. scripturam retinere debui, quum singularem in simili locutione ponat Qu. V, 11, 36: *ea — in exemplorum locum cedunt. Locus*, *pars* nihil aliud est nisi *genus*, *species*, ubi pluralem alienum fere agnoscas. Locutio omnis interpretanda: *annumerabuntur tribus generibus* etc.

*Indicare*) Goth. et Voss. 2, *vendicare* (neque enim *vind.* Goth., ut narrat Gesn.); item Vallens. referente Badio. Turic. Alm. Ioann. *iudicare*, in quo est levis error. Ne illud quidem valde considerandum duco, in solita horum confusione; cf. not. crit. ad II, 17, 2. Nam in loco gemino, quo respicit, est *narramus*, nihil autem simile *vindicandi*. Ceterum mox in *et alia* suspicor *et* natum ex ultimo *reddere*. Cf. III, 4, 3.

*Res vult in materia*) Guelf. *r. ultimae m.* Voss. 1, 3; Turic. *r. ultimi materiae*. Alm. *res materiae*, miro a Turic. dissensu. — *Demonstrativa solemus*) Auctoribus Turic. Alm. Guelf. Voss. 1, 3; Goth. et edd. meis ante Ald. omnibus, quo acc. Bad. pr. (secunda non item) *omisi subiicere*, quod reliqui inserunt, Gesn. quoque, etsi uncis appositis. Multi sane codd. a conferentibus sunt neglecti, ut Voss. 2. Originem vitii, de qua anquirit Gesn., non ita facile demonstres.

*Freq. vero*) Goth. Voss. 2, *Fr. tamen* cum edd. meis ante Gryph.

*sopopoeias*, is exemplo fortasse tuetatur se eo, quod mox §. 55: *apud C. Caes. consulatio — ponitur*. Ita hic *prosop. ponitur*, quae ipsa sunt *verba* (h. e. deprecatio) *apud* Ach. Priamus Achillem implorans, ut Hectoris corpus sibi concedat, poëtica persona, ex Homeri Iliade petita XXIV, 486—506. Sulla deponens dictaturam, historica; vid. Freinshem. Suppl. Libr. Livii LXXXIX, 37, 38.

*In partem cedent*) Vid. not. crit.

*De quibus supra*) Recte ablegat Capper. ad III, 4, 3.

*In his*) Hoc refero ad triplices istas, quas modo memoravit, materias; non ad *rogare* etc. quae est Gedoyni ratio, ne ipsa quidem specie carens.

quas ipsi substituimus, oratione: ut, apud Ciceronem pro Coelio, Clodiam, et caecus Appius et Clodius frater ille in castigationem, hic in hortationem amorum compositus, alloquitur. Solent in Scholis fingi materiae ad deliberandum similiores controversiis, et ex utroque genere commixtae: ut quum apud C. Caesarem consultatio de poena Theodoti ponitur. Constat enim accu- 55

omnibus, qui et ipse hoc habet in margine. Sed Ald. utraque *vero*. Parvi refert, nostrum rectius arbitror.

*Hortationem amorum*) Guelf. *h. morum* cum Goth. Voss. 2, Vallens. (ref. Badio) ed. Bad. pr. Sed Turic. *orationem morum* cum Alm. Bal. Voss. 1, Andr. Iens. Tarv., quo acc. Ald. utraque. Hanc scripturam inveniens Regius correxit *rat. am.* quod est in Loc. Ven. Rusc. Bad. sec. et reliquis meis omnibus, praeter Gryph. qui habet nostram, cum Steph. Colin. Ad hanc omnium codd. maxime accedit Ioann. praeferens: *orationem amorum;* in quo tamen latere puto nostram ipsam. *Orandi* enim et *hortandi* verba saepissime confunduntur in MSS.; cf. Drakenb. ad Liv. IV, 38, 1. Regii et recentiorum constitutio an sit in Bodl., etsi siletur is, dubitari sane potest. In Voss. 3, *rationem morum* esse docemur. *Amorum* necessarium prorsus pro *morum* in uno tantum, ut dixi, est cod. nisi forte in Bodl. quoque et Argent. Sed erat proclivis error. Gesnerus coniicit *in curationem amorum*, non quidem necessario, ut opinor. Recte Badius: *Hortatio*, ait, *contraria est castigationi*; *unde eam lectionem teneam.* Quod paulo ante inter *Cael.* et *Clod.* inseritur *in* a codd. meis tribus, et Voss. 2, 3, Bern. item edd. ante Gryph. omnibus, eum errorem puto librariorum ad illud, quod longiore intervallo infertur, *alloquitur*, non respicientium, neque religioni duxi cum recentioribus eiicere importunam vocalem.

*Solent in*) Turic. *Sollennis*, satis proclivi errore, unde apparet quid sibi velit portentosa apud Burm. Almeloveniani scriptura *Solempniis*. Simile quid Voss. 1.

*Apud Ciceronem—alloquitur*) Vid. Cic. Pro Coelio c. 14, 15 mirae eloquentiae locum. Quid sit Appius *in castigationem amorum loquens* facile apparet, quid contra Clodius *in hortationem* non item. Haec tamen quum sit verisimillima scriptura (vid. not. crit.), si conferas ipsum Ciceronem, videbis Clodium a Coelii quidem amore abducentem, sed ad alios faciliores et magis expositos amores hortantem. Et est haec *hortandi* propria potestas, ut, qui alterum ad faciendum incitat, is *hortari* eum dicatur. Sic Virg. Aen. VI, 529, *Hortator scelerum*, quo recte utitur Barthius ad Stat. Theb. V, 103. Sic. et canes *hortantur* venatores. Hoc ipsum prosopopoeïae in oratione exemplum affert Priscianus in praeexercitamentis apud Pithoeum p. 329, ap. Putsch. 1340.

*Poena Theodoti*) Plutarch. p. 660, C, D, Pomp.: Θεόδοτος δὲ (Χῖος, ἐπὶ

satione et defensione causae, quod est iudicialium pro-
56 prium. Permixta autem est et utilitatis ratio, *An pro Caesare fuerit occidi Pompeium? An timendum a rege bellum, si Theodotus sit occisus? An id minime opportunum hoc tempore, et periculosum, et certe longum*
57 *sit futurum?* Quaeritur et de honesto, *Deceatne Caesarem ultio Pompeii? An sit verendum, ne peiorem faciat suarum partium causam, si Pompeium indignum mor-*
58 *te fateatur?* Quod genus accidere etiam veritati potest. Non simplex autem circa suasorias error in plerisque declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diversum, atque in totum illi iudiciali contrarium esse existimarunt. Nam et principia abrupta, et concitatam semper orationem, et in verbis *effusiorem* (ut ipsi vocant) *cultum* affectaverunt, et earum breviores uti-

*Theod. sit occ.*) Turic. *T. fuit o.* Natumne ex *fuerit?* Alm. non memoratur. — *Atque in totum illi*) Turic. *atque illi* cum Alm. et Obr. Non equidem accedam huic omissioni quum et ipse noster et alii eius aevi *in totum* non raro usurpent; cf. III, 6, 32; IV, 1, 72; VIII, 6, 8; IX, 2, 88; it. L. Seneca de Ira I, 16, pag. Bip. 22; et Plin. in H. N. frequentissime; cf. *in quantum* II, 10, 4.

μισθῷ ῥητορικῶν λόγων διδάσκαλος τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου ἀνειλημμένος) θειότητα λόγου καὶ ῥητορείαν ἐπιδεικνύμενος κράτιστον ἀπέφηνεν εἶναι μεταπεμψάμενος ἀνελεῖν τὸν Πομπηΐου. — προσεπεῖπε δὲ δικαιοδότας (ὃς φασιν) ὅτι νεκρὸς οὐ δάκνει. Contraxi verba Plutarchi. Id. Caes. p. 730, D: (Καῖσαρ) Θεόδοτον ἀπεστράφη τὴν Πομπηΐου κεφαλὴν φέροντα. Id. M. Brut. p. 999, D: Θεόδοτος — παρὰ τῆς τύχης χρόνον εἰς ἀδοξον καὶ ἄπορον καὶ πλάνητα βίον ἐπιδανειστάμενος, τότε Βρούτου ἐπιόντα τὴν Ἀσίαν οὐκ ἔλαθεν, ἀλλ' ἀναζητεῖς καὶ κολαπεῖς, ὄνομα τοῦ θανάτου πλέον ἔσχεν ἢ τοῦ βίου. L. Seneca de Ira II, 2, p. Bip. 30: *Quis non Theodoto, et Achillae* (is interfector fuit Pompeii Magni) *et ipsi puero* (regi Ptolemaeo) *non puerile auso facinus infestus est?* Frequentatam rhetoribus hanc suasoriam discimus e M. Seneca rhetore, Controv. II, 12, p. Bip. 171: *Suasoriam de Theodoto declamavit per triduum* (Latro).

*Veritati potest*) Non fictae solum apud rhetorem materiae; cf. §. 62.

*Vt ipsi vocant*) Cf. II, 12, 9.

*Breviores — commentarios*) Minus scripti domo attulerunt, sed impetu ipso freti ad dicendum surrexerunt (cf. §. 63). Commentarii sunt quae in usum futurum perscribimus; cf. I, 8, 19; III, 6, 59; item Cic. Brut.

que commentarios, quam iudicialis materiae, facere elaborarunt. Ego porro ut prooemio video non utique 59
opus esse suasoriis, propter quas dixi supra causas, ita cur initio furioso sit exclamandum, non intelligo: quum proposita consultatione rogatus sententiam, si modo est sanus, non quiritet, sed quam maxime potest civili et humano ingressu mereri assensum deliberantis velit. Cur autem torrens, et utique aequaliter concitata sit 60
in ea dicentis oratio, quum vel praecipue moderationem rationemque consilia desiderent? Neque ego negaverim, saepius subsidere in controversiis impetum dicendi prooemio, narratione, argumentis: quae si detrahas, id fere supererit, quo suasoriae constant: verum id quoque

*Iudicialis mat.*) Guelf. et Turic. *legalis m.* cum codd. et edd. ante Bad. sec. meis omnibus. Regius coniecit, quod deinde receptum est. Et sane aptius videtur; non negem tamen Quint. hic, ubi non agit de statibus, *legalem mat.* potuisse latiori potestate usurpare. Silentur Bern. et Bal. quorum alter, nisi mutilus est h. l. videtur tueri receptam. *Legalis* revocavit Obr. ex suo profecto codice. Id etiam in Vallensi esse narrat Badius.

*Cur autem*) Goth. et Voss. 2, *C. igitur*, soli quantum video, sed cum edd. ante Ald. sec. omnibus, exceptis Tarv. (a Ieus. recedente; cf. not. ad §. 39) et Ald. pr. Non est sane quod displiceat *igitur*.

*Quae si detrahas*) Sic Guelf. et Turic. *quam s. d.* Goth. Voss. 2, Vall. ref. Badio, cum edd. a Badio inde ad Obr. usque omnibus, exc. Ald. sec. Pravam hanc scripturam expressit Gedoynus.

c. 44 extr. *non — oratio, sed — orationis commentarium.* Sed quum minus scripserunt, plerumque etiam breviores fiunt ipsae orationes (cf. §. 68). Mox ad *iudicialis mat.*, cf. not. crit.

*Dixi supra*) §. 6. De *porro* vid. not. ad II, 17, 8.

*Civili*) Quum civilis in republica esset is, qui neminem opibus praegravare, sed omnibus aequalem et nequaquam plus quam *civem* vellet se praestare, videmus iam Quintilianeo aevo significationem *comitatis* haesisse vocabulo, quae nunc in Francogallica lingua sola est; cf. II, 6, 3, *vivaciores*; cf. Thesaurum Fabria Gesn. ed.

*Et utique aequaliter*) Cf. not. crit. ad §. 6.

*Subsidere — impetum*) Monendi videntur tirones ut verbi penultimam corripiant, quoniam in hac similitudine aeque aestuantis, quae iam defervescat, tertiae coniugationis fere verbum usurpatur, non secundae, apud poëtas certe, quod hic et ad libr. II aliquot exemplis ostendit Burm.; cf. not. crit. ad II, 1, 3.

61 aequalius erit, non tumultuosius atque turbidius. Verborum autem magnificentia non validius est affectanda suasorias declamantibus; sed contingit magis. Nam et personae fere magnae fingentibus placent, *regum*, *principum*, *populi*, *senatus*, et res ampliores; ita quum verba rebus
62 aptentur, ipso materiae nitore clarescunt. Alia veris consiliis ratio est; ideoque Theophrastus quam maxime remotum ab omni affectatione in deliberativo genere voluit esse sermonem: sequutus in hoc auctoritatem praeceptoris sui; quamquam dissentire ab eo non timide
63 solet. Namque Aristoteles idoneam maxime ad scri-

*Affectatione*) Guelf. et Turic. *affectione* cum Alm. Ioann. Vall. (ref. Badio) Voss. 2 (an 1? quoniam Goth. habet receptam) 3, et edd. Iens. Tarv. Rusc. (rec. a Loc., cf. ad §. 39) Bad. pr. Ald. utr. Vindices receptae videntur Bodl. Bal. Arg. Goth. Veram autem esse ipse, qui alteram explicare laborat, Gesn. fatetur. — *In hoc auctorit.*) Guelf. *i. h. genere a.* solus, repetente, ni f., librario quod modo praecesserat.

*Aequalius*) Ex argumentationis nexu apparet hoc referri debere ad *suasorias*, non ad *controversias*. Possis tamen facile adduci, ut credas agi de eo quod fiat in controversia, detractis prooemio, narratione, argumentis; quem errorem ne ipse quidem Qu. satis cavisse mihi videtur. Erit igitur hoc tenendum, ui ad *id* intelligamus magis *quo suas. constant* quam *quod supererit*. *Aequalius* autem nequaquam est *sedatius*, sed *minus varium*. Qu, dum concitationem istam perpetuam reprehendit, quam in suasoriis affectabant declamatores, non eo usque progreditur, ut plane diversam suasoriae et controversiae rationem dicat ab ea, quam vulgo constituunt illi. Negat solum, semper controversia concitatiorem esse suasoriam. Fatetur itaque in controversiis, quoniam tractant negotia fere privata, humilius esse genus dicendi (*saepius* quam in suas, *subsidere*) et, si quando vel in locis communibus vel in epilogo assurgat oratio, cogi tamen in iis ipsis eum, qui dicat, descendere interdum ad rerum tenuitatem, ut brevior esse debeat illa in controversiis magniloquentia; quae in suasoriis vicissim aequaliter per omnem pertingat orationem: sed non proinde tumultuosius quoque et turbidius dicturum suasorem. Sic modo est *aequaliter concitata oratio*, unde discas *aequaliter* fieri, quod fiat constanti quodam et simili tenore, non autem in quo nullus sit impetus.

*Theophrastus*) Cf. III, 1, 15.

*Aristoteles*) Rhet. III, 12, 5: ἡ μὲν οὖν ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη — δευτέρα δὲ ἡ δικανική. Rationes autem, quas subiungit Qu., ab Aristotele non afferuntur; quamobrem scriptorem nostrum reprehendit Victorius ad loc. Arist. p. 685, quod male Aristotelici praecepti rationem reddiderit. *Sermo*, uit, *auctoris hic est*

bendum *demonstrativam*, proximamque ab ea *iudicialem* putavit: videlicet quoniam prior illa tota esset ostentationis; haec secunda egeret artis, vel ad fallendum, si ita poposcisset utilitas; consilia fide prudentiaque constarent. Quibus in demonstrativa consentio; nam et 64
omnes alii scriptores idem tradiderunt: in iudiciis autem consiliisque secundum conditionem ipsius, quae tractabitur, rei, accomodandam dicendi credo rationem. Nam et Philippicas Demosthenis iisdem, quibus habitas 65
in iudiciis orationes, video eminere virtutibus: et Ciceronis sententiae et conciones non minus clarum, quam est in accusationibus ac defensionibus, eloquentiae lumen ostendunt. Dicit tamen idem de suasoria, hoc modo: *Tota autem oratio, simplex et gravis, et sententiis debet ornatior esse, quam verbis.* Vsum exemplorum nulli 66
materiae magis convenire merito fere omnes consentiunt, quum plerumque videantur respondere futura praeteri-

*Eg. artis*) Turic. *e. artibus* cum Alm. quod probat Burm. allato Iustini loco IX, 8, *artibus bella tractabat.* Facilis tamen erat error. Eandem *egendi* structuram habes II, 16, 13.

*Vel ad fall.*) Guelf. *v. quod a. f.* cum aliquot edd. ut meis Bas. Gryph. mala.

*Accommodandam*) Turic. *accommodandum* cum Alm.; sed a secunda manu ille habet receptam.

*Credo rationem*) Ita codd. mei et Vall. (ref. Badio). Vett. aliquot edd. ante Loc. quo acc. Ald. utr. *c. orationem*, quod correxit Regius. Apparet, quam proclivis fuerit error.

*Dem. iisdem*) Sic Goth. Iens. (tac. Gesn.) Guelf. *hisdem*. Sed edd. nostram dant omnes ante Gryph. qui primus *eisdem*. Insolentior scriptura, invitis libris, obtrudi non debebat.

*Accus. ac def.*) Guelf. *a. et d.* paulo suavius, nisi quod variavit fortasse Qu. de industria, propter *sent. et conc.*

*Nulli materiae*) Edd. ante Ald. pr. meae omnes *nonnulli m.* unde Regius et Gesn. efficere malint *non ulli m.*, sed recepta est in codd. meis tribus, quod de Vall. quoque refert Badius.

*de exquisita magis aut minus oratione, non de ornatu splendoreque ipsius, ut Qu. videtur accepisse.*

*Sententiae et conciones*) Habitae in senatu et ad populum orationes, cf. §. 67.

*Dicit — idem*) Cic. Partitt. Oratt. c. 27 extr.

tis, habeaturque experimentum velut quoddam rationis
67 testimonium. Brevitas quoque aut copia non genere materiae, sed modo, constant. Nam ut in consiliis plerumque simplicior quaestio est, ita saepe in causis minor. Quae omnia vera esse sciet, si quis non orationes modo, sed historias etiam (namque in his conciones atque sententiae plerumque suadendi ac dissuadendi funguntur officio) legere maluerit, quam in commen-
68 tariis rhetorum consenescere. Inveniet enim, nec in consiliis abrupta initia, et concitatius saepe in iudiciis dictum, et verba aptata rebus in utroque genere, et breviores aliquando causarum orationes, quam senten-
69 tiarum. Ne illa quidem in his vitia deprehendet, quibus quidam declamatores laborant, quod et contra sentientibus inhumane conviciantur, et ita plerumque dicunt,

*Aut copia*) Turic. *a. copiae*, male; et solus.

*Modo constant*) Pluralem in verbo mei codd. habent. Voss. omnes singularem, quibuscum faciunt ex meis edd. Bad. utr. Cerv. Gryph. Gibs. (non Leid.) Obr. Roll. Capper. Blass. (non Andres). Lubrica quidem in voce *constant* disputatio de codd. auctoritate; sed singularis potuit reponi ab erudito, qui pluralem post *aut* disiunctivum non ferret. Neque tamen eiusmodi structura suis exemplis caret; cf. I. Fr. Heusingerum ad Cic. de Offic. I, 41, 10. — *Sciet, si quis*) Turic. *scies, s. q.* cum Alm. sed a secunda manu ille *sciet*.

*Saepe in iudiciis*) Gesn. de coniectura suadens *quam* inseri post *saepe*, aliud agebat; cf. not. exeg.

*Aliquando*) Sic Turic. Guelf. Goth. Ienens. (tac. Gesn.) cum edd. ante Stoër. meis omnibus qui primus *aliquanto*. Revocarunt nostram Obr. (in emendationibus repetitae lectionis) Roll. Capper. cf. not exeg. *Aliquanto*

*Genere — modo*) Posterius accipe *magnitudinem ambitum*, cf. §. 35; it. II, 21, 2. De *constant* vid. not. crit.

*Rhetorum commentariis*) Vulgares regulas continentibus; cf. III, 6, 59.

*Breviores — orationes*) Quae vulgo tanquam propria sententiis, h. e. suasoriis, iactabantur, ea singula cum in iudiciali quoque genere inveniri, tum abesse a deliberativo monet: Initia non abrupta in deliberatione, concitationem in iudiciis maiorem quam in consiliis (§. 60), verba humilia in humilibus causis, grandia in grandibus, sed eandem in consiliis pro re nata varietatem, orationes in iudiciis breviores quam in consiliis (§. 58). Neque tamen ubique rem ita comparatam esse significat,

tanquam ab iis, qui deliberant, utique dissentiant: ideoque obiurgantibus similiores sunt, quam suadentibus. Haec adolescentes sibi scripta sciant, ne aliter quam dicturi sunt, exerceri velint, et in desuescendis morentur. Ceterum, quum advocari coeperint in consilia amicorum, dicere sententiam in senatu, suadere, si quid consulet princeps: quod praeceptis fortasse non credunt, usu docebuntur. 70

IX. Nunc de iudiciali genere, quod est praecipue multiplex, sed officiis constat duobus, *intentionis* ac *depulsionis*, cuius partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt, *prooemium*, *narratio*, *probatio*, *refutatio*, *peroratio*. His adiecerunt quidam *partitionem*, *propositionem*, *excessum*; quarum priores duae probationi succedunt. Nam proponere quidem, quae sis probaturus, necesse est; sed et concludere: cur igitur, si illa pars causae est, non et haec sit? *Partitio* vero dispositionis est species, ipsa *dispositio* pars rhetorices, et per omnes materias totumque earum corpus aequaliter fusa, sicut *inventio* et *elocutio*. Ideoque eam non ora- 3
tionis totius partem unam esse credendum est, sed quaestionum etiam singularum. Quae namque est quae- 2

nimium erat; vid. not. exeg. ad §. 39. — *Similiores sunt quam*) Turic. omittit *sunt*, quod paene receperam. Sed nullus liber addicit, neque in altera collatione memoratur omissio.

*Dicturi sunt*) Sic Turic. Alm. Guelf. Reliqui *d. sint.* Sed est ipsius Quintiliani praedicentis oratio, quae iudicativum poscit.

*Si quid cons. princ.*) Turic. *s. q. et consulis principis* cum Alm.

*Quae namque est*) Turic. Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.) omittunt

verum *aliquando*, h. e. interdum; vid. not. ad II, 4, 39.

*Similiores — quam*) Vid. not. crit.

*Cuius partes*) Cave relativum referas ad proximum *depuls.* Spectat ad *iud. genus* (cf. I, 5, 19); et sic optimi loquuntur scriptores; cf. Schneider. ad Cic. Brut. c. 15, 2, in ed. Wezel.

*Succedunt*) Cf. III, 6, 71, c. 10, 4. Idem est quod *subiici*, de quo vide III, 3, 6.

*Illa — haec*) Propositio — conclusio, quarum posteriorem nemo partem causae, vel orationis, constituit.

*Quae namque*) Coniunctionem

stio, in qua non promittere possit orator, quid primo, quid secundo, quid tertio sit loco dicturus? quod est proprium *partitionis*. Quam ergo ridiculum est, *quaestionem* quidem speciem esse probationis; *partitionem* autem, quae sit species quaestionis, partem totius ora-
4 tionis vocari? *Egressio* vero, vel (quod usitatius esse coepit) *excessus*, sive est extra causam, non potest esse pars causae: sive est in causa, adiutorium vel ornamentum partium est earum, ex quibus egreditur. Nam si, quidquid in causa est, pars causae vocabitur: cur non *argumentum*, *similitudo*, *locus communis*,
5 *affectus*, *exempla*, partes vocentur? Tamen nec iis assentior, qui detrahunt *refutationem*, tanquam probationi subiectam, ut Aristoteles; haec enim est, quae constituat; illa, quae destruat. Hoc quoque idem aliquate-

*namque* cum Alm. Voss. 1, 3, (Voss. 2, miror, si habet coniunctionem) et edd. ante Bad. omnibus, qui primus emendationem Regii inserentis voculam, recepit, etsi subiiciens, se, sive ascribatur *namque* sive non, susque deque ferre, et in Vallensi esse negans. Supervacuum certe non est, sed erat lenius immittere *enim*, quod habent Ald. uterque et Vidov. Quum tamen insolentior haec coniunctionis, alteri voci subiectae, structura non sit ignota scriptoribus, suspicor alicubi in codice conspectam eam a Regio, qui, pro istius seculi more, auctorem tacuerit. Dicas saltem esse in Britannicis tribus.

*Proprium part.*) Turic. *primum* cum Alm. unde Burm. efficit *privum*, sed cf. III, 3, 12.

*Egreditur*) Turic. *egredietur*. Fit clausula hexametri.

*Nec iis*) Turic. *neque his* cum Alm. Guelf. *neque iis* cum Ald. Posui tam exiguam varietatem, si forte regula quaedam veterum ponendi *neque* an *nec*, ante vocalem, posset erui, multis exemplis colligendis.

*namque* postpositam habes etiam II, 4, 6; VIII, 6, 71; it. Flor. I, 12, 6. Plin. H. N. XVII, 18; XVIII, 26; XXV, 2; XXVI, 1, multisque praeterea locis; vid. tamen not. crit.

*Vt Aristoteles*) Rhet. II, 26, 3: Οὐδὲ τὰ λυτικὰ ἐνθυμήματος εἴδός τί ἐστιν ἄλλο τῶν κατασκευαστικῶν κ. τ. λ.; item III, 13, 4: τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντίδικον τῶν πίστεών ἐστι. (Ad quem locum Victorius pro more invehitur in Quintilianum, qui falso et imperite ita senserit, et prorsus videatur nescisse etc.; quod, si disserendi artem non didicisset, ex partit. etiam Cic. potuerit animadvertere cap. 9 extr.); item III, 17, 14, 15.

nus novat, quod prooemio non *narrationem* subiungit, sed *propositionem*. Verum id facit, quia *propositio* genus, *narratio* species videtur: et hac non semper, illa semper et ubique credit opus esse. Verum ex his, quas constitui, 7
partibus non, ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum est: sed ante omnia intueri oportet, *Quod sit genus causae? Quid in ea quaeratur? Quae prosint? Quae noceant?* deinde, *Quid confirmandum* sit, ac *refellendum?* tum, *Quo modo narrandum? Expositio* enim probationum est praeparatio: nec esse utilis potest, nisi prius constiterit, quid debeat de probatione

*Illa semper*) Ita Turic. Guelf. cum Almelov. Gothan. et edd. meis ante Gryph. omnibus qui primus inserit *vero*, quod omnes praeferunt recentiores, excepto Obr.; cf. not. crit. ad II, 19, 3; Tarv. *illa et ubique*, omisso non solum *vero*, sed per errorem etiam *semper*; et insuper h. l. *csedit* et *epus*, qualia Ernestus fortasse animadvertebat; cf. not. crit. ad III, 8, 60.

*Quod sit gen. caus.*) Turic. *quid s. g. c.* cum Iens. (tac. Gesn.) et Voss. 2, (de Goth. neque Gesn. neque ego quidquam notavimus) Tarv. et Ald. utr. Badius Vallensem *quod* praeferre narrat, quod coniectura reposuerat Regius.

*Quae prosint? Quae noceant*) Goth. *Quid prosit quid noceat* (posterius tantum memorante Gesn.) cum Voss. 2, Alm. dicitur praeferre, *Quid prosint, quid noceant*, sed latet in iis Gothana scriptura. Turic. non memoratur.

*Constiterit*) Turic. et Guelf. *constituerit* cum Goth. Bodl. Bal. Voss.

*Quod prooemio — narrationem*) Arist. Rhet. III, 13 integrum. Propositionem autem Aristoteles appellat πρόθεσιν; cave enim hic trahas πρόταστν eiusdem. *Propositionem* tractat noster l. IV, c. 4; cf. not. crit. ad III, 6; 9.

*Propositio genus*) Aristot. l.c.: ἀναγκαῖον — τό τι πρᾶγμα εἰπεῖν περὶ οὗ, καὶ τότ' ἀποδεῖξαι — Τούτων δὲ τὸ μὲν πρόθεσίς ἐστι κ. τ. λ.

*Hac non semper*) L. c.: διήγησις γάρ που τοῦ δικανικοῦ λόγου μόνου ἐστίν. ἐπιδεικτικοῦ δὲ καὶ δημηγορικοῦ πῶς ἐνδέχεται εἶναι διήγησιν οἵαν λέγουσιν; cf. etiam libri eiusdem tertii caput 16 περὶ διηγήσεως.

*Non, ut quidque — cogitandum*) Totidem paene verbis Cic. de Inv. I, 14: *non, ut quidque dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur.* Rem ipsam, citante Capp. tangit de Or. II, 77 extr.; cf. nostr. III, 6, 12.

*Expositio*) Cave hanc cum *propositione* confundas. Est plane quod narratio, quod nostro loco decet *enim* respiciens ad *narrandum*; cf. I, 2, 14, et II, 4, 15. Ita Declam. Qu. III, 7, p. 46: *Hoc expositionis loco — accusatoribus credas. Illi narrarunt* etc.

promittere. Postremo intuendum, quemadmodum iudex sit conciliandus. Neque enim, nisi totis causae partibus diligenter inspectis, scire possumus, qualem nobis facere animum cognoscentis expediat, severum an mitem, concitatum an remissum, adversum gratiae
8 an obnoxium. Neque ideo tamen eos probaverim, qui scribendum quoque prooemium novissime putant. Nam ut conferri materiam omnem, et, quid cuique sit opus, constare decet, antequam dicere aut scribere ordiamur:
9 ita incipiendum ab iis, quae prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere coepit a pedibus: nec denique ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est. Quid fiet alioqui, si spatium componendi orationem

tribus, Bern., et edd. Andr. Iens. Tarv. Ald. Bas. (quae in marg. receptam habet). Alm. tacetur quidem sed nimis cum Turic. solet facere. Vnus est Ioann. qui possit receptae vindex credi, quoniam sileturs a Gibsono, mox eumdem memorante, nisi forte mutilus est h. l. Sed si vel nullus codex addicat, verissima est recepta, in tanta librariorum consuetudine permutandi *constituit* et *constitit* cum suis. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXVII, 16, 11.

*Mat. omnem — decet*) Reposui scripturam quam in Vallensi esse narrat Badius, in qua non cogerer quidquam meae coniecturae tribuere. Gesn. cum plurimis *m. o. oportet e. q. quoque loco s. o. c. debet*, de coniectura Regii, qui *op.* et *loc.* inseruit, quorum utrumque abest a codd. meis ceterisque, opinor, omnibus; quamquam nec Britannici codd. in toto loco memorantur, nec Voss. 1, 2, in *oportet*, nec Voss. 2, in *loco*. Edd. ante Bad. omnes faciunt cum codd. omittentes duo vocabula a Regio inserta, et *quoque* dantes, non *cuique*, item *debet*, non *decet*. Ald. (quem non magis quam Venetam memorat, qui conferebat, Gibs.) sic: *ut quo ferre m. oporteat e. q. quoque s. o. c. debet*. Bad. ipse nostram, nisi quod *debet* praefert, non *decet*; dubium enim, ait, esse, utrum horum sit in cod. Negat autem quidquam addi debere in hac ratione; recte ille, modo *decet* scripsisset. Sec. ed. Bad. habet communem omnium scripturam, quam dixi esse apud Gesn. et sic deinceps omnes: in qua, praeter rationem criticam, displicet *oportet debet*, quasi cum aliqua discernendi affectatione positum.

*Nam nec*) Turic. *Namque* cum Alm., male.

*Totis — partibus*) Sic pro *omnibus* a poëtis et sequioris potissimum aevi scriptoribus frequentatur *totis*, qua de re vide Gesn. in Thes. utroque. Quamquam hic facile inseras *u* post *i*.

stilo non fuerit? nonne nos haec inversa consuetudo deceperit? Inspicienda igitur materia est, quo praecipimus ordine; scribenda, quo dicimus.

X. Ceterum causa omnis, in qua pars altera *agentis* est, altera *recusantis*, aut unius rei controversia constat, aut plurium. Haec *simplex* dicitur; illa *coniuncta*. Vna controversia est *per se furti, per se adulterii*. Plures aut eiusdem generis, ut *in pecuniis repetundis*: aut diversi, ut si quis *sacrilegii simul et homicidii* accusetur. Quod nunc in publicis iudiciis non ac-

*Haec — illa*) Ita Guelf. Turic. cum Goth. Bodl. Ioann. Alm. Voss. 1, et edd. meis ante Gryph. omnibus. Ceteri transponunt pronomina.
*Aut diversi*) Turic. *a. diversa* cum Alm., male.

*Praecipimus*) Non ad solum Quintilianum hoc retulerim, cum Gesnero, verum ad omnes quicumque praecipiunt, quo minus sit quidquam inconcinnum in eo quod sequitur *dicimus*.

*Haec simplex*) Cf. III, 6, 9, 91, 94; item Cic. Inv. I, 12. *Haec* ad remotius, *illa* ad propius relatum vide I, 5, 13.

*In pecuniis rep.*) Aliquoties enim, quod monet Gesnerus, peculatu se contaminaverit necesse est is, qui provinciam administravit, ut possit accusari repetundarum.

*Nunc in publ. iudic.*) *Nunc* spectat ad tempus post quaestiones perpetuas constitutas. Ante enim A. V. C. 605 populi in comitiis iudicia erant, in causis dumtaxat publicis, h. e. iis, quae ad rempublicam spectarent. Eo demum anno a L. Calpurnio Pisone lex lata est de repetundis, qua statuebatur ut in posterum de illo crimine cognoscerent selecti iudices apud quaesitorem aliquem. Deinceps aliae eiusmodi leges perlatae sunt, ob quas auctus est numerus praetorum, ut, praeter duos urbanum et peregrinum, privatis iudiciis exercendis creatos, essent qui causarum publicarum cognitionem haberent. Qui quum in singulos annos constituerentur, uniusque generis causas publicas omnes iidem disceptarent, appellatae fuerunt istae quaestiones perpetuae. Apparet, apud hos non potuisse agi diversi generis controversias, quoniam *certa lege*, vel repetundarum, vel maiestatis etc. sortiebantur, h. e. iudices per sortem dabant. Antiquitus enim antehas quaestiones, et si quando extra ordinem Consulibus per SCtum quaestio decerneretur (quo pertinet quod mox de *principibus* et *senatu* dicit; ea enim sunt extraordinaria iudicia publ.), de hominibus magis quam de causis iudicabatur. *Certa lege iudicium* Cicero quoque usurpat in causa Verrina repetundarum lib. V, c. 2. Quae leges fuerint *iudiciorum publicorum*, recensent Digesta lib. XLVIII, tit. 1; l. 1; vid. de iudd. publ. Bachium in Hist. Iur. p. 92 seqq. *Cognitionis* vocabulum proprium esse iudiciis publicis ex-

cidit, quoniam praetor certa lege sortitur; principum autem et senatus cognitionibus frequens est, et populi fuit: privata quoque iudicia saepe unum iudicem habere
2 multis et diversis formulis solent. Nec aliae species erunt, etiamsi unus a duobus dumtaxat eandem rem, atque ex eadem causa petet; aut duo ab uno; aut plures a pluribus; quod accidere in hereditariis litibus interim scimus: quia, quamvis in multis personis, causa tamen una est, nisi si conditio personarum quaestiones varia-

*Certa lege*) Turic. *certe l.* cum Alm., sed ille a sec. manu receptam habet. — *Fuit: priv. qu. jud. saepe*) Guelf. *fiunt priv. qu. iud. Saepe*, solus, et sine sensu.

*Nisi si*) Hoc Codd. omnes dare videntur praeter Voss. 2, et Goth. omittentes *si* quibuscum faciunt edd. meae ante Gryph. omnes, quorum rationem repetiit Gibsonus, sed per sphalma, ut quidem videtur, quoniam in Leid. est *si*. Eleganter geminari coniunctiones hasce et Burm. docet h. l. et Drakenb. ad Liv. VI, 26, 5; item Oudendorp. ad Caes. De B. G. I, 31, 14; cf. nostr. IV, 1, 70; IV, 4, 5.

traordinariis, quae exercebant principes, ostendit Ernestus ad Sueton. Excurs. II, p. 75; cf. nostr. VII, 2, 20.

*Privata — iudicia*) Haec sunt praetoris urbani et peregrini, quorum est *iurisdictio*, reliquorum autem praetorum *quaestio*; vide Ern. Clav. in h. vv. item Bach. p. 99 seqq.

*Multis — formulis*) Hoc loco intelligitur modus exercendae cognitionis iudici praescriptus a praetore in causa privata, qui et *actionis* nomine venit. Iam in privatis iudiciis quum nulla lex cogat intra unum aliquod v. c. crimen contineri in iudicando, potest praetor plures iudici formulas dare; cf. III, 6, 69. Quod autem Pithoeus exempli loco affert, iudicem pecuniariae causae de actoris calumnia posse pronuntiare, in eo neque multas neque diversas formulas agnosco, quoniam appendicula fere ipsius causae est actio calumniae. Ne privatis quidem iudd. haec post absolutum reum de calumnia cognitio propria; vid. Dig. XLVIII, 16, 1, 3. Sed, ut dixi, de pluribus diversisque criminibus, interdum privatis iudiciis fuisse disceptatum, nostro loco manifestum videtur.

*Nec — species*) Persequitur duas causae coniunctae species, tam unius generis quam diversi, et amolitur nimiam dividendi diligentiam, ne forte quis haec, quae sequuntur, totidem species constituat. Coniunctio *nec* referenda est ad *accusetur*; nam quae interposita sunt, ad argumentationem non pertinent. Quare diremptionem Gesnerianam paulum immutavi. De *dumtaxat* cf. III, 8, 10. Corrigit quasi et circumscribit, quae praecedunt; quasi dicas: *modo* una sit ea res, quam petet.

*Nisi — variaverit*) Rectissime ad

verit. Diversum his tertium genus, quod dicitur *comparativum*, cuius rei tractatus in parte causae frequens est: ut quum apud centumviros post alia quaeritur et hoc, *Vter dignior hereditate sit*? Rarum est autem, ut in foro iudicia propter id solum constituantur: sicut *divinationes*, quae fiunt de accusatore constituendo, et nonnunquam inter delatores, *Vter praemium meruerit?* Adiecerunt quidam numero *mutuam accusationem*, quae ἀντικατηγορία vocatur: aliis videlicet succedere hanc quoque comparativo generi existimantibus: cui similis erit petitionum invicem diversarum: quod accidit vel frequentissime. Id si et ipsum vocari debet ἀντικατηγορία (nam proprio caret nomine), duo erunt genera eius: 3 4

*Quidam numero mut.*) Guelf. omittit *numero*, quod quidem absens nemo desideraverit, sed, quomodo exciderit, manifestius, quam quare de suo addiderit librarius.

exemplum dati in adoptionem, abdicati, nothi ablegat Pseudo-Turnebus III, 6, 97 seqq.

*Apud Centumviros*) De hisce, qui erant iudices privatarum causarum, vide praeter Lexica Ernest. in Clave Cic. h. v. item Bach. Hist. Iur. p. 103—6.

*In foro*) Quod ex hisce apparere ait Capperonnerius, Centumviros non in foro, verum in basilica iudicasse, id, etsi verissimum, tamen alienum est a loco nostro. *Forum* enim improprie dicitur de omni iudicio, quo etiam Centumvirale continetur, in quo nec ipso *propter id solum* iudicatur. Vbi de ipso loco agitur, alia est ratio, velut X, 5, 18, *in foro—in basilicam*. Hic *forum* opponitur *ludo*; cf. II, 10, V, 9.

*Divinationes*) Qualis est Ciceronis in Caecilium de Verris accusatore constituendo.

Αντικατηγορία) Cf. III, 6, 75. Differt. ab ἀντεγκλήματι vel relatione criminis; qua accusatur is, quem vindicare vult actor, sicut Clytaemnestra ab Oreste se defendente, VII, 4, 8. Haec nostra constat accusatione ipsius actoris; cf. VII, 2, 18.

*Petitionum — diversarum*) Genitivi ratio redditur si intelligis *causa*, quod obversabatur animo quum *mutuam accusationem* dixisset, pro qua poterat *mutuae accusationis causam*. Sic in statibus itidem usurpatur genitivus, ἀπὸ κοινοῦ explicandus, *scripti et voluntatis* (III, 6, 42, 88), qui connumeratur cum meris nominativis, quasi *status*, quod vocabulum intelligitur, fuerit expressum. *Petitiones* autem h. l. nihil aliud nisi accusationes, intentiones; quod mox hac ipsa §. extr. manifestum est: *alterum* (hae sunt petitiones invicem diversae) *quo litigatores invicem*

alterum, quo litigatores idem crimen invicem intentant; alterum, quo aliud atque aliud. Cui et petitionum conditio par est. Cum apparuerit genus causae, tum intuebimur, negeturne factum, quod intenditur? an defendatur? an alio nomine appelletur? an a genere actionis repellatur? unde sunt status.

XI. His inventis, intuendum deinceps Hermagorae videtur, quid sit *quaestio*, *ratio*, *iudicatio*, *continens*, id est συνέχον, vel, ut alii vocant, *firmamentum*. *Quaestio* latius intelligitur omnis, de qua in utramque partem, vel in plures dici credibiliter potest. In iudiciali

*Cond. par est*) Quod Regius inventum in suis libris corrigebat *c. pars e.* in Iens. quidem legitur, sed in Tarv. *c. par e.* (cf. III, 9, 5) — *Id est* συνέχον) Omittunt haec Alm. et Turic. a prima manu. A secunda in hoc additur *et sinechon* ut et Guelf. dat, nisi quod graecc. litt. Goth. (tac. Gesn.) etiam *et* omittit. Error τοῦ *et* ortus ex *est*, omisso quod praecedit *id.* — *Quaestio — omnis*) Etsi nihil hic in libris variatur, fateor tamen mihi displicere ista: *Quaestio — de qua in utramque partem — dici credibiliter potest.* Requiro latius patens vocabulum, quam est *quaestio*, quod addita illa definitione *de qua* circumscribatur. Suspicor autem, aut post aut ante *omnis*, excidisse, *res*. Ita post *omnis* aliquoties in Codd. Caesaris omissum *res*, de quo errore agit Oudendorpius ad Caes. B. G. I, 19, 2 (cf. III, 7, 6). Noster etiam III, 6, 29: *res omnis signis colligeretur*. Item Cic. Inv. I, 8: *Omnis res, quae habet in se — controversiam.*

*aliud atque aliud crimen intentant.* Et sic aliquoties noster petitorem dicit pro accusatore, ut VII, 1, 5, *petitor* dicit: Occidisti hominem. Vicissim Cicero *accusatorem pro omni actore et petitore*; vid. Partitt. Oratt. c. 32 init. *Quod* relativum, subiectum post *diversarum*, itidem toti negotio, simul mente comprehenso, accommodatum est, quum exspectare posses *quae*, quod referretur ad *similis* scil. causa.

*Petitionum*) Hic eodem, quod modo accusationem significare vidimus, vocabulo declaratur praemii cuiusdam flagitatio, quae fiat a duobus vel pluribus simul. Manifestus ad interpretationem nostri loci est alter VII, 2, 25: *Est et alia duplex coniectura, huic* ἀντικατηγορίᾳ *non diversa, de praemiis* etc. *Nam ut illic factum — transferentium, ita hic sibi vindicantium* etc.

*Quaestio — firmamentum*) Haec vocabula illustrata vide apud Cornif. script. ad Herenn. I, 16; it. Cic. Inv. I, 13, 14; Cic. Top. c. 25, Cic. Partitt. Oratt. 29 extr.

*Quaestio — omnis*) Vid. not. crit.

autem materia dupliciter accipienda est: altero modo, quo dicimus multas quaestiones habere controversiam, quo etiam minores omnes complectimur: altero, quo significamus summam illam, in qua causa vertitur; de hanc nunc loquor, ex qua nascitur status, *An factum* sit? *Quid factum* sit? *An recte factum* sit? Has Her- 3
magoras, et Apollodorus, et alii plurimi scriptores proprie *quaestiones* vocant; Theodorus (ut dixi) *capita generalia*, sicut illas minores, aut ex illis pendentes, *specialia*. Nam et quaestionem ex quaestione nasci, et speciem in species dividi convenit. Hanc igitur quae- 4
stionem veluti principalem vocant ζήτημα. *Ratio* autem est, qua id, quod factum esse constat, defenditur. Et cur non utamur eodem, quo sunt usi fere omnes, exemplo? *Orestes matrem occidit*: hoc constat; dicit *se iuste fecisse*: status erit qualitatis; quaestio, *An iuste fecerit*? ratio, *quod Clytaemnestra maritum suum, patrem Orestis, occidit*: hoc αἴτιον dicitur; κρινόμενον autem *iudicatio*, *An oportuerit vel nocentem matrem a filio occidi*? Quidam diviserunt αἴτιον et αἰτίαν, ut esset 5
altera, propter quam *iudicium* constitutum est, ut *occisa Clytaemnestra*; altera, qua *factum* defenditur, ut *occisus Agamemnon*. Sed tanta est circa verba dissen-

*An fact. — recte f. s.*) Duo postrema omittentes sibi constant. Alm. et Turic. — *Qua id quod*) Turic. *quia quod* cum Alm. — *Clytaemn. marit.*) Turic. *Cl. Agamemnonem mar.* cum Bodl. non Alm.

*Oport. vel noc.*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *vel*, ut et Voss. 2, cum sententiae detrimento.

*Diviserunt — αἰτίαν*, Guelf. *div. εἰς αἴτιον καὶ αἰτίαν*, mire et solus, quantum video.

*Theod. ut dixi*) III, 6, 2, 5; cf. hui. cap. §. 26.

*Vsi — omnes*) Vid. Cic. Inv. I, 13: *ut docendi causa in facili et pervulgato exemplo consistamus: Orestes* etc. Idem exemplum apud Cornif. l. c.

*Esset altera — altera*) Dure femininum *alt.* refertur ad neutrum αἴτιον. Obversabatur autem *ratio*, La inum vocabulum.

sio, ut alii αἰτίαν causam iudicii, αἴτιον autem facti vocent, alii eadem in contrarium vertant. Latinorum quidam haec *initium* et *rationem* vocaverunt: quidam
6 utrumque eodem nomine appellant. Causa quoque ex causa, id est αἴτιον ἐξ αἰτίου, nasci videtur: quale est, *Occidit Agamemnonem Clytaemnestra, quia ille filiam communem immolaverat, et captivam pellicem adducebat.* Iidem putant, et sub una quaestione plures esse rationes; ut *si Orestes et alteram afferat matris necatae causam, quod responsis sit impulsus:* quot autem causas faciendi, totidem iudicationes; nam et haec erit iu-
7 dicatio, *An responsis parere debuerit?* Sed et una causa plures habere quaestiones et iudicationes (ut ego arbitror) potest: ut in eo, qui, cum adulteram deprehensam occidisset, adulterum, qui tum effugerat, postea in foro occidit. Causa enim est una, *Adulter fuit*: quaestiones, et iudicationes, *An illo tempore, an illo*

*Eadem — vertant*) Pro priore edd. meae ante Bad. omnes, quo accedunt Ald. sec. et Basill. *eandem*; pro altero Goth. (tac. Gesn.) *vertunt*, male. Voss. 2 narratur pro eodem dare *verborum*, mire. — *Plures esse rationes*) Turic. *e. pl. quaestiones*, cum Alm., male.

*Sed et una*) Goth. (tac. Gesn.) omittit *et* cum Voss. 2.

*Causa enim est*) Goth. et Iens. (tac. Gesn.) omittunt *enim* cum Voss. 2, et edd. ante sec. Ald. meis omnibus, excepta Ald. pr. — *Sit — referuntur*) Gesnerus haeret in coniunctivo *sit*, pro quo malit *est*; non admodum leni mutatione. Goth. Iens. (tac. Gesn.) *referantur* cum edd. meis ante Badium exc. Ald. pr. Badius uterque et Cerv. *referentur*. Ald. sec. (ut et pr.) receptam cum reliquis, nisi quod Gryphius *referantur*. An expungendum erit *cum* post *sicut* (quomodo post syllabam in vo-

*Responsis — impulsus*) Sophocl. Electra v. 35 — 37: Χρῆ μοι τοιαῦθ' ὁ Φοίβος — Ἀσκευον αὐτὸν ἀσπίδων τε καὶ στρατοῦ Δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς. Eurip. Orest. v. 31: Ὁμως δ' ἀπέκτειν', οὐκ ἀπειθήσας θεῷ v. 276 — τὰ Φοίβου δ' αἰτιάσθε θέσφατα.

*Una causa — quaestiones*) Cave *causam* hoc loco accipias controversiam, sive causam iudicialem. Est versio τοῦ αἰτίου, pro qua clarius erat scribere *ratio* (cf. §. 4). Sed iam assueverat ita loqui noster §. 5, *causam — facti*. §. 6, *Causa, ex causa*. Item mox hac ipsa §. *Causa — una*.

*Adulterum — in foro*, cf. III, 27; it. V, 10, 104.

*loco licuerit occidere*? Sed sicut, quum sint plures quae- 8
stiones, omnesque suos status habeant, causae tamen
status unus sit, ad quem referuntur omnia: ita iudica-
tio maxime propria, de qua pronuntiatur. Συνέχον autem 9
(quod, ut dixi, *continens* alii, *firmamentum* alii putant,
Cicero *firmissimam argumentationem defensoris*, *et*
*appositissimam ad iudicationem*) quibusdam id videtur
esse, post quod nihil quaeritur: quibusdam id, quod
ad iudicationem firmissimum affertur. Causa facti 10
non in omnes controversias cadit. Nam quae fuerit
causa faciendi, ubi factum negatur? At ubi causa tra-
ctatur, negant eodem loco esse iudicationem, quo quae-
stionem. Idque et in Rhetoricis Cicero et in Partitionibus

cabulis extremam *cum*, cui valde similis *cut*; solet a librariis per errorem poni coniunctio *cum*; vid. Drak. ad Liv. IX, 17, 9)? Tum coniunctivi isti *sint*, *habeant*, *sit*, omnes erunt potentiales, in qua ratione aptior sane coniunctivus etiam in *referantur*. Sanum equidem non credo locum in recepta.

*Appositissimam*) Guelf. *ad positissimam*. Voss. 2 (quocum hic non facit Goth.) *aptissimam*, quod ipsum ante Ernestum legebatur in loco Ciceronis. Is nostram vocem in Cic. reposuit e duobus MSS. quibus poterat addere duos Gruteri, in quibus a manu principe nostrum esse narratur, item Quintilianum ipsum; cf. II, 15, 3.

*At — tractatur*) Turic. Guelf. Voss. 1, *Aut — tractetur*, et sic inmargine Basil. Pro *At* dant *aut* Goth. et edd. ante Ald. omnes, et hoc correxit Regius; verissime.

*Causae — status*) Hic in *causa* recte agnosces controversiam; cf. III, 6, 7, 9.

*Sit — referuntur*) Vid. not. crit.

*Cic. firmissimam*) Inv. I, 14 init.

*Vbi factum negatur*) Cf. ad Herenn. I, 17 init. Cic. Inv. I, 14; Cic. Partitt. Oratt. c. 30.

*In Rhett. — in Partitt.*) LL. cc. Posteriore loco sic: « Prima adversariorum contentio diffusam habet quaestionem — *Rationum* et *firmamentorum* contentio adducit in angustum disceptationem ». Priore autem hoc modo: « *Quaestio* est ea, quae ex conflictione causarum gignitur controversia.—Causarum autem haec est conflictio, in qua constitutio constat. — *Iudicatio est*, quae ex infirmatione et confirmatione *rationis* nascitur controversia» Io. Christ. Theoph. Ernestus V. C. postrema verba ita corrigenda censet: *Iudicatio est*, *quae ex ratione et infirmatione rationis n. c.* (Lexic. rhet. lat. p. 231). Quae loci constitutio ut perspicuitate et ordine praestat sane receptae, et habet auctoritatem exemplorum (Inv. II, 17, 37)

11 dicit. Nam in conjectura est quaestio ex illo, *Factum*; *non factum; an factum sit*? Ibi ergo iudicatio, ubi quaestio: quia in eadem re prima quaestio, et extrema disceptatio. At in qualitate, *Matrem Orestes occidit: recte; non recte; An recte occiderit?* quaestio, nec statim iudicatio. Quando ergo? *Illa patrem meum occiderat; Sed non ideo tu matrem debuisti occidere*; *An*
12 *debuerit?* hic iudicatio. Firmamentum autem verbis ipsius ponam, *si velit Orestes dicere, eiusmodi animum matris suae in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis, ac familiae, ut merito ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint.*
13 Vtuntur alii et talibus exemplis: *Qui bona paterna consumpserit, ne concionetur; in opera publica consumpsit;*

*Matris suae*) Subiicitur apud Ciceronem *fuisse*, quod hic in nullo libro comparet. — *Vt merito ab ea*) Turic. Guelf. omittunt *merito* cum Alm. Goth. Voss. 2, et ipso Cicerone. Turic. et Guelf. etiam *sui* omittunt post *liberi*, sed hoc est apud Cic. — *Vel ut*) Turic. Guelf. omittunt *ut* cum Voss. 1. In Turic. tamen a secunda manu reponitur, sed iunctim *velut* cum edd. meis omnibus ante Stoërium. Equidem *ut* necessarium non puto; *velut* tamen manifesto falsum. Iens. (tac. Gesn.) cum Tarv., ante *Vel*, pro *sic* dat *si*, quod correxit Regius, sed *sic* in Cod. Vall. esse narrat Bad. nec in ullo, puto, aliter. — *Militis Aruncî*) Turic. *arrunti*, cum Bodl. Sed Guelf. *Aruntii* cum Bern. Voss. 1, 3 (nisi quod hic c pro *t*). Alm. Goth. Voss. 2 nostram dat cum edd. meis ante Stoërium omnibus, excepta Bad. pr. quae *Auruncî* (ut et Regius in notis) praefert et Bas. quae *Aruncii*. In tanto Codd. consensu religio fuit sequi recentiores qui post Stoërium reponunt ad unum omnes, *Muriani*, scriptura facili sane ad intelligendum, sed auctore subnixa nullo. Quod enim Ioann. et Bal. silentur a Gibsono, errorem interpretor.

quibus utitur vir doctus (quo accedit quod Marius Victorinus ap. Pithoeum p. 120, haec ipsa hoc ordine enarrat *Ratio est — Infirmatio rationis est — Iudicatio est*), ita ferri potest vulgata, cuius sententia quidem non est diversa. Idem vero rectissime revincit patruum suum et Gesnerum *deductionem rationis*, quae item est apud Ciceronem, male interpretantes. Est ea plane eadem quae *infirmatio* rationis.

*Prima — disceptatio*) Totidem fere verbis Cic. Partitt. l. c.: *Itaque in his causis eadem et prima quaestio et disceptatio est extrema.*

*Verbis ipsius*) Ciceronis Inv. 1, 14 fuit.

quaestio, *An, quisquis consumpserit, prohibendus sit?* iudicatio, *An qui sic?* Vel ut in causa militis Arunci, 14
qui C. Lusium tribunum, vim sibi inferentem, interfecit, quaestio, *An iure fecerit*? ratio, *quod is vim afferebat*; iudicatio, *An indemnatum, an Tribunum a milite occidi oportuerit*? Alterius etiam status quaestio- 15
nem, alterius iudicationem putant. Quaestio qualitatis, *An recte Clodium Milo occiderit*? Judicatio coniecturalis, *An Clodius insidias fecerit*? Ponunt et illud, saepe 16
causam in aliquam rem dimitti, quae non sit propria quaestionis, et de ea iudicari; a quibus multum dissentio. Nam et illa quaestio, *An omnes, qui paterna bona consumpserint, concione sint prohibendi?* habeat oportet suam iudicationem. Ergo non alia quaestio, alia iudicatio erit; sed plures quaestiones, et plures iudicationes. Quid? non in causa Milonis ipsa coniectura refertur ad 17
qualitatem? nam si est insidiatus Clodius, sequitur,

*C. Lusium*) Guelf. *Iussium*. An voluit librarius quod est apud Valer. Max. *Luscium*? Turic. *Iusium*, a manu sec. autem *Lisiam* quod in Bodl. est etiam. Praenomen abesse videtur a Codd. omnibus, ut abest ab edd. meis ante Gryph.

*Oportuerit*) Gesn. in Ienss. legi *libuerit* falso narrat, et in ipso Goth. haec vox, quae per errorem posita erat, punctis subscriptis deleta est, et reposita recepta.

*Bona consumpserint*) Guelf. *b. consumpserunt*; fortasse nec male.

*Refertur ad qual.*) Turic. *referatur a. q.* cum Alm. Goth. Voss. 3 (an 2?) Vall. (narrante Badio) et edd. ante Rusc. qui primus indicativum reposuit ex correctione Regii. Sed Ald. et ipse coniunctivum.

*Militis — interfecit*) Historia tangitur a Cicerone pro Mil. c. 4, et Val. Max. VI, 1, 12; narratur autem a Plutarcho in Mario p. 413, B, C, D, qui tribunum itidem C. Lusium, militem autem Trebonium appellat, quum hic Valerio C. Plotius audiat. Tractat eam materiam tertia inter Declamationes Quintilianeas. De natione militis, quam Qu. designat, nemo praeterea. Potest autem vel Aruncus, civis Suessae Auruncae, (nam id nomen etiam sine diphthongo scribitur, vid. Liv. Drakenb. II, 16, 8), intelligi, vel Aruncius, oppido Hispaniae prope Hispalim oriundus, quod *Aruncos* appellat Plinius H. N. III, 1 extr. reliqui *Aruccos*.

*Vim afferebat*) Potest mirum vi-

ut recte sit occisus. Quum vero in aliquam rem missa causa, et recessum est a quaestione, quae erat con-
18 stituta: hic quaestio, ubi iudicatio est. Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis (quemadmodum supra dixi) Hermagoram est sequutus;

Et praestat hic fere, quum possit accipi potentialis. — *Causa — a quaest.*) Turic. *c. est r. et e* (non *a*) *qu.*; sed a manu secunda τῷ *et* superscriptum *est*, cum Guelf. et Alm. nisi quod ibi nulla τοῦ *et* correctio et *a* est pro *e*. Hanc ipsam scripturam dat Ald. et margo Basil. Sed Goth. et Ioann. *c. est r. est a. q.* cum edd. meis ante Rusc., qui primus (cf. III, 8, 62) omittit *est* inter *rec.* et *a*, et quocum facere videtur Andr. Hanc rationem tenent Badius omnesque meae ante Stoërium, qui primus dat receptam, et ipsius Gesneri *c. est et r. a. q.* Obr. nostram praefert, quae quum facile eruatur e Codd. exemplis, modo priore loco *est* mutes in *et* lenissima mutatione, optima est visa, quum in vulgata cogaris post prius *est* inserere *et*, posterius autem plane delere.

*Erat — quaestio*) Guelf. *erat hic constituta quaestio* cum Voss. 1. Sed Turic. *er. hic ĩ̃* (h. e. *inde*, cf. Prooem. 4) *const. qu.* a sec. manu superscriptum τῷ *ĩ̃* est *et*. Apparet receptam, quae est in edd. omnibus, uiti sola τῶν *hic* et *constituta* transpositione. Vtrum ii omnes, qui tacentur Codd. ordinem receptae teneant, dubitari potest. Obr. sic: *er, const. non est hic qu.*, cum interrogandi signo in fine. Agnoscas ibi literam *n* et superscriptum *et* e Turic., sed longe alio loco positum. In recepta quaeri potest, *hic* utrum significet *in tali exemplo*, an referatur ad *ubi*, ut sit pro *ibi*. Prius Obr. profecto in sua ratione tenuit, posterius in nostra aptius videtur. Quod Francius coniectat *hic — ibi*, in eo nullum praesidium; facit enim dicentem Qu. quod negat, diversis locis esse quaestionem et iudicationem. Si in Turic. pro *hic ĩ̃* inversus esset ordo, *ĩ̃ hic*, tentarem *antehac*, quod vel in Guelf. et Voss. 1 scriptura poterat inveniri, si ab extremo *erat* haustum esset *ante* compendio scriptum, *e* autem, residuum ex hac voce, locum dedisset τῷ *et* superscripto sed alibi quam par erat in Turic.

*Supra dixi*) Turic. *superius d.* cum Alm.

deri *afferre* post id quod modo erat *inferentem*. Sed *vim afferebat* in hac ipsa historia Cicero l. c. item Quint. Declam. III, 12, p. 50, *vim afferes*. Sic saepe Cicero: *manus afferre*. Ablegat Burm. ad Heins. in Ovid. Heroid. XVII, 21.

*Quum vero — ubi iudicatio est*) Sententia haec videtur: Vbicumque a prima quaestione recessum est, eodem loco, ubi nunc post eam digressionem est iudicatio, quaestio etiam esse dicenda est. Sic cepit Gedoynus. Sed locum non usquequaque sanum puto; cf. not. crit. *erat — quaestio*.

*Supra dixi*) Vtrum supra dixit Hermagorae vestigia pressisse Ciceronem, an significat, ea, quae supra (h. e. modo §. 10 seqq.) e Rhetoricis Cic. attulerit, esse ex Hermago-

in Topicis, ex statu effectam contemptionem κρινόμενον existimat: idque Trebatio, qui iuris erat consultus, alludens, *qua de re agitur* appellat: quibus id contineatur, *continentia*, *quasi firmamenta defensionis*, *quibus sublatis defensio nulla sit.* At in partitionibus oratoriis 19
*firmamentum*, quod opponitur defensioni: quia *continens*, quod primum sit, ab accusatore dicatur: *ratio*, a reo; ex rationis et firmamenti quaestione, *disceptatio* sit *iudicationum.* Verius igitur et brevius, qui statum

*Qua de re ag.*) Goth. Iens. (tac. Gesn.) *de qua re ag.* cum edd. ante Ald. sec. meis omnibus, exc. Ald. pr., male. Mox etiam pro *def. nulla sit*, Goth. (tac. Gesn.) *d. n. fit*, cum Voss. 2, itidem male.

*Ratio a reo ex rationis*) Turic. *r. ideo e. rationibus* cum Alm. ex quo errore Ald. utr. retinet *ideo* pro *a reo*, solus, quantum video. Tarv. omittit haec omnia *primum sit — firmamenti* per sphalma; cf. III, 10, 4

*Disceptatio sit*) Goth. (tac. Gesn.) *d. fit* cum Voss. 2, male.

rea disciplina? Hoc verius credo; sin illud est, accipiemus *supra* de loco III, 6, 59.

*In Topicis*) C. 25: *Verba quibus alludit Trebatio, h. e. cum illo iocatur, haec sunt: Quae ex statu contentio efficitur, eam graeci κρινόμενον vocant. Mihi* PLACET (*nota formulam ICtorum* de qua vide Brissonium De Verbb. signif. it. De Formulis p. 157) *id, quoniam quidem ad te scribo, qua de re agitur vocari. Ad nauseam nempe repetebant illud suum qua de re agitur ICti: quod ipsum ridet pro Mure. c.* 13: *Neque tamen quidquam tam auguste scriptum est, quo ego non possim* QUA DE RE AGITUR *addere. Sed alias tamen* (Brut. c. 79 extr.) *sic quoque laudat M. Calidium:* QUA DE RE AGITUR *autem illud, quod multis locis in ICtorum includitur formulis, et* (pro hoc *id* dat Ern. vid. Wetzel. ad h. l.) *ubi esset, videbat.* Gesnerus. Ne forte recentiorum locutionem, *alludere ad aliquid*, ex nostro loco defendas, vide Thes. Gesn.

*In Partitt.*) C. 29 extr. in quo loco verba *depellendi criminis causa* post *ad recusandum* Capperonnerius non male glossematis arguit. Dissentit secum Cicero in *firmamenti* definitione, quod in Rhetoricis (cf. §. 9), et Topicis (§. 18), defensori assignat, in Partitt. vero accusatori. Posterior ratio Cornificii quoque est ad Herenn. I, 16.

*Quia — primum sit*) Hoc in loco Partitionum equidem non utique invenio. Qu. enim talem in isto libro Ciceronis ponit esse disciplinam: Quod primum dicit accusator, id est *continens*; quo factum defendit reus, ea *ratio*; quo rationem diluit actor, id *firmamentum.* Vides discerni *continens* et firmamentum, quorum utroque reddi τὸ συνέχον modo dicebat noster (§. 9), sicut et Cicero iungebat ea in Topicis l. c. Eam tamen rationem e verbis Ciceronis in Partitt. quomodo efficiat, nonperspicio. *Itaque*, ait ille, *ea quae sic referuntur* (h. e. quae vicissim opponuntur reo,

et continens et iudicationem idem esse voluerunt: *continens* autem id esse, quo sublato lis esse non possit. Hoc mihi videntur utramque causam complexi, et *quod Orestes matrem*, et *quod Clytaemnestra Agamemnonem occiderit*. Iidem iudicationem et statum consentire semper existimarunt. Neque enim aliud eorum rationi

*Iudicationem idem esse*) Guelf. Goth. Iens. (tac. Gesn.) omittunt *idem* cum edd. meis ante Bad. omnibus, quo accedit Ald. sec. Badius recepit, quod Regius inserere suaserat, e Cod. Vallensi, abesse posse negans; recte. Vtrum in Turic. sit *idem* dubitari potest, quum prior collatio nihil in loco animadvertat, posterior omissum significet. Desiderari tamen et ibi verisimilius, quamquam ne Alm. quidem vocula carere narratur. Britannici Codd. Vossiani et Bern. silentur, in quorum aliquot non dubito quin legatur. Saltem auctore Vallensi potest acquiesci.

*Voluerunt*) Turic. Guelf. *voluerint* cum Alm. sed in Turic. a manu sec. repositum *u* super *i*. Basil. *noluerunt*, ex errore profecto, quamquam in utraque.

*Hoc — videntur — complexi*) Sic Turic. cum Alm. et Obr. et, ut quidem videtur Andr. *H. — v. — complecti* dat. Guelf. *H. — videtur — complecti* Goth. Iens. (de *compl.* tac. Gesn.) cum Voss. 2, et edd. meis ante Gryph. omnibus. Hic primus *Hi — videntur — complexi* quod deinceps receperunt omnes exc. Obr.

*Existimarunt*) Goth. et Voss. 2, *existimant* cum edd. meis ante Ald. sec. omnibus exc. Ald. pr. Revocavit praesens Gryphius. Falsum esse, ostendit quod subiicitur *fuisset*. Turic. *existimaverunt*, sed a secunda manu *i* superscripta *τῇ u*. Illud, in meo Iens. exemplo, corrigendo invenit antiqua manus. Receptam dat Guelf. quocum facere sunt putandi, quorum nulla mentio. Sic supra (§. 19) *voluerunt*, neque est quod propter haec praeterita haereas in iis, *lis esse non possit*, pro quo malis, *posset*; cf. III, 6, 38.

*Neque enim*) Sic Tur. Gu. ed. Bas. utraque, ceteri, *Nec en*; cf. III, 8, 44.

sese ratione defendenti) *continentia causarum vocentur: quamquam non eo magis, quae contra rationem defensionis afferuntur, quam ipse defensionis rationes, continent causas.* Vides, puto, hic *continens* nihil aliud esse nisi *firmamentum*, h. e. quod defendenti se reo, regerit accusator. An aliquid turbatum hic, aut a Quintiliano, aut a librariis, ut *quod primum sit* videndum sit? Securi tacent interpretes.

*Hoc — utramque causam*) Potest mirum videri quod, quum tria ista, *stat. cont. iudicat.*, idem dicta narret ab iis, quos probat, tamen *continentis* seorsim rationem reddit. Sed quum idem esse pronuntiant, magis eodem redire, alterumque pro altero usurpari posse, significant, quam omnem nominum differentiam tollunt. Ita de *statu*, et *indicationis* consensu nihilhominus aliquid subiicitur, et mox (§. 24): *causa* vel *continens dicitur, quod litem faciat* ubi itidem additur *idem esse ac quaestionem et de quo iudicari oporteat Vtraque causa* quae sit vide §. 5.

*Existimarunt*) Cf. not. crit.

conveniens fuisset. Verum haec affectata subtilitas 21
circa nomina rerum ambitiose laboret, a nobis in hoc
assumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de ope-
re, quod aggressi sumus, videremur: simplicius autem
instituenti non est necesse per tam minutas rerum par-
ticulas rationem docendi concidere; quo vitio multi 22
quidem laborarunt, praecipue tamen Hermagoras, vir
alioqui subtilis, et in plurimis admirandus, tantum di-
ligentiae nimium sollicitae, ut ipsa eius reprehensio laude
aliqua non indigna sit. Haec autem brevior, et vel ideo 23
lucidior multo, via, neque discentem per ambages fa-
tigabit, nec corpus orationis, in parva momenta didu-
cendo, consumet. Nam qui viderit, quid sit, quod in
controversiam veniat? quid in eo, et per quae, velit
efficere pars diversa? quid nostra? quod in primis est

*Ambitiose laboret*) Ita codd., ut quidem videntur omnes. Tarv. ed. (recedens a Iens. cf. §. 19) *laborat* cum Ald. utr. Edd. meae a Basil. ad Leidensem usque cum aliquot praeterea *ambitioso labore*, quod quo casu correxerit Schrevelius, Leid. editor, equidem ignoro.

*In hoc assumpta*) Edd. meae ante Ald. sec. omnes *i. haec a.* excepto Ald. pr. per errorem sat communem; cf. II, 17, 30.

*Rationem docendi*) Sic Guelf. et codd. sat multi qui a Gibs. et Burm. tacentur, sicut ne Turicensis quidem ulla fit mentio. Bodl. et Goth. contra et edd. meae ante Gryph. (1544, nam anni 1536 *dicendi*), quibus accedunt aliquot Burmanno notatae, dant *r. dicendi*. Neque temere reiicias hoc, quoniam *ratio dicendi* II, 11 extr. illud ipsum est, quod *docere* alias dicitur et mox §. 23: *corpus orationis — consumitur* hac subtilitate Habet tamen et recepta, quo se defendat; cf. III, 8, 26.

*Diducendo*) Guelf. *deducendo*, cum Iens. (tac. Gesn.) et Tarv. Ald. solito errore. Turic. *ducendo* cum Alm. et Obr. male. *Diducere* hic dicitur ut apud Virgilium Georg. II, 354.

*Ambitiose*) Cf. III, 8, 45.

*Simplicius — instituenti*) Cf. III, 6, 83. *Simplicius* instituere est quum nullo lectoris iudicaturi respectu, sed discipulos solos intuentem docere; cf. not. ad II, 2, 5 init.

*Rationem docendi*) Cf. not. crit.

*Hermagoras*) Cf. not. ad II, 15, 14.

*Reprehensio*) Plane pro *vitio*, reprehensionem merente. Sic Plin. H. N. III, 1 init.: *nec — sine aliqua reprehensione tractatum* ubi non, quid reprehenderint iudices, significatur, sed quid reprehensione dignum fecerint scriptores.

*Corpus — consumet*) De *corpore* cf. II, 10, 5.

intuendum : nihil eorum ignorare, de quibus supra di-
24 ximus, poterit. Nec est fere quisquam, modo non stultus, atque ab omni prorsus usu dicendi remotus, quin sciat, et quid litem faciat (quod ab illis *causa* vel *continens* dicitur), et quae sit inter litigantes quaestio, et de quo iudicari oporteat; quae omnia idem sunt. Nam et de eo quaestio est, quod in controversiam ve-
25 nit : et de eo iudicatur, de quo quaestio est. Sed non perpetuo intendimus in haec animum, et, cupiditate laudis utcumque acquirendae vel dicendi voluptate evagamur : quando uberior semper extra causam materia est, quia in controversia pauca sunt, extra omnia : et hic dicitur de iis, quae accepimus; illic, de quibus vo-
26 lumus. Nec tam hoc praecipiendum est, ut quaestionem, continens, iudicationem inveniamus (nam id quidem facile est), quam ut intueamur semper, aut certe, si digressi fuerimus, saltem respiciamus, ne plausum af-

*Nec est fere*) Turic. et Guelf. *Neque est f.*; cf. III, 9, 5.

*Modo non stultus*) Goth. (tac. Gesn.) *m. nisi s.* cum Vallensi referente Badio. Apparet librarium pro *modo non* maluisse *nisi*. Nam quod *modo* Badius, improbans tamen sui codicis scripturam, interpretatur *hodie*, *hoc tempore*, id alienum; cf. not. ex. ad Prooem. 16.

*In controversia*) Turic. *i. controversiam* cum Alm.; sed in illo a secunda manu *intra controversiam*, quod ipsum habet Obr. Placet, nisi quod nimium geminantur voculae illae in *tra* exeuntes. — *Extra omnia*) Goth. (solus, ut videtur) *exempla o.*; cf. I, 10, 48. — *Nec tam*) Turic. et Guelf. *N. tamen* cum Iens. (tac. Gesn.) Tarv. Rusc. (contra Locat. cf. §. 17) Ald. Sed *tam*, quod Regius iam reposuit, tuentur multi codd. ut Goth. et Vallens., referente Badio.

*Intueamur*) Iens. *intuamur*, quod e Vallensi quoque affert Badius, tanquam veteri praecepto consentaneum : *Dic tuor inspicio*, *tueor defendere dicam*. Sed Quint. neque solet affectare orationem Lucretianam, neque metro cogitur. Tarv. cum Iens. non facit, cf. §. 21. — *Semper aut*

*Supra diximus*) Designat Burmannus caput 9, ubi de his dixerit Qu. Capper. caput 6. *Vterque* falso, nisi ipse fallor. Intelligit profecto minuta illa discrimina vel momenta, *quaestionis*, *rationis* etc. de quibus egerat hoc ipso capite. Vtitur in hac re eodem illo, quod *magni alicuius nominis professor* responderat alibi; cf. II, 11, 1 extr.

*Certe — saltem*) Vid. not. crit. *semper aut certe*.

fectantibus arma excidant. Theodori schola, ut dixi, omnia refert ad *capita*. His plura intelliguntur: uno modo summa quaestio, item ut status; altero ceterae, quae ad summam referuntur: tertio propositio cum affirmatione; ut dicimus, *Caput rei est* (apud Menandrum, κεφάλαιόν ἐστιν). In universum autem, quidquid probandum est, erit *caput*: sed id maius, aut minus. [27]

*certe*) Turic. et Guelf. *s. a. certa* cum Voss. 1, 3, Bern. et edd. Iens. (tac. Gesn.) et Tarv. quod correxit Regius. Aldus ordine mutato *s. certa a. Certe* esse in Vallensi narrat Bad. Displicent sane geminata haec *certe* et mox *saltem* (cf. I, 3, 14), neque tamen ex altero quidquam proficias, vel cum Aldina inversione, et potest aliud alio referri. — *Saltem respiciamus*) Turic. *s. recipiamus* cum Alm. Confusio non infrequens *recipiendi* et *respiciendi*. Vid. Liv. XXI, 44, 8 ed. Drakenb. — *Referuntur*) Goth. (tac. Gesn.) *referantur* cum Voss. 2, et edd. meis ante Basil. omnibus, male. — *Vt dicimus Caput*) Sic omnes libri praeter Bad. sec. Cervic. et duas Basil. dantes *u. diximus C.*, pessime. Habet tamen eundem errorem a secunda manu Turic.

*Aut minus*) Iens. (tac. Gesn.) *a. maius*, iterum, per sphalma, non repetitum illud a Tarv. quae vicissim modo *predandum* pro *probandum*; cf. §. 26. — *His erant a scriptoribus*) Turic. omittit *erant a.* Guelf. *a* solum omittit cum Voss. 1, et Alm.

*Vt dixi*) Cf. §. 3.

*Propositio*) Non aliter haec vox videtur accipienda h. l. quam supra III, 9, 5, *affirmatio* est probatio propositionis, quam πίστιν dicit Aristoteles l. c. Exemplum in primis apertum et evidens proponit I. C. T. Ernestus V. C. p. 180. Lex. rhet. Graec. in κεφάλ.: *Iure occidi Clodium* (propositio) *occidi enim insidiatorem* (affirmatio).

*Apud Menandrum — ἐστιν*) Distinguendo paulum adiuvisse videor interpretationem loci obscurissimi, de quo post Gallaeum nemo quidquam. Quum enim Turnebus, sub cuius nomine quis potissimum lateat h. l. ignoro equidem, intelligi posse Menandrum rhetorem, dixisset, cuius rhetorica exstarent, Gallaeus de Comico potius cogitare iussit, proposuitque eam fere, quam expressi, verborum diremptionem. Ceteri quidem omnes, ut et ipse Gesn., *caput rei est apud Menandrum*, κεφ. etc. Κεφάλαιον vocabulum esse artis, Graecis rhetoribus valde frequentatum, constat, et plurimis exemplis manifestum est, velut apud Hermogenem de statibus p. 2: περὶ τῆς τῶν πολιτικῶν ζητημάτων διαιρέσεως εἰς τὰ λεγόμενα κεφάλαια, aliisque et aliorum de quibus cf. Lexicon Ernesti rhetoricum Graecum h. v. Etiam Menander rhetor non semel hoc vocabulo utitur, velut p. 63 (ed. Heeren.): ἔπαινοι μικτοί εἰσιν ἀπὸ κεφαλαίων τῶν περὶ χώρας εἰρημένων καὶ τῶν περὶ ἀνθρώπους; item p. 91: διαίρεσις κατὰ τὰ τελικὰ κεφάλαια καλούμενα. Si

28 Et quoniam, quae de his erant a scriptoribus Artium tradita, verbosius etiam, quam necesse erat, exposuimus; praeterea, quae partes essent iudicialium causarum, supra dictum est: proximus liber prooemia, id est exordia, concipiet.

*Partes essent*) Turic. *p. sint* cum Alm. et Obr. Male hic et contra temporum convenientiam recepit praesens; cf. III, 7, 5. In codd. videtur erratum ob syllabam *es* praecedentem in *partes*.

*Supra dictum*) Iens. omittit *supra*, non addicente Tarv. (cf. §. 27) sed cum edd. meis ante Ald. sec. omnibus, exc. Ald. pr.

*Prooemia*) Goth. (tac. Gesn.) *prima*, cum Turic., sed a prima manu, nam a secunda est recepta; et Bern. et Vallensi (ref. Bad.) item edd. meis ante Bad. Sed illae pro *id est* quoque dant *et* (de Iens. tac. Gesn.) exc. Ald. pr. quae dat *prima id est*, eiusdem secunda non recedente. Bad. utraque et Cerv. pro *prima* dant *principia*, quod in Voss. 2 quoque esse narratur, qui desciscit igitur a Goth. suo; Guelf. receptam praefert et ita excusi a Basil. inde omnes mei, quibuscum facere multi codd., ut Britannici, sunt putandi. Graeca sic poni a Quintiliano, subiuncta versione latina, saepe vidimus; cf. III, 5, 4.

tamen hunc Menandrum loco nostro significatum credimus, supposititia haec verba agnoscere cogimur, quoniam temporum rationes subductae rhetorem graecum Quintiliano recentiorem duobus fere seculis ostendunt. Neque est de nihilo quod Gallaeus monet senarii initium esse in hisce: κεφάλαιόν ἐστιν. Et poterat sane iudicialis orationis exemplum peti a Menandro Comico, quem noster ipse una cum Euripide *iis qui se ad agendum comparant*, *utilem* fatetur (X, 1, 60 vid. et sequentia). Eodem modo ad partes vocat eum I, 10, 18; IX, 3, 89 ubi itidem *apud Menandrum*.

*Supra dictum*) C. 9, §. 1.

VOLVMINIS PRIMI FINIS.